Operationum chirurgicarum novum lumen exhibentium obstetricantibus, pars prima: qua fideliter manifestatur ars obstetricandi / [Hendrik van Deventer].

Contributors

Deventer, Hendrik van, 1651-1724

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : J. & H. Verbeek, 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/rjf8sjrq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

16939 2. f. (11)

20332/B/1

J. xxv Dev

HENRICUS A DEVENTER, MED: DOC

J. v. d. Wilt Pinx:

P. Bouttats

HENRICI à DEVENTER,

Medicinæ Doctoris,

OPERATIONUM CHIRURGICARUM *NOVUM LUMEN* EXHIBENTIUM

OBSTETRICANTIBUS,

PARS PRIMA:

Qua fideliter manifestatur

ARS OBSTETRICANDI

ET

QUIDQUID AD EAM REQUIRITUR.

Instructa pluribus Figuris æri incisis, repræsentantibus multiplices Uteri posituras, pravosque Infantum situs;

Qua etiam ostenditur, qua ratione, urgente necessitate, singuli prave siti Infantes, sive vivi adhuc, sive jam mortui, in Utero tam obliquo quàm recto, sine instrumentis, solis manibus, aut in rectum situm vertantur, aut pedibus extrahantur, salvâ Matris & Infantis vitâ.

Multorum annorum exercitio propriisque observationibus inventa, dilucidata, asserta, & denique Reipublicæ emolumento literis mandata.

Editio Secunda, Cui Novæ Observationes accesserunt.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOAN & HERM. VERBEEK, Bibliop.
M DCC XXXIII.

16939

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRI FACULTATI MEDICÆ
FLORENTISSIMÆ ACADEMIÆ
LUGD. BATAV.

UT POTE

GRAVISSIMIS, DOCTISSIMIS EXPERTISSIMIS CELEBERRIMISQUE VIRIS

D. HERMANNO BOERHAAVE,
A. L. M. Phil. & Med. Doctori, in Alma Academia Lugd. Bat. quondam Botanices & Chemiæ Professori Ordinario, ibidem nunc Medicinæ & Collegii Practici Professori, Collegii Chirurgici Præsidi, Academiæ Regiæ Scientiarum Paris. Socio.

D. HERMANNO OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. Phil. & Med. Doctori, Medicinæ Theoreticæ & Practicæ, nec non Collegii Practici Professori, Collegii Theol. Illustr. & Præpot. D. D. Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ quod Leidæ est, Medico Ordinario, Collegii Pharmaceutici Præsidi.

D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,
Med. Doctori, Anatomes & Chirurgiæ Professori.

D. ADRIANO VAN ROYEN,
Med. Doctori, Medicinæ & Botanices Professori.

UT ET
DOCTISSIMO VIRO

D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

Med. Doctori & Prælectori Chemiæ.

NOVAM HANC

HENRICI à DEVENTER,

DE ARTE OBSTETRICANDI

EDITIONEM.

Quæ complectitur omnia quæ ad hanc Artem pertinent, ſimulque novas quaſdam Obſervationes hactenus non editas, ut animum gratum debitamque ſuam Vobis Obſervantiam teſtaretur, eà, quâ decet, animi reverentia dedicat atque inſcribit

JOAN. & HERM. VERBEEK.

LECTORI.

S.

Sistimus hic Tibi recusum eximium Henr. a Deventer Tractatum de Arte obstetricandi, Opus ab omnibus in Medicina sapientibus viris jam satis cognitum atque laudatum; ita ut qui hoc ulterius commendare vellet, idem faceret, quod hederam qui suspendit vino bono & veteri; sufficit ut breviter dicamus, quid in hac nova Editione præstitum sit; Errores plurimi, qui in priore Editione irrepserant, in hac posteriore emendati habentur; observationes quædam novæ, hactenus ineditæ, & ab Heredibus Authoris post ipsius mortem communicatæ hic ad finem separatim additæ sunt, quarum licet una jam partim impressa haberetur in priore editione, illa sc. quæ exstat P. 20. Partis 2ª. ad Cl. Virum Vink conscripta, hic tamen tota quanta ab ipso Authore conscripta reperta fuit, translata addita fuit; quoad reliqua nihil additum neque mutatum, itaque ut nihil restet nisi ut hosce nostros conatus æqui bonique consulas atque valeas.

IN
HENRICI DAVENTRII, M. D.

DE VENTRE APERIENDO, SERVANDOQUE PARTU

demonſtrationes, atque obſervationes.

Vitalis antri, carceris primi ſpecus,
Neceſſe clauſtrum, quod genus mortalium,
Dii priuſquam luminis videt jubar,
Decuſque fulgens, intrat expectans diem,
Quàm ſemper anxiis patet conatibus!
Cum pollicetur ætheris ſidus novi
Recluſa tandem naſcituris ſemita,
Ah, quàm ſimul rapiuntur in diſcrimina!
Moritur, priuſquam vagiit ſinu puer
A matre anhela vix rubens, atque interit.
Vitamque linquit, ante qui nec vixerat.
Vivo juventæ flori quàm non obſtetrix
Moleſta prima eſt, longus aut hæret dolor,
Repaguli laxantibus ſe vinculis.
Ætas labores auget, & artuum ſitus
Fœtus tenelli, & exeundi limitis.
Periere multæ partu, & indies necem
Nimium imperita arceſſit haud paucis manus,
Lucina queis non favit auxilî ſciens.
Jam non tenaces amplius vel forcipes,
Vel creditum juvare ferrum proferas,
Daventrio pandente iter tutiſſimum,
Cujus vigebit inclitum nomen viri,
Noti dolores dum ſedebunt matribus.
Illo ferente certam opem trementibus.
Non plus timete, flebiles puerperæ,
Si partus arctus brachium, aut tendat pedem,

Quàm

Unable to display this page

PRÆFATIO.

Cordate Lector,

MUltis jam abhinc annis ad aures meas pervenerunt quærelæ, quibus *Artis Studiosi* minus sibi satisfieri contendebant ab iis, qui de *Arte obstetricandi* scripserunt; & egomet ipse fateor, quæ de Arte illa legeram, animo meo nunquam satisfeciisse: jam de me ipso & capacitate mea diu ambigebam, cogitans, me illorum sensa non satis comprehendere; jam mihi persuadebam, culpam in me solo non hærere, quòd tantam in illis utriusque sexûs Scriptis obscuritatem inveniam, sed potius illis aliquid inesse veritati incongruum, unde unà cum aliis desiderabam, ut vel tandem aliquis exoriretur, qui rem omnem dilucide expediret, ac *partûs difficilis causas* insolubilibus argumentis demonstraret, & consequenter præsens aliquod remedium suppeditaret, quo partum illum difficilem aut præcavere, aut Arte expedire liceret; sed me spes huc usque fefellit: interea omnem meam curam atque operam ad accuratam tam viventium quàm defunctorum observationem contuli, unde vel tandem exploratum habere cœperam, qua de causa omnia de hac re Auctorum antecedentium Scripta tot obscuritatum & contradictionum nebulis involuta sint: cœperat perspectum mihi esse, omnes, quasi cæcos, digitis parietem prætentare, in incertum porrectis manibus rem audere, aliud pro alio accipere, denique quascunque illorum partûs difficilis descriptiones non nisi conjecturas atque divinationes esse: propterea, scriptis illorum remotis, mediante defunctorum anatomia & curiosa sensûs observatione data quavis occasione singulis rebus dignoscendis omne studium ponebam, quo facto, Deo adjuvante, in eodem semper dubio non hæsitavi, quin potius mihi ipsi satisfacere, ac rationibus expertis acquiescere prorsus potui.

Meo ipsius desiderio jam expleto & proximo meo adjumento esse, ac quibuscunque hujus Artis Studiosis dextram porrigere studui, ut & illi, si quidem fieri potest, illuminentur, atque per Veritatem in libertatem vindicentur ab erroribus liberati, quò methodo monstrata *Artem obstetricandi* tutò prorsus exercere illis liceat: an verò hoc meo Scripto scopum

istum

istum attigerim, penes Lectorem judicium esto; id sane satis cognitum habeo; non defuisse mihi voluntatem, omnia pro facultate plenissime explicandi.

Multis acutis contemplationibus, aut remotis partûs difficilis causis fingendis perscrutandisque, aut infinitis medicamentorum formulis aut præceptis Librum meum non opplevi, siquidem animum induxi de *sola opera manuaria* scribere: ridiculum sane est, si *Chirurgi obstetricantes* aut *obstetrices* tradituri *Artem obstetricandi* maximam Librorum partem ad nauseam usque implent sexcentis morborum & accidentium generibus, quibus prægnantes ante, sub & post partum corripi possunt; ubi verò *de ipsa opera manuaria* agendum est, ægre sciunt, unde aliquot Capitula suppleant, quæ veritatis speciem præ se ferant, tum quàm breviſſime se expediunt, Lectoris animum minime explentes, ipsi *Medicos* agunt, dum *Obstetricantium* munus obeundum esset, hoc pacto à scopo aberrantes, ad quem istiusmodi librorum editio dirigenda esset.

Quòd sicui mirum videatur, *Chirurgos* adeo exorbitasse, ut *obstetricibus Medicorum* partes tribuere voluerint, ipsis non impertientes solidam cognitionem ad *obstetricandum* necessariam, majorem quidem admirationem movebit, quòd & ipsæ *obstetrices* pari modo exorbitaverint, dum pollicitantes *Scientiam obstetricandi* in libris suis tradunt modum morbos mulierum varios curandi: ita vendunt apium pro opio: atque si tandem ingentes istos libros perlegeris, omnia inveneris, præter illud, quod unice desiderans quæsivisti: verùm in optimam partem hoc accipiendum est, quippe aliâs non esset, unde libri sui paginas supplerent, aut à rudioribus eruditionis gloriam impetrarent. Quo igitur istos errores devitem, nihil tractare studui, præter quam quod *ad partûs facilis & difficilis cognitionem* necessarium erat, tu mediante ea cognitione ex solidis rationibus periculum declinare, aut in discrimen jam deducti eo nos expedire valeamus: idque tam firmis seu *mathematicis* argumentis demonstrare sategi, ut persuasum habeam, nullam Scientiam tam firmo Veritatis fundamento gaudere quàm hanc Artem; unde non solùm *Medici* & *Chirurgi obstetricantes* cum *obstetricibus*, sed & *quilibet utriusque sexûs homines* claram ac perspicuam hujus Artis cognitionem posthac haurire possunt; quippe nihil inest, quod captum fœminarum superet, unde & eæ ipsæ cum majore animi tranquillitate se submittere possunt quibuscunque operationibus, quas ipsæ judicare possunt summe necessarias ad conservandam propriam ac infantum salutem.

Quotquot ante me scripserunt, tradiderunt: *partum difficillimum exi-*

stere

fiere ex prava infantum versione in utero, qua de causa nunquam non statuerunt: *infantem bene versum esse, si caput prævium ori uteri objaceat*, unde illorum sententiâ facilis partus necessariò sequitur: *ego è diametro contrarium statuo* in diversis casibus, invictis argumentis demonstrans: *etiamsi infans in utero communi sententia bene*, id est, *capite prævio ori uteri imminente prodeat, nihilominus exinde propter obliquam uteri posituram partum difficillimum necessariò sequi*, atque *utero oblique posito, situm infantis magis inconvenientem obstetricanti non obvenire posse, quàm si caput prævium ad os uteri conversum fuerit.*: Judicium jam esto penes Cordatum Lectorem, an inter lucem & tenebras major differentia sit, an inter duas has theses? quòd si omnes adhuc Scriptores in principali quæstione tanto errore ducti fuerint, quî aliter in quæstionibus minoris momenti quàm ubique errare potuerunt, prout nimirum factum est: quisquis igitur cupit addiscere & cognoscere *Artem obstetricandi*, is mecum à capite debet ordiri, & destructo omni priore ædificio nova fundamenta jacere, super quibus immobilis structura exædificari potest.

Jam dudum *hoc Novum Lumen* promiseram in *Aurora mea*, in qua specimen quoddam & epitomen hujus Libri edidi, quem præpropere quidem emittere nolui, monitus à nonnullis, quosdam *Auroram meam* refutaturos, quibus eum in finem tempus & spatium dare quidem volui, quamvis ægre mihi persuadere potuerim, fore quemquam adeo præcipitem ad refutationem rerum, antequam earum rationes atque demonstrationes cognoverit.

Non amo rixas, neque in controversiarum arenam descendere gestio, potius viva voce coram argumemta amice solvere cupio, siquis forte inveniat in Scriptis meis, quod opponat ulterioris illustrationis cupidus; aut siquis erga me benevolentiâ ductus Veritatis vindicandæ ergo aliquid proponere aut monere velit, amicissimè id quidem & grato animo acciperem, deprehensum errorem lubens agnoscerem: interea etiam de Veritate adeo certum me esse arbitror, ut, quam proposui, eandem & nunquam non defendere non dubitem, si res exigat: siquis verò malignus jurgiis & convitiis agere gestiat, ut virus acerbitatis suæ evomat, eum responsione non dignabor.

Novum hoc Lumen tanto Veritatis nitore jubareque effulsurum spero, ut etiam, qui mihi minus favent, aut quàm maxime adversantur, rationibus victi operam meam æqui bonique habituri sint: Amicos verò meos spem nequaquam frustraturam esse confido, quos rogo,

go; velint veniam dare, quòd animum ipsis non promptiùs expleverim: homo proponit, Deus disponit; desiderium Libri hujus imprimendi dudum quidem me tenuerat, at tempus à Deo præfinitum prius compleri necesse erat; & sicuti res diu expectata quàm maxime juvat; ita operam meam ab Amicis majori jucunditate acceptum iri, iisque usui fore confido: idem & adversariis apprecor, siqui ex ignorantia aversо à me animo sunt; quod ad me attinet, neminem odi, nulli invideo, quin imò quibuscunque hominibus optima quæque precor, DEUM T.O.M. implorans, ut & illis & mihi concedat, quicquid Divina Ejus Misericordia ad temporalem ac æternam nostram salutem necessarium esse novit.

Ordinem, quem in *Aurora* constitueram, non servavi, quia hunc præstare, majoremque utilitatem allaturum esse judicavi: sed quærenti: cur inter *Chirurgicas meas Operationes* primum *Arti obstetricandi* locum dederim? respondeo: hanc partem mihi visam esse maximi momenti, utpote quæ maximo Reipublicæ usui est; quippe persuasum habui, hanc quam ego trado, *Artis obstetricandi cognitionem* non sine vitæ dispendio multarum fœminarum & infantum occultari potuisse, & proinde primò omnium in lucem edendam fuisse, quum nesciam, an Deus lucis usuram tam diuturnam mihi daturus sit, ut posthac *reliquas Operationum mearum Chirurgicarum partes* in lucem edere queam.

Mihi non propositum fuit certum servare ordinem in edendis *meis Operationibus*, sed eas deligere placuit, quæ ut plurimum Mundo incognitæ, maxime tamen utiles ac necessariæ videbantur, indeque primò publicari merebantur: Verùm priusquam progrediar, experiendum, qua mente hæc pars accepta fuerit, quam aliis quoque linguis divulgare statui: quumque per varia negotia tempus percarum & præfinitum mihi sit, prætermissis non necessariis, iis solùm rebus insistam, quæ absolute necessariæ sunt Chirurgo, Operationes Chirurgicas caute peracturo.

Antequam *primam hanc Operationum mearum Chirurgicarum partem* publicavi, placuit eam subjicere examini & judicio quorundam Medicorum insigni Eruditione & exercitatione præditorum, quem in finem eam cum quibusdam Professoribus publicis communicavi, ut post peractum examen approbatam cum majore mei ipsius placiditate, & majore aliorum applausu in lucem ederem: & cognito, quàm Ipsis inter legendum arriserit, (uti ex sequenti Approbatione liquet)

Reipublicæ commodum, quo ex lectione Novi hujus Luminis fruetur, diutius abscondere non potui.

Lector benevolè veniam dabit stylo rudiori, magis enim in animo habui clare & perspicue, quàm ornate scribere, magisque studui captui cupidorum discendi, quàm oculis auribusve Eruditorum satisfacere: assentari mihi in animo non erat, ut plausum hominum captarem, (siquidem ad id per Dei gratiam non proclivis sum) sed animo humano Veritatem patefacere constitueram; quapropter Lectorem amice rogatum volo, ut condonet & corrigat, quicquid in stylo, typographiæ correctione, eloquentia, ordine ac orthographia desiderari potest, quod ab Ipsius æquitate mihi promittens Illi omnimodam salutem precor, paratus, dono divinitus mihi concesso porro inservire tanquam

Cordati Lectoris

Humillimus Servus

Henricus à Deventer.

AP-

APPROBATIO.

FAcultas Medica Academiæ Provincialis Groningæ & Omlandiæ, cognito & perlecto Celeberrimi & Doctiſſimi Domini *Henrici à Deventer, Medicinæ Doctoris*, Tractatu, cui titulus: *Chirurgicæ Operationes ſeu Novum Lumen, Obſtetricantibus &c.* admiratur inſignem cognitionem & Scientiam, quam Auctor ille multiplici exercitio ac indefeſſa Praxi ſibi acquiſivit, ſciens: nullum Scriptorem, qui hanc materiam tractavit, præter hunc, partûs difficilis cauſas tam clarè manifeſtaſſe, & modum partûs incommoda arte removendi tam ſignificanter indicaſſe: ideoque quibuſcunque diſcendi cupidis Chirurgis Obſtetricantibus ac Obſtetricibus ſeriò commendat, ut hunc Librum diligenter legant, quælibet præcepta ſingularia, ac ingenioſas obſervationes in illo notatas ſedulò perpendant, ſuaſque Operationes Chirurgicas ad regulam in illo propoſitam peragant, ut multæ parturientes miſeræ atque infantes à mortis periculo liberentur. Datum Groningæ die 3. Auguſti, Anno 1700.

G. LAMMERS. M. D. & Prof. Fac. Med. Dec.

INDEX CAPITUM.

Cap.

I. *De Qualitatibus Fœminarum, quibus eæ ad obstetricandum habiles censeri possunt.* pag. 1

II. *De Theoria obstetricibus necessaria.* 13

III. *De Pelvi ejusque ossibus, in qua situs est uterus, & per quam infantes in partu transeunt.* 14

IV. *De Utero.* 22

V. *De Vagina uteri.* 24

VI. *Ubi & quomodo uterus in corpore fœmineo positus sit.* 26

VII. *De Utero Prægnantium.* 28

VIII. *De crassitudine Uteri in Prægnantibus.* 29

IX. *De utero imprægnato modò ante & mox post partum, & de modo tam extensionis quàm contractionis, ubi hæ duæ theses fundamentales probantur: 1. facultas extensionis sine extenuatione. 2. facultas variæ mutationis localis uteri.* 36

X. *De utero gravidarum vel parturientium bene locato.* 45

XI. *De Utero prægnantium & parturientium oblique & prave sito.* 46

XII. *De Secundina.* 48

XIII. *Tactus Prægnantium quid sit, & quomodo fiat.* 52

XIV. *Quidnam ex Tactu scire liceat.* 52

XV. *Quomodo Tactu cognoscatur, an fœmina prægnans sit, necne.* 53

XVI. *Quomodo Tactu explorandum sit, an puerperium instet, necne.* 55

XVII. *Quomodo tactu explorari possit, an gravida genuinis ad partum doloribus accipiatur, necne.* 57

XVIII. *Quaratione ex Tactu innotescat, an parturienti futurus sit labor facilis vel difficilis.* 62

XIX. *Quaratione ex Tactu cognosci possit, an infans ad ex-*

Cap.		
	exclusionem bene vel prave situs sit.	64
XX.	*Quo tempore Parturiens commodissime tangatur, num ante, inter vel post dolores.*	69
XXI.	*Qua ratione è Tactu cognoscatur: quid agendum sit ad juvandam Parturientem & infantem.*	70
XXII.	*Qua ratione per Tactum sciri possit: an Prægnanti ante tempus constitutum partus sit promovendus, necne.*	71
XXIII.	*De Partu naturali, vel potius facillimo.*	73
XXIV.	*De Partu præternaturali seu difficillimo in genere.*	81
XXV.	*De Partu difficili, ex morbis generalibus aut specialibus proveniente.*	82
XXVI.	*De Utensilibus, quæ secum portet obstetrix, sive ruri, sive in urbe.*	83
XXVII.	*Qua ratione per pravam Pelvis formam partus impediri possit.*	111
XXVIII.	*De constrictione venæ umbilicalis, & secundidarum exclusione.*	124
XXIX.	*De Partu difficili, ex morbo sive vitio quodam uteri oriundo.*	130
XXX.	*De Partu difficili, ex vaginæ, vesicæ intestini recti, aut pudendi vitiis.*	133
XXXI.	*De Partu difficili, à firma nimis membrana humores continente, vel à prævia ad exclusionem Placenta.*	135
XXXII.	*De Partu difficili ex emortuis infantibus.*	139
XXXIII.	*De Partu difficili ex præmatura fœtûs exclusione.*	143
XXXIV.	*De Partu difficili ex nimia infantum magnitudine.*	146
XXXV.	*De Partu difficili ex prava infantum versione in genere.*	147

XXXVI. *De Partu difficili, ab infante facie supina prodeunte.* 149
XXXVII. *De partu difficili, infantibus facie in ostium prodeuntibus.* 154
XXXVIII. *De Partu difficili, ab infante prævia vena umbilicali prodeunte.* 161
XXXIX. *De infantibus, manu, cubito, aut humero prodeuntibus.* 168
XL. *De infantibus transversim positis.* 175
XLI. *De infantibus natibus prodeuntibus.* 180
XLII. *De infante ventrem in ostio cum vena umbilicali offerente.* 184
XLIII. *De infante tergo prodeunte.* 187
XLIV. *De Geminis prave versis.* 189
XLV. *De Agrippis seu infantibus, pedibus præviis prodeuntibus.* 195
XLVI. *De Partu difficili ex prave sito utero, nimium scilicet propendulo.* 201
XLVII. *De Partu difficili, ex utero spinæ dorsi nimis appresso.* 221
XLVIII. *De Partu difficili, ex utero in alterutrum latus nimium obliquato.* 242
XLIX. *Index & Clypeus Obstetricum.* 257
L. *De Partu difficili, oriundo ex dolorum defectu, aut à pravis ac tergi versantibus doloribus.* 265
Infans Brachio-, ad humerum usque natus, & non obstante obliquo utero feliciter servatus. 281
Mulier Quædam, seu juvenca gravida in partu mortua, cum jam in uteri orificio esset infans. 283
Epistola ad Dominum W. Vink. 287
Historia gravis admodum partus. 311

NOVUM LUMEN OBSTETRICANTIUM.

CAPUT I.

De Qualitatibus Fœminarum, quibus eæ ad Obstetricandum *habiles censeri possunt.*

Est æquum sane & necessarium Magistro est vel artifici cuidam, informaturo discipulum quendam vel tyronem artem, opificium vel scientiam aliquam, ut ponderet & perquirat qualitates, quæ ad exercitium istiusmodi artis, opificii vel scientiæ addiscendæ exiguntur, nisi velit magno cum damno & dedecore vel tandem queri, se oleum & operam perdidisse. Idcirco priusquam nos accingamus *ad informationem Fœminarum, quæ ad obeundum Obstetricum munus inclinant*, non abs re erit, considerare, *quales* illæ, quaque habitudine sive naturali, sive acquisita, instructæ debeant esse, ut successu temporis *Obstetrices* possint evadere *habiles*.

Successu temporis, inquam, etenim nemo putet, opus hoc

festinanter & quasi uno ictu absolvi posse; impendio temporis opus est ad acquirendam primùm cognitionem rerum generalem, nec dum mox apti sumus omnibus rebus juxta acquisitam cognitionem rite efficiendis vel exequendis: longo intervallo a se invicem distant *Theoria* & *Praxis*, maximum illarum est discrimen, & quidem hac in re majus, quàm ut credere possint, qui nunquam rei manus admoverunt, id quod agnoscet & fatebitur, quisquis ad ipsam se applicaverit praxin.

Requiritur igitur in ejusmodi Fœminis *Corpus ad hanc rem idoneum*, quoad totum, & quoad singulas partes *integrum*, *absque vitiis*, *quæ Obstetricando obesse possent*: ideoque ad hoc opus inhabiles judicamus.

I.

Primò: Omnes *provectioris ætatis Fœminas:* Non verò dicam, quod aliqua grandior natu neutiquam possit esse *Obstetrix* bonæ frugis, absit; veteres enim usu & exercitatione pollentes plerumque sunt optimæ, nisi inconsiderate auspicatæ, inconsiderate quoque perrexerint, quales vetulas desipientes nonnunquam invenire licet: At quum nobis sermo sit de Fœminis, *sese obstetricum muneri addiscendo dicantibus*, illique rei, antequam rite fiat, multum temporis cum diutina exercitatione sit tribuendum, nos dicimus, *annosis* Fœminis opportunum tempus effluxisse; præterquam enim, quod deficiant intellectu, memoria, judicio, deficiunt & *Viribus* & *Sensu*, quæ quidem ad hanc operam summe necessaria sunt.

II.

Secundò: Excludimus etiam, tanquam huic rei inhabiles *Juniores natu*, utpote *Virgines* & *Novas nuptas*; nisi ipsas consideremus ut novella germina, sensim primis cognitionis hujus principiis imbuenda, ut successu temporis secundùm conditionem, ætatem & habitum, auctiores cognitione & judicio, ad praxin porro progredi queant. Atque utinam multæ, jactis firmis

mis cognitionis fundamentis sensim præpararentur! præprimis autem *Obstetricum* & *Chirurgorum Obstetricantium* filiæ huic suo commodo inservire possent, eoque modo per longam annorum seriem Generi Humano operam & studia sua navare: quoniam autem ut plurimùm urgente necessitatis telo imprudentes quædam & pauperculæ mulieres vel viduæ, *miserrima mercede* conductæ, isthoc munus suscipiunt, non sine dispendio vitæ multarum gravidarum & fætuum, adeò vilescit illud, ut paucis allubescat maritis, conjuges suas filiasve in eodem informari.

Mihi verò persuasissimum est animo, utut operam hanc homines minimi precii deputent, utilius quid Generi Humano, vel magis necessarium non dari, ad quod Fœmina perita animum posset applicare; & nullus dubito, si gravidæ cum maritis suis cognoscerent, quantum à se invicem differant *obstetrix prudens* & *imprudens*, *perita* & *imperita* (& quàm altera ope sua possit prodesse valetudini & vitæ conservandæ matris pariter ac infantis, quàmque altera nocere possit negligendo, imò & ipsi utriusque morti ansam præbendo) quin majorem adhibituræ sint cautionem, neque tam facilè huic vel isti acquiescerent. Sed male res agitur, & magis illæ juvant, quæ minoris emuntur, interea vivitur spe, dum se exponunt periculo perdendi quod carius est omnibus mundi thesauris.

Obstetrici prudenti, rerumque suarum callidæ, quæ in primordio statim partui difficili novit mederi, idque fideliter præstat, uti officium exigit, & amor proximi urget, debita pro merito gratia nulla redire potest, ejusque operam nullus exæquabit precio, quamvis aliter sentiant imprudentes.

In transcursu dicam, mirum esse, quòd *Magistratus* majore studio non incumbant ad constituendas in singulis Civitatibus *scholas* idoneas *obstetricibus* rite *instituendis*, per Viros aptos non solùm ad imprimendas ipsis ex Anatomia ideas veras, earum, quas plurimùm tractant, partium & membrorum, sed etiam ad impertiendas singularum (quas tanquam periti & exercitati Chirurgi callent) artium perspicuam & fundamentalem cogni-

tionem; siquidem hoc modo in frequentibus regionibus & Civitatibus *numerus* fœminarum infantumque *incredibilis* posset salvari, quæ ope opportuna destitutæ animam relinquunt. Prætendunt quidem causam *obstetrices* delicto, *se omnem operam collocasse, ac omnia, quæ potuerint, feciſſe*, sed perperam; quum id feciſſe non sufficiat, quumque non potuerint, quod debuissent, aut quod necesse fuisset.

Nonne hæc quemlibet cordatum, præprimis *obstetrices* convincant oportet, se res suas non percallere? luctantes quandoque totius diei, bidui, tridui, quin & quatridui spatium cum parturiente, cujus perverse ad exclusionem situs est fœtus, ultima quæque, irrito licet conatu, expertas; quum contrà sæpius intra horulæ spatium cordata *obstetrix* vel arcessitus *Chirurgus Obstetricans* sciat excludere fœtum & secundinas, & quod plus est, nonnunquam citra ullum parturientis dolorem: Nonne hæc oculos aperirent & *obstetricibus*, & *quibus salus reipublicæ cordi est*? quò adhiberent medelam his malis, provenientibus tantummodo ad *obstetricum* inscitia, quod quidem cum mœrore in multis Civitatibus, præsertim verò ruri, videre est.

Multoties miseras parturientes, aliquot dierum laboribus ex negligentia *obstetricum* jam defatigatas, infantibus jam exanimatis, matribus item animam agentibus, servandis tantummodo promota citius exclusione fœtus & secundinarum, ego accersitus, adjuvante Deo, à fœtu liberavi. Vere enim contestari possum, me (quod tamen inglorius dixerim) nunquam ulli parturienti obstetricantes manus adhibuisse, quin ipsam semper, adsistente Deo, liberaverim, exceptâ unicâ, quam, ipsius linguæ ignarus, quòd prorsus mihi laboribus suis obniteretur, &, non audiens dictis meis, secundùm proprium perversum judicium ageret, (*ipsamet autem fuerat obstetrix*) liberare à fœtu non potui. Licet verò haud omnes manserint superstites, quum quædam jam semianimes essent, attamen multæ, imò plurimæ adminiculo meo (cui Deus benedixit) sunt servatæ, aliter certò interituræ, nisi hoc modo liberatæ fuissent.

Haud

Haud censendum est, quòd prudens *Chirurgus obstetricans* vel *obstetrix* infantem aliquem excludat casu tantùm & fortunâ, vel audacter periclitando, ut ignaræ forsan opinantur: minime; hoc opificium æque firmo nititur fundamento, ac multa alia, quæ tamen accidentibus sunt obnoxia: idque patebit ex hoc Libro, quum partus difficilis demonstraverimus causas, & quomodo prudens *obstetrix* vel *Chirurgus obstetricans* istos præoccupare, corrigere vel expedire possit.

Lubens quidem hîc loci à via quasi discessi, jam inde ab initio *fœminis obstetricaturis* ante oculos positurus, quanti momenti atque molis ea res sit, non ut absterrere velim, sed potius monere, rem certe arduam esse, quam audent: Agitur de vita Matris pariter ac infantis, quæ *prudentis obstetricis* servari adminiculo, vel imprudentis negligentiâ potest amitti, non enim lignum tractant, aut lapidem sive limum, sed homines ad imaginem Dei formatos, quorum vita pretiosior est omnibus mundi thesauris.

III.

Deinde tanquam ad hoc opus inhabiles excludimus *debiles omnino, morbidas & tabescentes personas*, quæ licet sanæ sint judicio, cæterisque instructæ qualitatibus necessariis, per infirmitatem tamen huic operi sunt impares. Præterquam enim quòd *obstetrices* sæpius vigilare, ac dies noctesque assidere parturientibus debeant, (quod ejusmodi debilibus per infirmitatem non licet) tantis nonnunquam viribus opus est ad prave sitos infantes vertendos ac extrahendos, ut valida non sufficiat, & robustum quidem virum omnes oporteat intendere nervos, quò scopum attingat, uti plerique mecum testantur *Chirurgi obstetricantes*: Ego quidem asserere possum; intensissimæ hyemis tempore leviter mihi vestito, igne remoto, præ ingenti labore permaduisse capillos totumque corpus sudore, & aliquot post diebus lacertos adhuc doluisse, siquidem urgente tanto vitæ discrimine ultima experienda sunt: Sed hæc intelligenda sunt de talibus fœminis,

quæ aliquot jam dies incassum laborarunt, quibusque aquæ dudum defluxerunt: imò nonnunquam adeò angebar, & tam arcte comprimebar, ut manum brachiumque sensu viribusque destituta putarem: Ecquid tandem tam tenera atque debilia corpuscula efficerent? At verò non semper hoc accidit, alioquin opus hoc Viris omnino committere præstaret: rarissime ita sudandum est; interim tamen præter hæc extrema pluribus adhuc viribus opus est, quàm plerumque putatur.

IV.

Quartò: Huic rei non admodum inserviunt *nimis densæ & corpulentæ fœminæ*: Præterquam enim quod non valeant tam diu incommode assidere, ac sæpius opus est ad levandas & liberandas parturientes, manus cum brachiis ipsis sunt prorsus inhabiles, *densæ* nimis & *callosæ*, quàm ut in tenera & angusta corpora intromitti queant, quin fœminis ingentem afferant dolorem, quem intensum satis percipiunt ex minoribus quidem manibus: nihilominus manus robustiores nonnunquam accommodæ sunt, nec eædem maxime obsunt, sed potius *densa brachia*, quæ ægre in corpus intromitti possunt.

V.

Quintò: Excludimus eas, quæ tanquam *mutilæ*, operi huic sunt impares, quibus *curvi sunt digiti*, *manus* item *cubitique curvi vel rigidi*, vel contrà, quibus eadem membra *flaccida* sunt parumper, vel *laxa*: Ejusmodi ab hoc officio rejiciendæ sunt: Egregiæ enim *obstetrices promtæ sint* oportet & *expeditæ manibus*, *brachiis*, *digitis*, iis enim membris diverse uti opus est, jam rectis, jam complicatis, jam hoc, jam isto modo flexis, prout necessitas & positura tam uteri, quàm infantis postulat: Quibus verò brachia manusve stupent aut flaccent, iis sensus atque vires deficiunt, ideoque huic operi inhabiles sunt.

VI.

V I.

Sextò: Huic operi non idonea ſunt *ſtupida & obtuſa ingenia* rebus diſtincte percipiendis incapacia: Haud ignoro, diſcipulos carere intellectu exercitato, & rudes eſſe rerum, quas non didicerunt: ſed differunt inter ſe *inſcitia & ſtupiditas ingenii*, inhabiles reddens homines ad intelligendum, qui ſi neſciant legere & ſcribere, omnia conando nil niſi jacturam temporis facies. Fœminæ *obſtetricaturæ* calleant literas legendas & ſcribendas oportet, bonos aliquot ad manus habeant libros, ſedulò legendos, relegendoſque, ut quotidie juxta Praxin in Theoria & habilitate proficiant, accurate attendentes omnibus, quæ audiunt, legunt & experiuntur de rebus hiſce.

V I I.

Nec ſint quaſi *manus non habentes*; *nec inertes*, *quæ nequevolunt neque ſciunt quicquam tractare manibus*, propterea munus obſtetricum ambientes, ut inde ſine moleſtia victum ſibi parent: fœminas, appetentes habilitatem obſtetricandi, *vigilantes decet eſſe*, *ſolertes*, *ſedulas & promtas manu*, ad omnia quæ obveniunt: non ſint tardæ vel titubantes ſpiritu; nam in principio laboris tempus opportunum & occaſio vel in quadrante horæ negligi poteſt, quæ multorum deinde matris dolorum, obitusque infantis cauſa eſſe poterit: Quæ ſe ſat citò venire putant, plerumque poſt feſtum veniunt, & magni momenti eſt, opportunum temporis momentum neglexiſſe.

V I I I.

Fœminas *obſtetricaturas* decet ſummopere *gravitas & exercitata agilitas ſenſuum & membrorum*: homines enim leves, diſſoluti & audaculi in rebus tam arduis nil niſi damnum afferre poſſunt: hoc jam negligunt, jam iſtud obliviſcuntur, & per levitatem non ſatis ponderant gravitatem & neceſſitatem rei curandæ; & quod peſſimum eſt, errores commiſſos leviter prætereunt, ſal-

falsò sibi promittentes, se illos resarcituros, negligunt in tempore auxilium petere, sicque incuriâ suâ parturientem cum fœtu extremo vitæ periculo exponunt, non providentes, quæ morti cavendæ inservire potuissent; E contra fœmina *gravis*, *considerata*, *præsentis animi*, casibus inopinatis *haud facilè turbata*, *nec* tamen *ea parvi æstimans*, omnia *accidentia* probe *examinans*, *facilis* alios *consulendo*, sibique *suaderi patiens*, est aptissima ad obstetricandum: Tales enim in partu obvenire solent casus, quibus conjunctis omnium sensuum viribus oportet attendere, atque examinare, quid agendum sit. Et sæpe consilio *prudentis Medici* vel *Chirurgi obstetricantis* summopere opus est, inque tali casu *cauta* esse debet, prompte consilium exposcendo, eique aures præbendo, nî velit errores committere incorrigibiles.

IX.

Fœminas, ad isthoc munus habiles futuras, *beneficas* esse decet, *sospitales* & *misericordes*, æqua promptitudine egenis pariter ac divitibus opem ferant, nec unquam ulli desint in angustiis parturienti, turpis solummodo lucri gratia: Pauperem æque ac divitem Deus formavit ad imaginem suam, utriusque ergo vita æque cara sit ipsis oportet, pro benefica sua charitate retributionem Dei majores divitias ducentibus, quàm exiguam hujus vel istius divitis compensationem, oblatam pro dispendio vitæ, quod patitur hæc vel ista paupercula, vel infans ipsius, qui interire nonnunquam poterit, hoc modo relictus.

Non tamen dicam, *Obstetrici* vel *Chirurgo obstetricanti* omnino non licitum esse ab ulla parturientium discedere, quum alii succurrendum foret, priore alterius curæ traditâ, charitas enim & justitia id postulare poterit, *exempli gratia:* A parturiente quadam accersita *obstetrix* eâdem tactâ sentit, rem bene se habere, & non nisi dolores exigi propellentes, quos dum opperitur, ad aliam vocatur parturientem, cujus prave situs est fœtus, partûsque difficilis imminet periculum: Illa se habiliorem aliis præsentibus sciens, & certa, aliquam non æque peritam apud priorem

rem parturientem vices suas agere posse, tenetur eandem ipsi tradere, posterioremque sublevare, nec id omittere licet, si *christianè* velit agere, quanquam prior opulenta, posterior verò paupercula sit; neque enim Deus respicit personas, & qui scit bene facere, peccat, si omittit.

Ast si fortè opulenta & paupercula pari periculo pressæ, ejus egeant auxilio, citra opulentiæ vel paupertatis respectum illi primùm succurere decet, cui ipsam primùm adjunxit divina providentia; aut si contrarium postulet ratio, (prout quandoque prægnantes causas urgere posse opinor) aliûs certe rei quàm lucri rationem habendam esse puto, vita enim humana omni prævalet lucro.

X.

Atque isthoc mihi præbet occasionem asserendi, quòd *obstetricem* oporteat *studere conscientiæ*, atque *Deum vereri*: Res arduæ enim ipsi concreduntur, & si bona esse nolit, plurimum nocere potest clanculum matribus æque ac infantibus, ecquis contra ipsam causam dicet, cujus opera in obscuro peracta oculos fugiunt hominum? *Temerarium* illius *ausum*, & *ignavia*, & *mollities*, & *incuria* in multos eam errores inducet parturienti fœtuique noxios, si conscientiæ non attenta se ipsam timore Dei vincere nescit, oblita officio fideliter fungi: At *timore Domini præmunita*, *sibi ipsi diffidens*, seque *divinæ opis indigam gnara*, inspiritu precum circumspecte aget, confugiens semper ad Deum, qui seriò imploratus benigne dat sapientiam, si cui deest.

XI.

Nec minus *Obstetrix* sit *benigna, comis atque mitis:* vasa enim infirmiora sunt fœminæ, parturientes sunt dolentes & morosæ, ut & sæpius pusillanimes, quibus *obstetrix animum addat* oportet, atque spe fulciat, quantum status parturientis & infantis

permittit; non opus est ipsi quævis incommoda aperire, dummodo spes sit eadem averruncandi & corrigendi.

Obstetrix sit *patiens* oportet, parturientes, sive dicto sive facto erraverint, benigne instruat, præsertim in primo puerperio, quo novitiæ sunt & nondum exercitæ.

Hoc verò non obstante in rebus magni momenti, ubi necessitas urget, nec consilio attendit parturiens, *severe monenda* officii est ab *Obstetrice*, quæ sagacitate opus habet, ad dignoscendam indolem fœminarum: multæ enim instar puerorum jam lenitate, humanitate, bonitate, jam severitate & increpatione ad officium adigendæ sunt: dantur miserè molles, sibique adeò parcentes, ut malint fœtum in medio partu perire, quàm omnibus, ut ajunt, unguiculis allaborando ad eum promovendum aliquatenus defatigari, imò si quibusdam liceret mollitiei suæ indulgere, non solum fœtum, sed & seipsas perderent potius quàm ferrent dolores necessarios ad fœtum, prave ostio inclinantem, vertendum & extrahendum. In hoc statu *obstetrix* vel *Chirurgus obstetricans* severe moneat parturientem officii oportet, eandemque simul spe felicis & celerrimi puerperii fulciat.

XII.

Minime etiam convenit, *obstetricem* esse *ingenii obstinati & pervicacis*, potius sensa sua *prudentis Medici* vel *Chirurgi obstetricantis* consilio subjicere decet, qui eruditione & peritiâ prævalere poterit: Quæ verò præ arrogantia rem ad arbitrium referre prudentiorum, vel suam provinciam alii tradere recusant, solent audere omnia, vitamque matris & infantis superbiæ suæ tanquam victimam mactare, eandem extremo exponentes periculo.

XIII.

Neque convenit, *Gravidas hoc munus obire*: periculo sane non caret, quòd plurima evenire possunt, quæ terrorem incutiunt & consternant; alienæ verò impressiones vel tactu vel visu perceptæ embryoni fortè nocebunt: præterea certum est, gravi-

Unable to display this page

tis horribilibus instructum, venire auxilio agonizanti, qui plerumque hoc primum habet, inter temerarias pejerationes matrem lædere, tum vivum infantem occidere, pòst illum multis tormentis frustulatim extrahere, denique pro egregia hac opera nullo præmio satis expleri.

Utinam isti *Chirurgi* operam suam commutarent cum carnifice aut lanione, satius id esset, quàm hominem ad imaginem Dei formatum male adeò tractare, eoque *Obstetricatoriam artem* omnium odio exponere: Nullus enim dubito, quin *Chirurgorum obstetricantium* opera vulgò grata foret, si, uti decet, leniter, verecunde & modestè parturientibus subvenirent.

Non possum non hîc loci notare maximum istud vitium, quo laborare *Chirurgus* poterit, *avaritiâ* nempe inexplebili, qua sitienter appetit lucrum præ salute proximi: Atque hoc vitio teneri deprehenditur *Chirurgus*, si accersitus rus vel in urbem aliquam parturienti manus admovere recusat, nisi prius certa pecuniæ summa numerata fuerit, etiamsi mutuari, vel à vicinis propter Deum colligere sit necesse. Facilè quidem divinare possum, istos facto excusationem prætensuros esse: nisi urgente necessitate nummos prius accipiant, plerosque homines, pauperes imprimis ingratè sibi neque pro merito præmium persoluturos, quin alios omnino nihil retributuros fore.

Equidem non diffiteor, multos cæcos homines beneficium *obstetricantium* haud digne satis æstimare, nescientes, sicut operarius ipse dignus mercede est; ita quamlibet operam *pro merito* solvendam esse, *pro merito*, inquam, *pro dignitate* nimirum *operæ*, non pro longitudine temporis collocati: quis enim cogitare ausit, operam *Chirurgi*, qui calculo feliciter exsecando horulam vel semihorulam impendit, pro ratione temporis impensi compensari, perinde ac si operario mercedem solveres conducto? nullus, opinor, isti operi incumberet: num oculario Medico, qui suffusionem oculi tollendo, hocque modo cæco visum reddendo semihorulam impendit, merces solveretur, uti conducto operario? neminem invenires tibi operam locaturum:

pari ratione *Chirurgus* obstetricando, quantum in ipso est, vel prægnanti, vel fœtui, vel utrique vitam servans, extraordinarium sane meretur præmium, tanto beneficio aliquatenus condignum.

Sub hoc titulo non sit extortum oportet pretium, neque superet facultatem earum, quibus subventum est, neque propterea, quibus nummi non suppetunt, relinquendæ, certove mortis periculo exponendæ sunt: ubinam aliâs *charitas*, *misericordia*, & *Christianum adjutorium?* quæ si hîc non, certe nusquam gentium locum habebunt. Igitur ejusmodi operam quilibet pro facultate compenset, *obstetricantes* verò nulli desint, etiam, quibus non est, unde restim emant, æque benevole succurrentes, ac qui divitiis abundant: Benevolus iste animus benedictionis divinæ ad omnes conatus certissimum erit invitamentum.

CAPUT II.

De Theoria Obstetricibus necessaria.

THeoria praxin, ut corpus umbram præcedit, qui nescit, quid agendum sit, nescit effectum dare, multo minus modum bene agendi sciet, qui ex praxi tantum sapere satagunt sine prævia rerum cognitione, sæpissime falluntur, & omnium experientiâ certum est, quòd scientes, quid agendum sit, necesse tamen habeant, agendo exerceri, priusquam scite agere possint, quod probe cognovisse opinabantur, imò quod revera probe cognoverant: membra enim non tam expedita sunt agendo, ac intellectus percipiendo, hocque in causa est, quòd effectus parum sæpe respondeat ingeniis maxime solertibus.

Quum igitur *Obstetricantium opus* ut plurimum *intellectu & sensu* perficiatur, omnino necessarium est, Obstetricaturas probe informari res eum in finem cognoscendas, quas ordinis servandi gratia his thesibus proponemus.

1. Requiritur *generalis* aliqua *cognitio muliebrium*, quæ generationi inserviunt, *partium*, quales eæ, ubi vel quo loco sitæ

sint: *generalis*, inquam, *cognitio*; etenim haud necesse habent omni illa subtili contemplatione & exacta observatione, quam de ista re *curiosi* protulerunt *Anatomici*; satis est exempli gratia, si habeant superficiariam, distinctam tamen, cognitionem *Uteri*, ejusdem *Vaginæ*, *Pudendi muliebris*, *Vesicæ*, & *Intestini recti*, *Pelvis*, cum *Ossibus* in ea, ejusdemque *formâ* vel *figurâ*, in qua (Pelvi) Vesica, Uterus cum Intestino recto sita sunt, *Secundinæ* porro, & *Humorum*, quibus fœtus innatat & inclusus est.

2. Generalis, imo *specialis cognitio*, quomodo prægnans debeat *tangi*, quid sit iste *Tactus*, cur necessarius, & cuinam rei inserviat.
3. Quomodo *secundina excludenda* sit.
4. Quomodo omnes prave siti fœtus *verti*, aut *pedibus extrahi* queant.
5. Quænam res ad manum sint oportet, ut probe fungatur Obstetrix officio.
6. Quomodo *se gerere* debeat *post partum* erga Matrem & Infantem.

CAPUT III.

De Pelvi ejusque Ossibus, in qua situs est Uterus & per quam Infantes in partu transeunt.

Plerisque forsan alienum videbitur, *Obstetrices instruere cognitione Pelvis ejusque Ossium*, variæ item ejusdem Formæ & Figuræ; sed falli istos arbitror, qui cognitionem Pelvis inutilem censent, vel non necessariam; tantum abest, me idem sentire, ut contrà asseram, eandem Obstetricibus non modò utilem, sed & summe necessariam esse, ita ut sine clara istius rei idea in incertum porrectâ manu, & quasi cæcutientes agant, si parturientibus in pravo vel non naturali partu adsunt auxiliatrices, unde non nisi multos errores committere possunt.

Ne-

Necessariam horum ossium cognitionem cum eorum forma vel figura silentio præterirem, si quidem priores sequi luberet Scriptores, vel uno saltem digito attingerem, ut parum vel nihil commodi Obstetricibus inde proveniret; sed rato, horum *Ossium cognitionem summe necessariam* esse *obstetricibus*, necessarium etiam visum est, istorum *Figuras* ipsis impertire, quanta quidem fieri potuit perspicuitate à solerti Pictore accuratissime ad vivum depictas.

Sed monitum hic Lectorem velim, ossa Pelvim constituentia in vera sua constitutione vel naturali flexura omnia simul difficulter repræsentari posse, quòd unius aspectus alterius aspectui facilè obstet, quare necesse fuit, integram Pelvim *duabus* sequentibus *Figuris* bifariam proponi, quarum prior præsentat *Pelvim integram rectà ab anteriore parte* inspiciendam, ubi singula ejus Ossa clare & distincte videri possunt, ut & superior ora concavæ Pelvis, cum ipsius forma & capacitate secundùm Ossium proportionem.

Quia verò in hac *Figura* in cavitatem Pelvis introspiciens *Os sacrum* ex adverso adspicit, hocque modo ejusdem flexura & incurvatio non potuit delineari, majoris evidentiæ ergo sequenti *Figura* Pelvim pingi *à latere* curavi.

Utque eò melius clariusque inspici possit *flexura Ossis sacri*, eum in finem sinistri lateris Ossa omissa sunt, sicut in sequenti Figurarum explicatione videbimus.

Qui verò ex hac delineatione distinctam nondum concipere possunt ideam Pelvis, ad has Figuras inspiciant unum vel alterum *Sceleton*, imprimis *muliebre*, & omnia ipsis perspicua fore confido, simul etiam videbunt, hæc Ossa clarius delineari non potuisse. Ad discernenda verò *mascula* & *muliebria sceleta* hoc addere lubet, quum & scopo nostro inserviat, scilicet, partes infimas Ossium sedentariorum in *sceleto muliebri* magis plerumque distare, neque adeò deorsum, versus Ossis coccygis acumen inflecti, ut in masculo Sceleto; id quod sapientissimus atque benignissimus *Creator* ita constituit ratumque habuit ad evita-

tio

tionem plurium adhuc partuum difficilium, qui tamen satis frequentes sunt.

Explicatio 1. *Figuræ.*

a a Ossis sacri superior pars, demptis lumborum vertebris.

b b b b Alæ pelvis, quæ quibusdam dicuntur *Ossa ilium*, quòd *ilia* illis incumbant: hæc proprie non constituunt cavitatem sive profunditatem pelvis, sed sunt quasi margo pelvis alicujus tonsoriæ, neque tamen Pelvim undique ambiunt sua latitudine nec à parte anteriore, nec posteriore, sed saltem ab utroque latere sunt annexa, magis tamen vergunt versus posteriorem partem, quàm anteriorem, sed prope literas *c c c c* margini Pelvis cavæ constituendæ simul inserviunt, & prope literam *f* (ubi alterum internorum Ossium lateralium ostenditur, quod nil aliud est, quam mucro lateralis descendens ab Osse ilium) constituunt partem Pelvis interiorem.

c c c c Postica pars supremi marginis Pelvis, proxime Os sacrum.

d d d d Ossa pubis, quorum suprema pars marginem cavitatis Pelvis ab antica constituit.

e e e Prominens curvamen Ossis sacri, constituens posticam partem marginis cavitatis Pelvis.

f Descendens mucro vel internum latus descendentis particulæ sinistri Ossis ilium, uti supra dictum.

g g Pyxides vel acetabula Ossium coxendicis, in quibus capita femoris moventur.

a a e e e h h h h Vertebræ Ossis sacri apparenter tales, plerumque unum os constituentes, cum foraminibus suis & connexionibus.

h h h Acumen ossis sacri, dictum os coccygis, constans tribus minoribus vertebris, ligamentis cohærentibus, sicut vertebræ lumborum.

j j Duæ descendentes particulæ Ossium ilium.


Fig: 1
a
a
os Ilion
b
b
e
e
e
h
c
f
h
b
m
h
m
D
c
h
os Coxendicis
h
os Coccigis
h
h
f
g
E
os Pubis
os Coxendicis
os Coxendicis
k
L
k1
k1
L
k2
Sit beentie
Sit beentie
k3
k3
Ihi. Boultats fecit.



k 1. Descendens pars ossis pubis.
k 2. Descendens pars ossis sedentarii sive coxendicis.
k 3. Locus, ubi os pubis, & os sedentarium sive coxendicis cohærent. *NB. Acumina ossis pubis ego nomino ossa sedentaria, quia illis insidemus.*
ll Foramina ossium pubis vel sedentariorum. Utraque enim, os sedentarium sive coxendicis, & os pubis conjunctim componunt hæc foramina.
m m Cavitas pelvis.

Ulterior horum Ossium explicatio.

Singulis ossibus pelvis nominatis & delineatis porro observandum est:

1. Ista ossa non in singulis hominibus, neque in singulis mulieribus unius ejusdemque formæ esse, sed *differre* & *formâ* & *quantitate*, pro habitu corporum vario.

Nec semper in maximi corporis mulieribus amplissimam pelvim, at contrarium quidem nonnunquam invenire licet; quibusdam pelvis est profundior, quibusdam latior, nonnullis amplior, planior nonnullis, rotundior aliis, aliis magis ovata data est, cujus rei ratio reddi non poterit; exinde tamen nobis occasio suppetet proponendi in sequentibus varias observationes necessarias plane, & utiles ad informationem *Obstetricantium.*

2. Isthæc ossa non in singulis hominibus ejusdem sunt substantiæ: In nonnullis enim multa nervosa vel cartilaginea invenies ligamenta, quæ in solidam ossis substantiam abierunt; in quibusdam adeò conglutinata sunt ligamenta, ut ægre dignosci possint, semperne unum vel plura ossa fuerint; unde sequentibus patebit, hanc ob causam aliam fœminam facilius parere aliâ, ossa enim in alia firma & immobilia omni obsistunt laxitati, in alia verò cedunt & flectuntur ad impetum infantis progredientis.

3. Isthæc ossa ligamentis sibi invicem aptantur & coalescunt, itaque dum nondum induruerunt vel in os abierunt, extendi &

laxari impetu, atque sejungi à se invicem possunt: quare non rejicienda illorum sententia, qui ossa pubis multo parturientis labore longe divulsa se sensisse testantur, licet id rariſſime fieri censeam, neque opus sit ista disjunctione, quum parum levaminis afferat, nec inde petendum sit auxilium.

Maxima apertio & amplificatio pelvis, quà pateat fœtui via, non à separatione ossium pubis, sed à retrocessu ossis sacri, vel totali, vel quoad acumen ejus sive os coccygis, exspectanda est. Difficillimum reddit partum non tam angustia superioris oræ pelvis, quàm exiguum spatium inter ossa sedentaria & os coccygis, imò neutrum horum progredienti fœtui maximo impedimento est, sed plerumque situs infantis perversus vel potius uteri, quin & utriusque simul, exitum intercludit, ut proinde parum interſit, ossa pubis divellantur, necne.

Omnia ossa, ligamentis connexa, dearticulari possunt, locoque naturali moveri, & certis casibus quàm maxime dissolvi: Vidi ego pueros, quorum ossa femoris inserta quidem erant ossibus coxendicis, attamen ambulando alterum os duorum digitorum latitudine sursum protrudebatur, ut æque claudicarent altero latere, ac si femur luxatum fuisset; interim non nisi ligamenta ossis coxendicis, vulgo ossis ilium, dissoluta erant, quo singulis gradibus totus pes sursum trudebatur & deorsum, imò nullo negotio unâ saltem manu sursum & deorsum moveri poterat sine ullo corporis motu.

Expertus etiam sum in puero quodam, os femoris callo cum osse coxendicis coaluisse, ita ut firmum & immobile acetabulo inhæreret; at multa agitatione ossis coxendicis ligamenta, quibus ossi sacro & ossi pubis cohærebat, soluta sunt, quo se eousque incurvabat, ut sellæ insidere, manibusque pedes contingere potuerit: os enim coxendicis movebatur eo fere modo, quo os scapulæ, quod cum osse humeri callo quodam coaluit, quo pacto istiusmodi brachia multifario motu gaudent, quia scilicet scapula unà cum brachio singulis movetur vicibus, id quod sæpius accurata attentione ipsemet observavi; at verò motus isti non adeò prompte commodeque (ut aliàs solet) succedunt. Qui-

Quibusdam operam dedi male habentibus, quorum vertebræ spinales sibi invicem super impositæ erant, adeò ut omnibus inferioribus membris capti fuerint, pedibus motu voluntario penitus destitutis, quibus tamen motus gradatim restitutus est, quoad ego vertebras in suam quamlibet sedem redegi, unde stare rursus & ambulare illis datum est, licet nunquam eodem, quo antea, robore, quia vertebrarum dearticulatio nunquam plane adeo correcta est, quin semper remanserit articulatio quodammodo inepta.

Multi quoque altero, vel utroque latere claudicantes incedunt, lumbis incurvatis, genibus introrsum obtortis, pedibus divaricatis, eorumque digitis introrsum versis: pravæ hujus constitutionis causa est contractio nervorum, superiorem ossis coxendicis partem anticam versus protrahentium; unde os coxendicis & os femoris se invicem non recte, sed oblique excipiunt: Istos homines vulgo, sed perperam, dicunt (*geswikt*) subito & violento quasi corporis retrorsum inflexu læsos esse; alii opinantur, coxendice istos luxatos esse, intelligentes dearticulationem ossis femoris & ossis coxendicis; sed error est, ex neglecta observatione accurata proveniens, nec alia ejus rei, quàm suprà dixi, causa est.

Quibus exemplis planissime patet, ligamenta extendi, & consequenter ossa plus minus sejungi posse, quoad scilicet ligamenta mollia sunt, magnusque in illa fit impetus: An verò in partu plerumque id eveniat, hic loci non inquiremus, quia commodius dici potest, ubi de partuum difficilium causis.

Explicatio 2. Figuræ.

a a a a a Sunt quinque lumborum vertebræ, componentes spinæ dorsi partem.

b b b b b b Vertebræ apparenter tales, constituentes Os sacrum.

c c c Os coccygis, constans tribus verticillis, qui ligamentis cohærent, quare flexile Os isthoc est.

d Os ilium dextrum.

e Os pubis dextrum.

f Ejusdem Ossis pubis dextri latus abscissum, quo mediante ligamento cum sinistro conjunctum fuit, in quo loco abscisso scrobiculi & foramina conspiciuntur, quibus Ossis ligamentum innexum fuerat.

g Os sedentarium.

h Os coxendicis, sive descendens acumen ossis coxendicis, quod infrà *lit. g* confert ad constituendum os sedentarium, ita ut *f g h* conjunctim componant os sedentarium, id quod suprà *lit. f* descendens pars ossis pubis, & *lit. h* os coxendicis dictum est, quæ in infantibus tria distincta ossa sunt: os pubis enim à *lit. f e* usque *n* extenditur, ubi in infantibus separatur ab osse ilium & ab osse coxendicis, & à *lit. f* tendit deorsum versus *lit. g*, ubi ligamento cartilagineo ossi coxendicis cohæret, quod ligamentum cartilagineum demum in os abit & indurescit; itidem ligamentum cartilagineum ossi coxendicis adhærens *lit. n* successu temporis indurescit, & in unum cum osse coxendicis os abit: atque hæc tria ossa, scilicet os pubis, os coxendicis & os ilium (*lit. n* in infantibus sigillatim diversa, ligamentisque sibi invicem cohærentia) conjunctim pyxidem illam vel acetabulum constituunt, in quo caput femoris vertitur, quod *primâ Figurâ lit. g* notatur.

jjjj Linea designans ventrem.

k Locus umbilicum ventris repræsentans.

l Prominens curvamen ossis sacri.

m Spatium inter os pubis & acumen ossis sacri, dictum os coccygis.

n Locus, quo in infantibus tria illa ossa, scilicet ilium, pubis & coxendicis discernuntur, & ligamentis sibi invicem cohærent.

Ulterior horum Ossium Explicatio.

Duplici potissimùm ratione ductus, isthæc ossa *obstetricanti-*

bus

Fig: 2


A
B
C
k
J
J
J
J
os Ilion
d
os Pubis
c
n
os Coxendicis
h
f
g
P
a
a
a
a
a
b
b
b
b
b
o
o
L
os Coccygis
m
c
c
c
b
b

bus à latere conſpicienda propoſui: *primò*: ut hoc pacto *incurvatio oſſis ſacri* exactiſſime repræſentetur; impoſſibile enim erat iſtam incurvationem oſtendere in *prima Figura*, in qua ſicuti cavitas pelvis ejuſque partes exteriores plene conſpiciuntur; ita in hâc partes interiores, imprimis autem *incurvatio oſſis ſacri*, commodius præſentantur: Os Sacrum enim & ſpina dorſi non rectâ lineâ deorſum ducuntur, ſed ſpina dorſi primò aliquantulum anticam verſus inferioribus ſuis primiſque Oſſis ſacri vertebris curvatur, tumque ſubitò retrorſum flectitur, ita ut in quorundam corporibus in triangulum fere declinetut: Et hoc quidem plurimum fit, ſi quando duæ vel tres ſuperiores vertebræ brevi & curvâ pariter gaudent inflexione, quod ſæpe contingit. Verùm quemadmodum os ſacrum ſuperiore parte poſticam verſus vel extrorſum flectitur; ita è contra inferiore parte à *lit. l* uſque *m* anticam verſus vel introrſum curvatur, acumine verſus imam oſſis pubis partem porrecto, ubi cum oſſibus ſedentariis & coxendicis anguſtum meatum conſtituit, in cujus intervallo *uterus*, *vagina*, *inteſtinum rectum* & *cervix veſicæ* ſita ſunt.

Altera ratio proponendæ *hujus Figuræ* fuit, ut inde ab initio *obſtetricantes* liberem ab opinione erronea quâ plerumque ducuntur, quia accurate non noverunt horum oſſium ſitum: plerumque enim ſibi perſuadent, uterum cum Vagina ſecundùm longitudinem corporis ſitum eſſe; ideoque tangentes fœminam digitos in vaginam rectà protendunt ſecundùm longitudinem fœminæ, & hoc pacto offendunt oſſis ſacri curvamen, ſcilicet ejus partem retrorſum flexam cum inteſtino recto, unde digitis reſilientibus ore uteri non invento confunduntur: At verò iſta erronea evaneſcet opinio, quàm primùm in ejus locum ſucceſſerit clara cavitatis Pelvis idea, uterique in ea poſituræ imago.

Cavitas Pelvis longitudine ſuâ non ſecundum longitudinem ſpinæ dorſi tendit, ſed *ab imo oblique anticam verſus aſcendendo* progreditur, quaſi per eam umbilicum ventris attingere velis; quare quærentes os uteri non rectà verſus curvatum Os ſacrum

digitos intrudere debent, sed ab imo sursum tendere, quasi per muliebria umbilicum ventris manu attingere vellent: Et ut clarius hoc pateat, hanc tibi *secundam Figuram* ob oculos ponito à latere conspiciendam, & aspicies ab antica os pubis, simulque ex adverso cavitatem ossis sacri intueberis; tenta jam digitos per ossa pubis (muliebrium scilicet locum) secundum longitudinem corporis protendere, & videbis, te digitis adversum Ossis sacri curvamen tangere: at verò manu inflexa digitis ab imo ossium pubis versus umbilicum tendenti mox occurret os uteri, tanquam primum, quod obvium se tibi dabit.

Hanc quidem observationem fortassis nonnulli vilipendent *Practici*, putantes parvi istam referre *Obstetricantium*, sed ego, non ignorans, quantâ inde confusione ab initio Praxis meæ laboraverim tam necessariæ observationi non attentus, tale offendiculum removere quidem volui, vel saltem indigitare, quò alii id sciant evitare; ex sequentibus enim hujus Libri patebit, si de Parturientibus sermo erit, quantum utilitatis inde resultet.

Quærentibus autem: *quantæ* sint *Pelves* mulierum? respondemus: variare istas, prout quantitate variant fœtus easdem transeuntes, & optime congruere cum capitibus Infantum, quæ quidem quandoque non nisi cum violentia penetrare possunt.

CAPUT IV.

De Utero.

TRaditâ jam Obstetricantibus necessariâ *Pelvis* ejusque ossium *theoriâ*, porro dicendum erit de *Utero*, utpote *Genitali*, *Mulieribus proprio*, quo semen virile concipitur & asservatur, usque dum Embryo perficiatur & matureſcat. Mulier expers uteri liberos procreare non potest, licet nonnulli, sed perperam, id opinati sint, rati, post exsectum vel abscissum uterum quasdam adhuc genuisse prolem; sed accipientes *Vaginam* uteri pro ipso *Utero*, erraverunt: ex diversis enim exemplis



Fig: 3.

plis patet, uteri vaginam longe prolabentem contractâ corruptione abscindi debuisse, quo tamen non obstante istæ Fœminæ, curatione peractâ, liberos adhuc procrearunt: At nulla unquam fœmina uteri expers partum edidit.

Ut verò clarius & distinctius rem proponamus, uterum consideremus vel *per se*, vel *conjunctim cum vagina*, *ante* vel *post imprægnationem*. *Ante imprægnationem* fœminis non gravidis & Virginibus uterus est crassæ admodum & solidissimæ substantiæ, compositus ex innumerabili multitudine fibratorum vasculorum, *venis* scilicet, *arteriis*, *nervulis*, *vasculisque lymphaticis*, interpositis particulis *musculosis*, quæ omnia scite admodum contexta, commixta & coadunata *isthoc mirabile Corpus* constituunt: Meritò quidem corpus hoc dico *mirabile*; quippe nullo non tempore Sapientes & Eruditi, Miracula Naturæ contemplantes, *eximium hoc Miraculum* suspexerunt.

Uterus per se consideratus Figurâ externâ cuidam pyrorum generi haud absimilis est, infrà tamen & suprà vesicæ & Intestino recto adjacens, magis complanatus, ibique lævis & æqualis est, sed ab utroque latere minus æqualis, uti *sequens Figura* monstrat.

Explicatio 3. *Figuræ.*

a Uteri fundus.
b Os uteri.
c c Uteri Vagina dissecta, ut os uteri cum rugis appareat.
d d d d Ligamenta uteri, cum membranarum aliquâ parte.
e e Tubæ uteri, sive cornua cum membranis, post quas testiculi latent.

Hanc ego *Figuram* naturali circiter magnitudine ad vivum delineari curavi, quò *Obstetricantibus* hujus rei vivam quasi imaginem suppeditarem, ut facilius caperent, quæ sequentibus de ista dicentur, ut & differentia pateat uteri *imprægnati* & *non imprægnati*: Sequenti enim *quartâ Figurâ* uterum proponemus imprægnatum. Id verò hic loci addendum puto, uteri cavitatem

tem internam minimam esse, imò tam exiguam, ut, si uterum nullâ prius extensione factâ dissecces, cavitas instar rimæ saltem appareat, superiore parte inferiori impositâ sine intervallo, ut vix comprehendi possit, quî semen virile eò penetret, nisi tempore concubitûs dilatetur sensu & delectatione, quâ Fœminæ tum præcipue gaudent, quæ forsan inservit *conceptioni*, sicuti postea *partui* dolores inserviunt.

Instituti mei non est, hîc loci dicere de *conceptione*, ejusque modo, unde & quomodo sit fœtûs principium & incrementum; quomodo nutriatur iste, & de aliis quâm plurimis rebus, quæ *obstetricantibus* scitu non sunt necessariæ.

Quapropter hic loci non differam *de Tubis* uteri, neque de *testiculis Mulierum* &c. sed verbo saltem de *Ligamentis* mentionem faciam, quorum præcipuus *usus* est: 1. uterum non imprægnatum rectum tenere, idque aliquandiu quoque tempore imprægnationis. 2. post partum eundem mediante contractione in pristinum locum & genuinam restituere posituram: Extensio enim & laxitas Ligamentorum & Membranarum, quibus uterus alligatur, ansam præbent *procidentiæ*, & *obliquæ* uteri *posituræ*, de quibus fusius sequentibus.

Uteri corpus non ità solutum & liberum in corpore situm est, uti hîc ostenditur: sed superiore sui parte *vesicæ*, inferiore *Intestino recto* connexum est, utroque latere *Membranis* & *Ligamentis*, non quidem prope fundum, sed prope orificium adhæret, quod orificium uteri undique annexum est *Vaginæ*, sicut ex hâc *tertiâ Figurâ* patet.

CAPUT V.

De Vagina Uteri.

UTero eo modo & loco, quo Sapientissimo Conditori placuit, constituto, necessum etiam erat, ad eundem Membro virili patere aditum: Itidem utero imprægnato, fœtuque jam perfecto, opus erat transitu, per quem in lucem pro-

prodire queat. Transitus iste à Pudendo muliebri ad uterum, & viciſſim, plerumque *Vagina* uteri appellatur; aliis *Collum* dicitur: Quamvis verò perinde ſit, quænam rebus imponantur nomina, modò intelligas, quid denotent; ea tamen deligenda ſunt, quæ rei maxime conveniunt minuſque confundunt conceptus & ſenſa ſua iisdem exprimentes: Et licet nomen iſtud *Vaginæ* mihi non ſatis clarum videatur ad denotandum tranſitum iſtum ſive viam uteri ad pudendum, & viciſſim, ſolùmque evitandæ novitatis ergo alio uti nolim, nomen tamen *Vaginæ* præfero nomini *Colli*, quia ſæpius Auctores, eodem utentes, *Vaginam* ab ipſo *Utero* ægre diſtinguere poſſunt, ideoque opus habent oſtium utriuſque diſcernere nomine *oris interioris* & *exterioris*, intelligentes *interiore* Uteri *ore* Os vel oſtium uteri ipſius, *exteriore* verò Muliebria, ſive oſtium Vaginæ uteri, quod ſæpius Lectorem confundit, quam confuſionem ut evitemus, eundem hîc loci monitum volumus: quemadmodum ipſe uterus unico ſaltem ore, oſtio vel apertura gaudet; ita nos nullum unquam aliud orificium intelligere, quoties nobis de Ore uteri ſermo eſt, nec unquam nos conſiderare uterum aliter, niſi (uti revera eſt) tanquam *Corpus per ſe*, licet aliis partibus annexum ſit; At ſi nobis ſermo fuerit de Uteri *Vagina*, nunquam cum ea ſimul nos comprehendere ipſum uterum; & hoc pacto, opinor, nulli nos confuſioni obnoxios fore.

Iſthæc uteri *Vagina rugoſa* eſt, plurimiſque conſita plicis, ut ex *tertia* patet *Figura*: facillime in latitudinem & longitudinem extenditur, idque neceſſarium erat, ut tempore partus tranſitum fœtui concedat, deinde verò rurſus contrahi queat: in longitudinem etiam extenſiva ſit oportet, ut tempore graviditatis poſſit prolongari; Utero enim tum temporis ſæpe longius in ventrem aſcendente neceſſariò *Vagina* in longitudinem debet extendi.

Itidem *Lævis* eſt *Vagina* uteri & *lubrica*, plerumque viſcoſa quâdam & glutinoſâ materiâ quaſi inuncta, quò facilius, uti dictum, fœtui tranſitum concedat. Quemadmodum autem mol-

Unable to display this page

cohæret *Inteſtino recto*, *ſupra* autem *Cervici veſicæ*: Ipſe verò Uterus non niſi *inferiore parte*, prope oſtium ſcilicet vel Os, & paulo ſuperius, alligatur tam Inteſtino recto, quàm Veſicæ, nec niſi vi poteſt avelli.

Quoniam igitur Uterus inferiore ſaltem parte Veſicæ & Inteſtino recto alligatur, ejus non impeditur extenſio & dilatatio, ſed libere ampliari pro neceſſitate poteſt: Quumque & Veſica & Inteſtinum rectum ſint partes laxæ & molles, Utero liberrimum eſt, deſcendere pro neceſſitate, & elevari.

Uterus in ſuperiore parte cavitatis Pelvis ſitus eſt, haud ſine ordine *omnipotentis Dei* ſapientiſſimo, qui certâ dimenſione omnia ſua opera *condidit ſapienter*; locus iſte Viri Membro occaſionem præbet (vi prius ejaculatoria in muliebri Vagina motu excitata) ejaculandi ſemen in ipſum uſque fundum Uteri; id quod ægre fieri poſſet, ſi uterus in antica propatulus fuiſſet poſitus, aut certe aliter formari neceſſe fuiſſet.

Iſte locus etiam ipſi utero præbet occaſionem extenſionis, ut, ſubinde accreſcente fœtu, in dies pro neceſſitate dilatari queat, quod tam commode non poſſet fieri, ſi uterus in infimo pelvis loco ſitus eſſet; pleræque enim pelvium cavitates minores ſunt, quàm ut fœtum ad ſummum uſque incrementum capere poſſint.

Si verò uterus in ſuperiore corporis loco poſitus eſſet, ſterilitas inde oriretur, quòd ſemen virile per diſtantiam in fundum uſque injici non poſſet: etſi verò conciperent fœminæ, ex iſto tamen loco diſſito plures provenirent partus difficiles, quàm modo jam conſueto: imò multis fœminis impoſſibile foret partum in lucem edere, nec auxilium adhiberi poſſet: huic verò malo remedium invenit *adoranda Dei ſapientia*, ponendo uterum loco maxime accommodato.

CAPUT VII.

De Utero Prægnantium.

Uterus prægnantium maximè differt ab utero *non prægnantium*; quantum enim fœtus cum ſecundina & humoribus, quibus innatat, accreſcit & augetur, tantum & uterus neceſſariò ſubinde extenditur; & quoniam uterus plurimùm partibus inferioribus alligatur, ibi minus poteſt extendi & dilatari; iſthæc ergo dilatatio & extenſio fit *in ſuprema plurimùm parte*, quæ craſſiſſima, liberrima & quàm maxime apta eſt ad extenſionem neceſſariam.

Uterus plurimùm *parte ſui ſuperiore* extenditur, *Fundo* ſcilicet, uti plerumque vocatur, unde neceſſariò ſequitur, eundem altius ſubinde aſcendere, & in cavitate ventris locari: id verò non ſemper, nec in ſingulis fœminis uno eodemque modo fit.

Antequam verò uteri in prægnantibus locum monſtremus, difficultas quædam oborta removenda erit, diverſam quorundam Auctorum ſententiam de *craſſitudine uteri impræ-gnati* concernens; quidam enim putant: uti ampliorem, ſic & *craſſiorem fieri* uterum; alii contrà, quò magis extendatur, eò magis *extenuari* uterum, cenſent: Quum igitur magna hujus rei ſit differentia, de iſta inquirere opus erit, veritatemque in lucem proferre, quò *obſtetricantes* erroris moneantur. Et hæc res meo judicio peculiare caput abſolvet: Prius verò inſpiciamus *formam uteri imprægnati* & *extenſi*, licet non ad integram uſque magnitudinem.

Explicatio 4. *Figuræ.*

a a Corpus uteri.
b Os ſive oſtium uteri.
c c Tubæ uteri.
d d Ligamenta uteri.
e e Vagina uteri decurtata.



Fig: 4

Phi. Boultats fecit.

CAPUT VIII.

De craſſitudine uteri in prægnantibus.

QUemadmodum in formando homine *divina* maxime effulſit *Sapientia*, ita Ipſi etiam placuit, mulierem præ aliis pluribus animalibus inſtruere tali utero, qui pro neceſſitate poſſet *extendi* & *dilatari*, manente tamen eadem *craſſitie*, qua gaudet, dum adhuc parvus, fœtuſque expers eſt, & qui non obſtante magnitudine ſua & craſſitie, quam habet tempore partus, intra paucos dies horaſve ad priſtinam parvitatem ac firmitatem contrahi poſſet.

De hac re Dominus *Mauriceau* libro de morbis prægnantium inquit pag. 13. *Omnes ferè Anatomicos celebres, & innumeros alios Auctores nos certiores facere, uterum (miraculo Naturæ præ aliis admirando) craſſeſcere tantum, quantum dilatetur à primo inde conceptu uſque ad partum:* Ipſe contrarium ſentiens, ulterius addit: *ſe mirari, Dulaureum, Riolanum, & Bartholinum, præclaras Anatomiæ faces, tam exiguo lumine præditos fuiſſe, ut tantum errorem non agnoverint.*

Ipſe, hac veterum ſententia prorſus rejecta, contrariam aſſerere ſatagens, adeò in alterum extremum rapitur, ut putet, *uterum à conceptione, quo magis extendatur, eò magis extenuari, inſtar veſicæ*, quæ, ſi vacua, ſatis craſſa quidem eſt, ſed quo magis urinâ extenditur, eo magis quoque extenuatur; pari modo uterum ultimo graviditatis tempore ante partum tam tenuem eſſe, quàm veſicam plenam vel extenſam, ſolùmque in fundo paulo craſſiorem eſſe, ubi ſecundina cohæreat.

Huic opinioni, auctoritate quorundam Doctorum fulciendæ, ſubſtruit *Galeni aliorumque* ſententiam, quæ ſi fortè non ſufficeret adverſus tot teſtes, contrarium ſentientes, ad *demonſtrationem* confugit *rationalem*, petens, ut *globus cereus* inſtar uteri, fœtu vacui, extendatur ad magnitudinem uteri parturien-

tis, unde *secundum ejus conjecturam* perspicue pateret, quantæ tenuitatis sit uterus parturientium.

Porro sententiam suam confirmare satagit *sensu prægnantium distincto*, quem percipiunt à fœtu, ita ut fere dignoscere possint, quænam membra moveantur vel eleventur.

Denique destitutus certâ experientiâ, inspectione uteri prægnantium acquisitâ, ad *vulvas* confugit *animalium*, exempli gratia, *ovium*, dicens: *earum vulvam tenuissimam esse, quum edant partum:* sicque se perspicue demonstrasse putat, conjecturam suam fundatam esse.

Quamvis controversiis non delecter, brevibus tamen hujus Auctoris rationes percurrens, sensa mea de istis explicabo, quantum necesse videtur ad eruendam contestandamque veritatem, eoque magis obstrictus sum id facere, quôd contemplatio hujus rei non sit merè speculativa & inutilis, sed potius cognitio necessaria, *Obstetricum muneri* arcte connexa, si quando male progrediens infans artificiosa manu in utero vertendus & extrahendus, vel secundina utero adhærens evellenda fuerit, vel si quis alius casus difficilis acciderit.

Primò quidem, ut prorsus inconvenientem, rejicimus *comparationem vulvæ animalium cum utero mulierum*, quæ certâ quâdam prærogativa præ omnibus animalibus ad imaginem Dei formatæ sunt, longeque diverso utero instructæ: Igitur si veritas sit eruenda, *ex inspectione uteri fœminei*, modò ante, vel mox post partum visitati, id fieri debet; quum verò isto subjecto *Auctor* destituatur, ipsius argumentum non stringit.

Neque auctoritas *Galeni*, vel quorundam ejus assectarum (meo judicio) sufficit, sententiæ tot egregiorum *Anatomicorum* aliorumque Auctorum subvertendæ, vel falsitatis arguendæ, quod satis leviter tentat hic *Auctor:* Etenim ubi provocamus ad *auctoritatem*, *majora vota* contra nos *concludent*, quo concesso, Dominus *Mauriceau* contra seipsum sententiam tulit, confessus, numerum uteri crassitiem statuentium *innumerabilem* esse, quum è contra pauci saltem cum ipso pro contraria

ria ſtent ſententia: Cui ergo non liquet, majoribus votis adhærendum eſſe, uſque dum *ratio* & *experientia* demonſtrent, minora veritati conſentanea eſſe? Sententiis è diametro ſibi invicem oppoſitis *ratio* & *experientia* conſulendæ ſunt; at vix credibile eſt, Dominum *Mauriceau* hac in re experientiâ edoctum fuiſſe, exempla enim protuliſſet, vel ſe tales ſæpius oculis ſuis vidiſſe teſtatus fuiſſet, quales mente ſibi concipit: ſed hoc omiſſo confugit ad vulvas *ovium*, ab iis concludens ad *uteros fœmineos*, contra omnem rationem, quam hic loci explicare non eſt neceſſe: At ſi *vulvam vaccinam* inſpexiſſet, ovinâ longe diſſimilem inveniſſet, ſi quidem verum eſt, quod nuper ex aliquo audivi, qui ſe obſervatione accurata certum eſſe dicebat, craſſitiem iſtarum vulvarum à magnitudine vel parvitate parum differre: Imprimis autem *uterum fœmineum* tam accurate inſpiciendo quàm vulvulam ovillam, Auctor ſe ipſum errore liberare potuiſſet, nec *infinitum* numerum egregiorum *Anatomicorum* falſæ ſententiæ perverſe adeò accuſaſſet, nullo alio fundamento, quàm (ut ipſe fatetur) *ſuâ* nixus *conjecturâ*.

Dominus *Mauriceau* convictus eſt, multitudinem Auctorum verum dixiſſe, quum teſtantur, ſe in gravidis modò ante vel mox poſt partum uterum eâ, quam perhibent, craſſitie inveniſſe, hoc concedit in quibuſdam accidere quidem potuiſſe, ſed inde, tanquam à particulari ad univerſale argumentari non vult concedere, quoniam, inquit verbis *Ariſtotelis*, *id quod naturale eſt, plurimum contingit*. Hic ergo ſenſus ipſius eſt: *certis quidem caſibus contingere poſſe, uteros puerperarum invenire craſſitie integra, ſed iſtud haud naturale neque commune eſſe*: Cui verò fundamento hanc ſententiam ſuperſtruat, neſcio, experientiæ utique ſuæ non innititur, etenim hanc, ſi habuiſſet, in lucem edidiſſet, neque ad vulvas ovium confugiſſet; & quod obſervatione dignum eſt, Auctor iſte diu in ea fuit ſententia, utut evidenti demonſtratione, ſimul & occaſione deſtitutus, uterum talem inveniendi, qualem ipſemet mente ſibi concepit. Cui ergo fides adhibenda? *infinitone* numero egregiorum *Anatomi-*

co-

corum, aliorumque Auctorum conteſtantium, quæ oculis viderant, manibuſque palpaverant? aut conjecturæ Domini *Mauriceau*? videtur mihi res ipſa loqui, quòd multitudini aſſentiamus, quum ab ipſorum partibus ſtet experientia, & naturâ uterus ita ſit conſtitutus, qualem ii omnes invenere; idque eò magis, quòd Dominus *Mauriceau* contrariâ experientiâ non gaudeat.

Confirmare *porro* ſententiam ſuam ſatagit Dominus *Mauriceau ſenſu prægnantium diſtincto*, quo ex motu fœtuum percipiant fere, quænam ſpeciatim membra moveantur vel extendantur, id quod putat impoſſibile eſſe, ſi uterus tam craſſus ſit, ut communis fert ſententia. Ego verò hunc prægnantium ſenſum abſque fundamento eſſe puto, licet ab Auctore *diſtinctus* vocetur: ſatis enim notum eſt, revera confuſum ſaltem eſſe, quum nec prægnantes ipſæ, nec aliæ dicere diſtincte poſſint, hanc vel iſtam corporis partem ab infante elevari: quòd *fere* ſciant, concedo, ſed hoc non contrariatur craſſitiei uteri integræ, imprimis ſi uterus immediate ad ventrem ſitus ſit, non intervenientibus inteſtinis: quamvis enim uterus omnimode craſſus ſit, non tamen eâ ſoliditate, gaudet qua parvus, propterea ſpongioſa ejus craſſities & mollities lenis talem confuſum quidem & conjecturalem ſenſum admittit, aſt inde argumentnm deduci meritò non poteſt pro tenuitate uteri, qualem hic Auctor mente ſibi concipit.

Denique Auctor noſter, evidentibus & ſenſibilibus argumentis deſtitutus, hanc rem *rationibus* demonſtrandam eſſe cenſet, maſſam nempe ceream magnitudine uteri non imprægnati ad magnitudinem uteri prægnantis extendendo, *unde facile conjecturare poſſis*, quam craſſitiem iſte tunc habeat: Cui reſpondeo: concedendo, uterum tenuiſſimum fore, & tenuiorem quidem veſicâ urinâ dilatatâ, ſi non aliter ac maſſa cerea extenuetur: ſed videndum prius, an ratio & experientia evincant, extenſionem uteri (ſenſim & naturaliter factam) & maſſæ cereæ uno eodemque modo fieri.

Ra-

Ratio nos docet, magnam esse differentiam rerum animatarum & inanimatarum: istæ copiâ vel inopiâ nutrimenti vivifici vel extraordinariâ humorum affluentiâ accrescere vel decrescere possunt; hæ verò eædem semper manent, ergò similis earum ratio non est.

Quum igitur ratio & experientia nos doceant, vivida membra sensim & naturaliter, non verò vi, extendi, ampliari, & repetito subinde nutrimento, vel adaucto humorum affluxu absque diminutione crassitudinis crescere & ingravescere, (quod in rebus mortuis & inanimatis reperire non licet) ideo dictarum rerum similitudo nulla, & Auctoris argumentum enervatum est.

Etenim videmus, omnes carnosas & membranosas corporis partes, obstructionibus, vel cessatione motûs humorum, quàm maxime posse extendi & amplificari, si nempe quoad totum partes istas considéremus, quin potius, quum antea tenuiores & solidiores fuerint, ejusmodi accidentibus spongiosiores & molliores fiunt, nisi nimia fiat obstructio, quam facilè putrefactio sequitur. Id ipsum igitur in omnibus corporis partibus mollioribus percipientes, cur idem utero accidere dubitemus? cui membro proprium & naturale est, sensim & accremento extendi & ampliari.

Diversas ego prægrandes exscidi *sarcocelas*, quarum quædam caput infantis superabant magnitudine, & ambiens scrotum ad instar viri bene valentis inveni crassitie, quod vel decuplo minus est: post sectionem indies minuebatur; primis diebus crassities augebatur, postea rursus extenuabatur, at verò quatuor vel quinque hebdomadum spatio patiente reconvalescente ad naturalem magnitudinem crassitiemque redibat. Hujus rei periculum faciat Dominus *Mauriceau* vel assectæ ejus, sumptâ massâ cereâ, & patebit differentia maxima inter extensionem vel diminutionem rei istius animatæ, & hujus inanimatæ.

Enterocelen aliquando incredibilis magnitudinis vidi Viri cu-

juſdam omnia inteſtina in ſcroto extra ventrem geſtantis, cujus ſcroti altera pars ventrem fere magnitudine æquabat: iſte vir inteſtina è ventre emittere & rurſus immittere poterat ſupinus, ſed erecto & ambulanti inter pedes propendebant, & quod ſcopo noſtro inſervit, ſcrotum iſtud, non obſtante tam prægrandi magnitudine, naturalem circiter craſſitiem ſervabat, viſu tactuque quaſi integrum & illæſum: Quod ſi in hoc caſu ita reperire licet, nonne par ratio poterit eſſe uteri? Tales obſervationes, ſi opus eſſet, poſſem proferre plurimas.

Sed quid immoror in probanda poſſibilitate ejuſmodi extenſionis, quam in aliis membris expertus ſum integris pariter & ægris, quum non deſint evidentes & palpabiles de *ipſo utero* probationes? En igitur *propriam meam experientiam*, quæ multitudini conſentanea, conjecturæ verò Domini *Mauriceau* contratria eſt. Sæpius, quando defunctæ parturientis Anatomæ intereſſe dabatur, vidi, uterum, non obſtante quantacunque magnitudine, integre craſſum fuiſſe, & id ſemper vidi, & nunquam contrarium vidi, ita ut, quantacunqne magnitudine vel parvitate gaudeat uterus, eadem ſemper reperiatur craſſities modò major, modò minor, prout variant accidentia. Quid igitur dicam hac experientia inſtructus? num oculos manuſve fefelliſſe me putem? nonne meis ſenſibus magis, quàm conjecturæ iſtius Auctoris confidere fas eſt?

At dicent forſan cum iſto: non negari, id poſſibile eſſe, ſed *extraordinarium* fuiſſe & *non naturale*, *quod* enim *plurimùm fit*, *id naturale eſt*, *teſte Ariſtotele*: Si igitur regulâ *Ariſtotelis* veritatem metiri licet, hoc modo mihi argumentandum erit: *quicquid communiter vel plurimùm fit*, *id naturale eſt*; atqui ego nunquam uterum reperi tam tenuem, qualem Dominus *Mauriceau* concipit, contrà craſſum eundem ſemper, quin & craſſiſſimum oculis manibuſque ſenſi; Ergo quod plurimûm & ſemper ita reperi, naturale eſſe concludo, & neceſſariò pro naturali habendum cenſeo, uſque dum experientiâ contrarii convincar.

Hæc

Hæc quum verè ita sint, uti sequenti capite adhuc clarius patebit, & ego, si opus esset, pluribus probare possem, nos certe Benignitati divinæ maximas debemus gratias, quòd huic membro tam bene prospexerit, ut inde duplex in nos commodum redundet: *primò*, quòd uterus per hanc crassitiem tempore graviditatis longe *firmior* maneat, quàm si tantum extenuetur, quantum extenditur: fœtus enim facillime hunc suum carcerem præmature rumperet, manu vel pede uterum perforando, quod Matri simul & Fœtui mortiferum foret, cujus generis exempla nonnunquam obtigerunt.

Secundò, si uterus revera ea esset tenuitate, ut Auctor iste concipit, *Obstetricantium munus* majoribus difficultatibus & periculis obnoxium esset: quis enim tam libere, uti solet, vertere ausit fœtum in utero compactum, & post effluvium aquarum tridui vel quatridui doloribus arctissime compressum in membrana tenuissima, qualem Dominus *Mauriceau* sibi concipit? Ecquis sine stupore & horrore secundinam ab utero segregare vel avellere ausit? aut quænam parturiens sine ultimo periculo id pateretur? magni ergo interest *parturientium* pariter & *obstetricantium*, nosse crassitiem & firmitatem uteri, ne animum facile abjiciant.

Antequam ab hac materia digrediar, ut omnis dubitatio tollatur, adhuc addendum erit, quòd non contentus fuerim, veritatem hujus rei in *defunctis* investigare parturientibus, sed & accurata attentione de ista in *viventibus* inquisiverim, tam altera manu in uterum intromissa ad secundinam extrahendam, quàm altera ventri imposita, ut eò distinctius nudam veritatem ipso sensu detegerem; & vere dicere possum, me semper fere uteri integram crassitiem sensisse, imò tantam nonnunquam crassitiem & rigorem percepisse, ut ægre persuasus sim, quin mali quid acciderit parturientibus, quum tamen in isto puerperio eâ quâ in aliis usæ essent valetudine; & unicæ saltem memini me sensisse uterum tenuem.

Ex quibus omnibus firmiter concludo, uterum varia quidem

magnitudine ab imprægnationis initio ad partum usque una eademque semper gaudere crassitie, idque naturale esse censeo, usque dum major experientia, contrariam ut amplecter sententiam, me invitaverit.

CAPUT IX.

De Utero imprægnato *modò ante & mox post partum, & de modo tam extensionis quàm contractionis, ubi hæ duæ Theses fundamentales probantur, scilicet:*
1. *Facultas extensionis sine extenuatione.*
2. *Facultas variæ mutationis localis uteri.*

Quoniam in *Aurora Obstetricum* Lectorem ad hoc Caput remisi, quo luce meridiana clarius demonstro varias uteri imprægnati *mutationes locales*, pro virili stabo promissis, hic loci differens *de Utero Gravidarum ante & post partum*, ut & *de modo tam extensionis quàm subsequentis contractionis.*

Quum verò nemo neget facultatem extensionis Uteri ad integram usque magnitudinem, neque contractionem in pristinam parvitatem, non opus erit istas probare; potius è re nostra erit, *modum extensionis & contractionis istius* contemplari.

Quamvis præcedenti Capite egerim contra sententiam Domini *Mauriceau* de *Crassitie* uteri, scilicet: quòd plerumque eadem fere maneat in quantacunque Uteri magnitudine; hoc tamen loco non videtur incommodum, argumentum quoddam addere, solum sufficiens omni dubio removendo, quod patebit, si accurate inspexerimus *modum extensionis* vel dilatationis uteri, ejusdemque *contractionis* vel imminutionis: Quem in finem non opus est scrupulose scrutari: quo modo & loco conceptum Semen virile cum muliebri conjungatur, quomodo fœtus exin-

exinde formetur, aut mediante Secundina nutriatur ac indies accreſcat, an id fiat hoc vel illo humore, per hæc vel illa vaſa, quænam ſint de his rebus variæ Variorum ſententiæ, ea omnia non ſunt noſtri inſtituti, quòd confundant potius quàm illuſtrent: Nos, quoad poſſumus, ſepoſitis omnibus controverſiis, planis inhærentes Veritatibus, inde deducamus neceſſariam harum theſium conſequentiam, ſcilicet, *quòd uterus poſſit extendi, ita ut non extenuetur*, deinde *quod uterus multifariàm poſſit loco moveri.*

Supponimus igitur, utpote notorium: *fœtum* utero conceptum, & per Secundinam cum fundo conjunctum, *nutrimento indies accreſcere*; juxta cum fœtu indies etiam in Secundina *ſegregari humores* vel *aquas*, *ſimulque* cum accreſcente fœtu *augeri*; unde neceſſariò tanquam res confeſſa ſequitur: *Primò*: *Uterum* Secundinæ, Humorum Fœtuſque augmento & incremento *neceſſariò extendi*, *ampliari* & *dilatari:* Et quia augmentum humorum in Secundina omne vacuum complet, quod Embryonis corpus, utpote non omnino rotundum vel ovatum, complere non poteſt, exinde *ſecundò* ſequitur: *Uterum ſeſe extendere in formam rotundam* vel *ovatam*, niſi aliæ partes circumſtantes id impediant, ſicut etiam plerumque illum *ovatum* videmus vel *pyriformem*, utroque extremo paulo planiorem: porro, quia Secundina parte ſui craſſiore vel placentâ fundo tantùm Uteri adhæret & connectitur, ibique magis quàm alibi augetur, exinde *tertiò* ſequitur: *Uterum fundo ſuo multo magis ampliari, quàm ullâ aliâ parte inferiore.*

Quòd Secundina cum Placenta Uteri fundo adhæreat, neminem puto negare; at fortè quæret quiſpiam: quî refutem quorundam *Obſtetricantium* experientiam, qui, ſe *Secundinam* nonnunquam *ad latus uteri* haud procul ab orificio *reperiſſe*, indeque extraxiſſe, teſtantur? Cui reſpondeo: Iſtorum *Obſtetricantium* teſtimonium mihi non probare, quòd iſti homines, non obſervato, uterum interdum poſſe *obliquari*, etiam non obſervaverint, utrum fundus Uteri anticam verſus vergat vel poſticam

sticam corporis partem, ideoque nec probe dignoscere potuerint, quo loco vel modo Secundina cohæreat.

Nec mihi rarum est invenire Secundinam jam in postica ad lumbos, jam proxime diaphragma, jam in antica ventris propendentis, jam à dextro, jam à sinistro latere: neutiquam verò exinde concludere velim, Secundinam utero cohærere à latere, vel prope orificium; hoc pertinet ad istud hominum genus, quod instar jumentorum pistrinensium cœcutiens in eadem semper recurrit vestigia, nescium, quo loco versetur. Memini, me aliquod abhinc annis, quum degerem *Wieuwerti* in *Frisia*, adfuisse Parturienti primiparæ, quæ quatriduum, & quod excurrerat, jam laboraverat, cujus fœtus brachium ad humerum usque exerebat, postquam versum infantem extraxeram, mox, more mihi consueto, manu denuo intromissa, Secundinam quæsivi, quam procul in latere dextro inveni parumper sursum vergentem, ut non nisi multo labore deglubere potuerim, non quòd arcte adeò cohærebat, sed quòd brachio eousque inflexo tam procul in latere rem agere difficile erat; Secundinæ enim manum subdere tentanti brachium tam arcte ad interiorem oram dextri Ossis ilium apprimendum erat, ut præ dolore ægre operari potuerim, ast vel tandem opus perfeci, secundinâ integrâ & illæsâ extractâ: jam verò in lenimentum doloris & laboris tantæ difficultatis causam investigando mihi ipsi satisfacere par erat, quo certus fierem, an secundina *lateri* uteri adhæserit, necne? quumque tum temporis de vario motu locali uteri nondum omnino certus essem, hac data occasione penitus rem explorare percommodum videbatur.

Quare post extractam Secundinam manu in uterum denuo intromissa sensu accuratius situm istius uteri percontatus percepi, manum modo intromissam mox versus dextrum puerperæ latus declinari, quòd à sinistra aut sursum nullus mihi locus daretur, quà via data erat pergens, eò quò antea perveni, in *fundum* scilicet Uteri, eodem, quo antea Secundinam deglubi, loco, manu undique versa sensu distincto dignovi; uteri

ri *fundum* longius ad dextrum latus vergere, os verò ad interiorem ſiniſtram partem cavitatis Pelvis converſum erat, quo obliquus Uteri ſitus ita mihi confirmatus eſt, ut de iſto dubitare porro non liceat, imprimis quum hactenus qualibet data occaſione ſenſu eundem mecum conſtabilire non neglexerim.

Ex hac ergo experientia aliiſque plurimis concludo: *Obſtetricantes* ratos, ſe Secundinam jam huic jam illi loco Uteri annexam reperiſſe, neglecta obſervatione accurata ſe juxta cum aliis fefelliſſe: Sed longiore mora rupta videbimus, an experientia reſpondeat noſtræ hypotheſi, aut illi roborandæ quicquam inveniatur idoneum in *Utero extenſo*, quem in finem accuratius inſpiciamus *Figuram quartam*.

Fuit namque primum noſtrum aſſertum: *Uterum augeri & extendi citra* notabilem *extenuationem*, aut, craſſitiem ejus nonnunquam augeri, nonnunquam manere eandem, id quod ex hac *quarta Figura*, cum *tertia* collata (utrâque ad vivum delineatâ) probatur; Ex *tertia* patet, ligamenta utero imprægnato ſub Tubis proxime fundum annexa eſſe, quibus Uterus (quia unumquodque latus ſigillatim ſuo gaudet ligamento) in æquilibrio poſitus, in neutrum latus delabi poteſt: Si igitur Uterus ex omni parte æqualiter extenderetur, tunc ſequeretur, ipſius ligamenta in *quarta Figura* habita proportione fundo æque propinqua eſſe ac in *tertia*; è contra patet ligamenta in iſto extenſo utero multo inferiora eſſe, unde concludimus, uterum in *fundo* multo *magis extendi* quàm in aliis partibus ſuis. Ego, nî fallor calculo, aſſerere auſim, communis magnitudinis uterum modò ante partum in fundo ſexta vel octava (ne dicam dicima ſexta vel viceſima) parte extenſionem reliqui corporis ſuperare.

Hîc loci notandum eſt: *quartam* hanc *Figuram* ea qua conſpicitur extenſionis quantitate exprimere tertiam circiter magnitudinis partem Uteri ordinarii modò ante partum: præterea notandum: quò magis uterus extenditur, eò magis differre longitudinem & magnitudinem fundi ſupra ligamenta.

Si

Si ergo uteri fundus ſupra ligamenta (uti *hæc Figura* exprimit) duplo plus longior eſt quàm infra ligamenta ad Vaginam uſque; & contrà, ſi uterus non impræġnatus infra ligamenta duplo plus major eſt quàm ſupra, tum ſequitur, hunc uterum in fundo quadruplo plus extenſum eſſe quàm infra ligamenta: Si ergo totus uterus habita proportione amplificando duplo vel triplo major evadit, ſequitur fundum congruenter amplificatum octuplo vel duodecuplo plus ſupra ligamenta extendi, quàm infra.

Poſito jam, uterum non impræġnatum in fundo parum ſaltem craſſiorem eſſe, quàm reliqua ſui parte, uti ſemper ita reperitur: poſito etiam, fundum uteri duodecuplo plus extendi & amplificari quàm reliquam ipſius partem, ſequeretur rato *Domini Mauriceau* calculo, fundum duodecuplo plus tenuiorem fore parte inferiore; ipſe enim ſentit, parem rationem eſſe uteri & maſſæ cereæ, quæ, quo magis extenditur, eo magis extenuatur.

Conſule jam omnes *expertos Anatomicos*, quin ex ipſo quære Domino *Mauriceau*, quo loco Uterus craſſior reperiatur, fundone, vel alia ſui parte? uno omnium ore affirmabunt, in *fundo* uterum nunquam non craſſiorem reperiri, quod & res ipſa teſtatur in quolibet utero bene conſtituto modò ante & mox poſt partum.

Quum igitur verum ſit & indubitatum, fundum uteri ad minimum duodecuplo plus quàm partem inferiorem extendi, hoc tamen non obſtante nunquam non craſſiorem manere, nonne ſine controverſia ſtatuendum eſt, fundum Uteri, dum extenditur, parum vel omnino *non extenuari*, nec tantam eſſe uteri extenuationem, quantam extenſionem, ac proinde conjecturam Domini *Mauriceau* de tenuitate uteri abſque fundamento, probatæque experientiæ contrariam eſſe?

Ratio, cur uterus in fundo tanto magis quàm parte inferiore extenditur, (uti prius dixi) eſt cohærentia Placentæ, ut & ipſa fundi conſtitutio ita comparata, ut commode Placenta cum fun-

fundo uniri, & conjunctim cum illo extendi & ampliari poſſit.

Ut verò Lectori omnem dubitationem tollam, ſcrupulumque ſuborientem eximam, obiter adhuc dicam: licet uterus extenſus eandem retineat craſſitiem, eum tamen non retinere priſtinam ſoliditatem: organa enim, ex quibus uterus componitur, ſubtiliſſima & arcte adeò contexta ſunt, ut fere incomprehenſibile ſit, quî tam exiguum & ſolidum corpus ad tantam magnitudinem extendatur, quantam in parturientibus videmus.

Subtilia iſta organa, (quæ minutæ tantùm fibræ videntur) quorum cavitas & humor oculos fugit, tempore graviditatis ſenſim amplificata extenduntur pariter & nutriuntur, ac humore, quem continent, adeò dilatantur & explentur, ut inde craſſities uteri parum vel omnino non minuatur; quia verò humor iſte neque caro eſt neque membrana, propterea uterus ita extenſus tanta ſoliditate & duritie non gaudet, quantâ uterus non imprægnatus; atque in hoc omnis differentia conſiſtit, quam in hac re obſervare licuit.

Sed videntur plerique ſecum cogitare: *num verum eſt, uterum tali modo extendi, uti Figurâ quartâ exhibetur? forſan exemplum multorum Auctorum imitatus cerebri tui figmenta pro veritate obtrudis? unde cognoſci poterit, uterum ita conſtitutum eſſe?* Ad hæc Cordato Lectori reſpondeo: me deteſtari plura ſcribere, quàm cognitum habeam & demonſtrare poſſim, proinde *quartam* hanc *Figuram* non eſſe cerebelli mei inventum, nec ab aliis receptam, ſed meo juſſu ad vivum delineatam, neque addendo quicquam, neque detrahendo, ſed Pictorem libere imitatum eſſe naturalem uteri proportionem, *Figurâ quartâ* expreſſam: *Tertiam* verò quod attinet *Figuram*, ſi illa comparetur cum aliorum *Anatomicorum* effigie uteri exactiſſimâ, patebit, hancce meam ab illa quoad ſubſtantiam minime eſſe diverſam.

Hoc modo jam ſatis, opinor, demonſtratum eſt, uterum

extendi posse, ut non extenuetur, istamque vim extensivam potissimùm in illius residere fundo: Igitur jam transeo ad *secundam* nostram *Thesin*, scilicet: *uterum diversimode posse loco moveri*, quod assertum æque firmis argumentis ex proposita *quarta Figura* probare non dubito.

Ex *tertia Figura* patet, ligamenta utero non imprægnato suprà prope fundum annexa esse, unde facilè quis concluderet, istiusmodi corpus, infrà prope orificium vesicæ & intestino recto cohærens, & suprà prope fundum ligamentis annexum & retentum, fundo huc vel illuc nequaquam inclinari vel delabi posse: Sed hoc non obstante notandum est: etiamsi res ita comparata videatur, uterum imprægnatum tamen in *quarta Figura* diversissimâ à *tertiâ* effigie proponi, ubi patet, *utraque ligamenta*, (quæ in *tertia Figura* proximè fundum annexa uterum rectum in æquilibrio tenere poterant) tempore graviditatis ad tertiam partem emensо, *longe jam inferius, nec ad fundum annexa esse*, imò, uterum ea, quâ ligamenta transcendit, parte duplo triplove grandiorem & graviorem evasisse. Ad hæc statuendum est: *uterum* integrum duplo triplove magis extensum & dilatatum *octuplo vel duodecuplo grandiorem gravioremque evadere supra ligamenta quàm infrà*, sicut prius ostensum est; extensio enim & dilatatio uteri infinite magis in fundo quàm alia parte succedit.

Porro notandum: *uterum* subinde accrescentem plerumque *altius elevari*, & præ magnitudine corporis undique dilatati non amplius in pelvis angustia posse contineri.

Deinde notandum: *uterum* plerumque pyriformem vel ovatum *supra ligamenta ampliorem, latiorem* multoque *graviorem esse quàm infra.*

Insuper notandum: *molem istam*, inferiore solùm parte cohærentem, & ab utroque latere duobus tantummodo ligamentis subtilibus & admodum extensivis alligatam *proprio suo pondere facillime huc vel illuc ferri & inclinari.*

Adde: *quod vesica & intestinum rectum*, (quibus uterus infe-

feriore parte prope orificium cohæret) utpote partes laxæ, molles & extenſivæ, *non valeant impedire inclinationem vel nutationem uteri* prægrandis, fœtumque continentis jam maturiſſimum.

Denique notandum: *varie gravidas moveri*, & omnifàriàm flectere corpus ſuum, aſſuetas vel dolore coactas tenere jam has jam illas corporis poſituras, jam hoc jam illo modo cubare & incurvari, unde uterus imprægnatus facilè huc vel illuc tendit, prorſum labitur vel retrorſum, dextrorſum inclinatur vel ſiniſtrorſum.

Poſitis jam his omnibus videamus, an difficile adhuc foret intellectu, *uterum* gravidarum *omnimode loco moveri*? mihi quidem videtur, hiſce rationibus probe conſideratis, tantum abeſſe, me de hac re dubitare, ut potius ſtatuendum cenſeam, quòd datâ unâ gravidarum uterum ſuper pelvim rectum geſtante, *decem viciſſim* inveniantur, quibus uterus hoc vel illo modo *plus minus* ſit obliquatus; ad hunc calculum rem revocantes minime certe errabunt, id quod *Obſtetricantes* data occaſione experientia docebit.

Antequam verò diſcendamus ab hac materia, monendum erit: quòd ſi quis (dubius adhuc, uteruſne imprægnatus multifariàm loco moveri poſſit) putet, uterum rectum teneri duplici illo ligamento, quod cenſet non poſſe laxari, is cogitet: utero in pelvim altius aſſurgente *ligamenta iſta non poſſe non laxari*, quin etiam *eouſque extendi, ut uterus è corpore procidat*, uti nonnunquam contingit: Sed poſito, ligamenta iſta omnino non, ſive parum ſaltem, laxari, quis comprehendere poſſet, eadem, ſolummodo ab utroque latere annexa, efficere poſſe, ne uterus prorſum labatur vel retrorſum? nemo certe, opinor, id ſibi vel alii perſuadebit: hac verò veritate aſſerta, (quæ ſingulis utîque clarè patet genuinâ uteri imprægnati imagine gaudentibus) etiam aſſertum noſtrum quoad hoc probatum eſt.

Jam probato, uterum prolabi poſſe, aut reſupinari, quis ibit inficias, alterum ligamentorum, aliquatenus adhuc laxan-

dum, eousque extendi posse, ut *uterus* jamjam prolapsus vel resupinatus, *aliquantillum declinet dextorsum vel siniſtrorsum?* qui verò id posse fieri dextrorsum concedit, & siniſtrorsum fieri posse non negabit, & hoc pacto facilè inter nos conveniet: licet enim meo judicio ligamenta non obstent prolapsui uteri rectà in alterutrum latus, aliis tamen rationibus ductus ægre persuadeor, uterum omnino & rectà in siniſtrum dextrumve latus delabi; mihi certe nunquam eo modo, sed semper aliquantulum sursum vel deorsum vergentem reperire contigit.

Hoc pacto *facultatem uteri, qua multifariàm loco movetur, Cordato Lectori* dilucide & perspicue adeò explanasse puto, ut hæc veritas ipsi arridere possit; jam paucis de *contractione uteri* post partum.

Facilis admodum ad *contractionem* est uterus, quamprimum enim pauxillum evacuatur, statim contrahitur & imminuitur, utpote, si aquæ defluxerunt, ilicò uterus decrescit, & stricte adeò coangustatur, ut infantem compresse concludat; quare mox post defluvium aquarum infantem excludi necessum est, nisi partum expectare velis difficilem.

Si fœtum excluſum non statim Secundina sequitur, fundo adhuc adhærens, uterus mox *contrahitur*, Secundinam in se concludens, & nisi quid sanguinis concreti remanserit, post aliquot horulas non nisi multo labore potest recludi ad Secundinam extrahendam.

Partu jam edito, & Secundinâ excluſâ, si manum aliquandiu in utero retinueris, (quod post partum *Obstetricantium* officii esse, sequentibus probabo) senties illum *circa manum contrahi* & occludi; unde patet, uterum propensum esse ad constrictionem sui atque imminutionem, nec unquam extensum manere, nisi corpus quoddam heterogeneum contractioni obstet.

Modus hujus contractionis idem est ac extensionis, præterquam quòd *hæc lento gradu* procedat, *illa* verò *citius* absolvatur. Puerperam aliquando defunctam octavo, nî fallor, vel nono post partum die cultro aperui, uterumque tam exiguum & natura-

raliter adeò conſtitutum mirabundus inveni, quaſi puerperæ non fuiſſet. Sed progredientes videamus *uterum* in parturientibus *bene vel prave locatum.*

CAPUT X.

De Utero Gravidarum vel Parturientium bene locato.

ANtequam dicamus de obliquo ſive prave ſito utero, æquum erit, ut monſtremus *poſituram uteri in gravida* ſeu Parturiente *recte locati*, cujus quidem jam mentio facta eſt in *tertio Capite* poſt *ſecundam Figuram*, ubi *genuinam imaginem oſſium pelvim conſtituentium* tradidimus, quò etiam Lectorem remittimus, hîc loci ulterioris explicationis ergo adjungentes: *quòd, quò majorem gravidæ fœtum geſtent, eò altius uterus in ventrem aſſurgat*; quum enim cavitas pelvis non ſufficiat capiendo prægrandem uterum, uno vel pluribus infantibus ex omni parte abſolutis unà cum Secundinis & humoribus repletum, exinde neceſſariò ſequitur: ultra oram pelvis in cavitatem ventris uterum aſcendere; atque tum eandem (quam modò ante vel mox poſt imprægnationem habuit) poſituram aut retinet, aut non; ſi priorem poſituram retinet, illum voco *rectum* & *bene ſitum* uterum, atque tunc acuminata ejus pars rectà tendit in cavitatem pelvis, fundus verò circa umbilicum verſatur: poſiturâ autem mutatâ, huc vel illuc aliquantulum inclinatum uterum *obliquum* dico vel *prave ſitum*, de quo ſequentibus.

CAPUT XI.

De Utero Prægnantium & Parturientium oblique & prave ſito.

QUum uterus imprægnatus, uti *quartâ Figurâ* monſtravimus, majore & graviore ſui parte liber & ſolutus ſit, *facile huc vel illuc delabi poteſt* in fœminis maxime, quibus pelvis eſt exigua; quippe uterus parti acuminatæ non diu poteſt inniti, quin huc vel illuc inclinet, quoniam ligamenta propter facultatem extenſivam facilè laxantur, unde *obliquus uteri ſitus.*

Exulceratio etiam, aut cicatrix, aut glandula obdurata, aut obſtructio vaſculorum in alterutro ligamentorum vel partibus vicinis anſam utero præbere poterit, ut jam inde ab initio extenſionis obliquetur, magiſque in alterutrum latus inclinet, quin & plures aliæ hujus rei poſſunt eſſe cauſæ.

Ne verò immoremur cauſis pravæ illius poſituræ perveſtigandis, ſufficiat hîc dixiſſe: *multiplices eſſe pravas uteri poſituras*, quas ſingulas exactè perſcrutari pigeret: veruntamen ut ſufficientem tradamus inſtructionem, *quadruplicem* modum pravorum uteri ſituum annotabimus, ſub quibus cæteri facilè poſſunt comprehendi.

Primus pravus uteri ſitus eſt: ſi *fundus diaphragmati, uteri autem corpus ſpinæ dorſi nimis apprimitur:* indeenim os uteri nimis ſuſpenſum ab antica parte ad oſſa pubis adigitur, & infantes capite in oſſa pubis facilè impingentes hærent immobiles; aut quod deterius eſt, capite ſuper iſta oſſa translabuntur, & in alterutrum latus aut retrorſum vertuntur, ut brachio vel manu excluſa corpore tranſverſim oſtio objaceant, ſine manu adjutrice nequaquam excludendi, unde Matris vel infantis, quin & utriuſque ſequitur interitus, niſi ſolerti *Obſtetricantis* opera ſerventur.

Secundus pravus uteri ſitus eſt: *ſi uterus in ventroſis mulieribus*

bus pronus propendet, ore ad os ſacrum converſo, unde prodiens ad excluſionem infans capite in cavitatem ſive curvamen oſſis coccygis defertur, ubi ſæpe immobilis quaſi clavo affixus hæret, nec niſi ſolerti *Obſtetricantis* manu ſervatur.

Tertius pravus uteri ſitus eſt: *ſi fundus uteri in latere ſiniſtro paulo altius vel demiſſius ponitur*, ore ad ſpinam dextri oſſis ilium vel pubis converſo, ad quam infantes capite ſolent impingere, & diutius ſæpe hærere, infracto cerebro; vel eandem ſpinam dextrorſum tranſiliendo tranſverſim pelvi ſuperimponuntur, unde non niſi ſolerti *Obſtetricantis* cujuſdam viri vel fœminæ manu produci poſſunt.

Quartus pravus uteri ſitus eſt: *quo fundus in dextro latere ponitur*, converſo ore ad ſiniſtram pelvis partem, poſiturâ præcedenti omnino contrariâ, unde eadem ac ex præcedente proveniunt incommoda.

Ex hoc *quadruplici* pravo uteri ſitu & reliqui facilè poſſunt colligi, ſi ſcilicet fundus uteri plus minus *prorſum* vel *retrorſum*, *dextrorſum* vel *ſiniſtrorſum* deflectit, partum inde plus minus difficilem reddens, quo magis ſcilicet vel minus pravus iſte à naturali ſitu differt.

Satis quidem animo præſentio: pleroſque hanc ſententiam *non admodum fide dignam* habituros eſſe, alios item naſutos eandem ridentes tanquam *falſam* & *novam* rejecturos; me verò iſta non terrent, quo minus, quam certò cognovi, veritatem palàm etiam profitear, pro mea enim parte æque certus ſum de *obliquo* uteri ſitu, ac certus ſum, duas unitates duabus additis quatuor, vel tres tribus additas ſex conſtituere, omnem mihi ſcrupulum varia exemit experientia, nec ceſſabo ex hoc fundamento progredi *Obſtetricantium* inſtitutione, ingenue confeſſus: *quòd, quicunque obliqui ſitus uteri ſunt ignari, in artibus Obſtetricantium æque cæcutiant, ac ille, qui homines inſtar arborum videbat ambulantes:* Atque id quidem patebit ex ſequentibus, ubi hanc veritatem influere vibebimus in omnia, quæ ad *artem Obſtetricantium* & ſcienda & facienda ſunt.

CAP.

CAPUT XII.

De Secundina.

POstquam de *pelvi* & *utero* ejuſque vario *motu locali* dictum eſt, jam etiam de *Secundina* dicere convenit, cujus cognitione neceſſaria *Obſtetricantes* inſtruendi ſunt: Non inhærebo diverſis ejus nominibus deſcribendis acceptis à diverſo uſu, quo inde gaudet & prægnans & fœtus; ſecundùm accuratiorem Anatomicorum opinionem: uni tantùm *Secundinæ* nomini inſiſtere lubet, cujus partus vel excluſio *plerumque* ſequitur partum infantis, *plerumque* inquam: non enim ſemper id fit; caſu quodam adverſo *Secundina* ab utero divelli, ejuſdemque *placenta prior* in partu prodire vel excludi poterit; at rarò id fit, idque tum plerumque cauſa eſt obitûs infantis, præſertim ſi parienti *Obſtetricantium* aliquis peritus vel perita mature opem non tulerit.

Si delectarer magnitudine Libri, affatim materiæ hîc loci ſuppeteret variis illum amplificandi Obſervationibus de *Secundina* ejuſdemque uſu, curioſæ magis contemplationi quàm genuinæ *Obſtetricantium* inſtructioni inſervientibus: ſemper ego alienus fui à *plagio literario*, quod (proh dolor!) adeò invaluit, ut *apographa* tantùm ſint plurimorum libri, abſque rubore profitentium, *ex verborum immutatione fieri librum*, quo volunt ſignificare, quòd nil exigatur, niſi ſola aliorum verba immutata pro ſuis venditare, ſi quis cupiat audire Auctor alicujus libri: quapropter tantummodo proponens ſimpliciter neceſſaria *duplicem* maxime *uſum* oſtendam, quo *Secundina* & Matri pariter & infanti inſervit, qui *uſus* etiam revera adeò proprius eſt *Secundinæ*, ut vel ex ipſa ejuſdem compoſitione percipi poſſit.

Secundina igitur conſtat ex craſſa quadam carnoſa maſſa ſive placenta uterina, cum annexa tenui quadam membrana, atque hæc *Secundina* cum carnoſa ſua placenta conglutinata & connexa, fundo uteri adhæret. Quam-

Quamvis autem craſſiorem Secundinæ partem placentam nominem *carnoſam*, carnem tamen non intelligo proprie talem, qualis eſt caro muſculorum, utut & hi ipſi nil aliud ſint quàm contextus vaſorum & humorum: ſed per carnoſam illam placentam indigitatum volo aliquid carni ſimillimum, utut admodum lene ac molle, cujus vaſa maxime fragilia ſunt procliviaque ad effuſionem, quos continent, humorum.

Placenta hæc uterina (non male cum placenta comparata, quòd non abſimilis ſit craſſæ rotundæque nec tamen permagnæ placentæ, in ſartagine frixæ) plerumque craſſa digitum, medio tamen quàm extremo craſſior, vaſis ſuis uteri *fundo* adeò *conglutinata* eſt, ut non niſi ruptis iſtis vaſis & effuſione humorum avelli queat, unde ſemper hanc Secundinæ avulſionem conſequitur *ſanguinis fluor* ex ipſa partim Secundina, at maxima parte ex acetabulis uteri oriundus.

Iſthæc placenta eâ, quâ utero cohæſit, parte *aſpera* admodum & *inæqualis* eſt, infinitis obſita vaſculis diruptis, quam apertam ſi inſpicias, è fragmentis videtur compoſita & particulis, quæ plurimis ſibi invicem vaſculis connectuntur.

Quemadmodum hæc placenta *externe aſpera* eſt & *inæqualis*; ita è contra *interne lævis* eſt atque *mollis*, præterquam quòd plurima vaſa extuberent, omnia in funiculum umbilicalem deſinentia, qui altero ſui extremo mediæ fere placentæ inſitus eſt, altero verò extremo infantis umbilico cohæret: Funiculus iſte umbilicalis imprægnationis tempore ſanguini & nutritiis humoribus in fœtum deferendis, atque ſuperfluis inde per Secundinam in uterum reducendis, & proinde nutrimento & vitæ infantis conſervandæ inſervit: Humores, quibus fœtus innatat, ſimul cum illo augentur, & hoc pacto nunquam non Secundina extenditur unà cum utero.

Interior illa Secundinæ lævitas oritur à membranis, quibus intrinſecus placenta veſtita eſt, quæ præterea in orbem etiam extenduntur, componentes folliculum inſtar alterius cujuſdam uteri, quo fœtus pariter & humores continentur.

Hæc membrana, licet tenuiſſima, ſecundùm communem opinionem duplex eſt, & in duas, vel (ut quidam volunt) tres membranas ſeparari poteſt, ſi accurate tentetur ſeparatio: Quoniam verò Obſtetricantium parum refert, an hæc membrana in duas vel tres dividi poſſit, nos illam miſſam faciamus, ſolummodo obſervantes, *primò*: Membranam hanc ſatis *firmam* eſſe ad continendos tempore imprægnationis infantem & humores, quamvis in utero nullibi præterquam placentæ annexa, ſed undique libera ſit & ſoluta.

Hoc autem aſſerto nequaquam intelligo, membranam illam per ſe, utpote veſicâ tenuiorem, ſatis firmam eſſe ad continendos infantem & humores, niſi craſſo utero circundata corroboretur; quamvis enim undique libera ſit, nec ullibi niſi mediante ſecundinâ utero connexa, undique tamen utero intus adeò adjuncta eſt, ut firmitate uteri æque ac ſuâ propriâ valeat: Quemadmodum enim ſericum panniculo pretioſo ſubditum firmitate panniculi præmunitur, ut non facilè ſcindatur; ita tenuis illa membrana utero circumveſtita non facilè rumpitur.

Secundò: Quemadmodum autem hæc membrana neceſſariò ea ſit firmitate oportet, quâ tempore graviditatis infantem cum humoribus continere valeat; ita etiam opus eſt, ut *tenuis* ſatis & *fragilis* ſit, quò tempore pariendi dolorum impulſu diſrumpi, & fœtui pariter cum humoribus liberum exitum præbere queat, quare non eſt, quòd miremur hujus membranæ tenuitatem.

Unica plerumque, nonnunquam *duæ*, quin & *tres* dantur *Secundinæ*, nimirum ſi tres ſimul infantes in uno geſtantur utero; contrà nonnunquam duo vel tres infantes unâ videntur contineri Secundinâ, at accuratius viſitanti patebit, eam, quæ una videtur, placentam è duabus tribuſve compoſitam eſſe atque concretam: ut enim ſinguli infantes ſingulis gaudent membranis & funiculis umbilicalibus; ita & ſinguli ſingulis gaudent placentis, diſtinctis nonnunquam, ita ut ſigillatim extrahi queant, ac cuique proprii plerumque inſunt humores.

Jam quidem dicendum eſſet de *pudendo muliebri*, utpote quo pa-



Fig: 5

Phi: Bouttats fecit.

patet aditus ad vaginam uteri; id verò nulli non fœminæ satis cognitum, ac a *Viris Obstetricantibus* ejusdem cognitio sufficiens aliunde facilè peti potest, quapropter non opus est istas partes prostituere, quarum Figuræ motibus impuris excitandis & obscuris colloquiis inserviunt magis quàm necessariæ institutioni, quare honestatis ergo intactas istas relinquamus.

Explicatio 5. Figuræ.

Figura N. 1. exhibet simplicem Secundinam, quæ unicum infantem continuit.

AAa Placenta, sive crassa & carnosa pars, quæ utero adhæserat, tecta membranis suis.

BBB Membranæ tenues contractæ & duplicatæ, quæ versus os uteri sitæ fuerant.

ccc Funiculus umbilicalis, à fœtu abscissus, altero extremo multos venarum & arteriarum ramos per placentam spargens literâ *d*.

N. 2. Exhibet duplicem Secundinam, quæ gemellos continuerat.

aaaa Placenta sive crassa & carnosa Secundinæ pars, quæ fundo uteri adhæserat, parte scilicet inferiore, quæ non conspicitur.

b Membranæ tenuis pars aliquantulum contracta cum membrana intermedia, quâ Secundina divisa erat, & infantes segregati, ut uterque propriis innataverit humoribus.

cccc Eadem membrana, ab ora seu extrema parte contracta.

dddd Funiculi umbilicales abscissi, quorum radices placentæ insitæ erant.

CAPUT XIII.

Tactus prægnantium quid sit, & quomodo fiat.

Fœmina *Obstetricatura* probe instructa sit oportet *cognitione Tactus Prægnantium*: Quum verò *Tangere* sit vox impropria, nec dilucide explanet, quid illâ velint *Obstetricantes*, explicandum erit, quid per eam intelligatur.

Tangere gravidam, vel quæ se putat gravidam, nil aliud est, quàm *duos priores digitos alterutrius manûs pinguedine, butyro, vel oleo inunctos per muliebria in vaginam uteri intromittere, iisque attingere emphidæum aut os sive ostium uteri, ad explorandam ipsius formam, undique idem contrectando, ut hoc modo innotescat, quod non nisi hac ratione certò sciri potest.*

Iterata vice monitum hîc volo Lectorem, me (quod tamen plerique Auctores solent) nunquam uti voce *oris exterioris & interioris*, quòd statuam, *unicum utero* saltem *os, ostium vel introitum esse*, id quod ad evitandam confusionem semel atque iterum dictum volo, ubicunque mihi sermo fuerit de utero, eodem me intelligere *pyriforme corpus illud*, quo semen concipitur, fœtusque ad partum usque conservatur, delineatum *tertiâ Figurâ*, in qua os uteri sive ostium insignitur literâ *b*: & quod alii Auctores vocant exterius orificium uteri, intelligentes eo ostium vaginæ uteri, id ego vocabo *os* vel *ostium vaginæ* aut *pudendi*: hoc pacto duplici isto ore nemo falli poterit.

CAPUT XIV.

Quidnam ex Tactu scire liceat.

TAngendæ sunt mulieres, ut sequentia maxime exinde nobis certò innotescant, scilicet ut cognoscatur:

1. An verè gravida sit mulier aliqua necne?
2. An tempus pariendi instet, aut longa adhuc mora intercedat?

3. An

3. An gravida genuinis ad partum doloribus corripiatur necne?
4. An gravidæ doloribus jam correptæ futurus sit partus facilis vel difficilis?
5. An infantes bene vel prave siti sint?
6. Quomodo laboranti parturienti & infanti succurrendum, & quid eum in finem faciendum sit?
7. An extraordinario tempore partus gravidæ sit promovendus.

Hæc omnia non nisi *tactu* certò & probe cognosci possunt, idcirco ut *Obstetrices novitiæ* eò melius hisce instruantur, ista septem capita sigillatim repetentes ostendemus: *quibus rationibus ista ex tactu certò innotescere possint*: Simul hîc loci *Obstetrices* monitas volo, ipsis *fundamentalem tactûs cognitionem summe necessariam, maximique momenti esse*: ego quidem certus sum, paucas eâ cognitione gaudere, & verum usum nosse in prægnantium fœtuumque emolumentum, quarum non paucas exinde censeo perire: Obstetrices enim ignorantes gravidas probe tactu explorare mala non prævident, ac in Syrtes incidunt, quum putant omnem rem jam esse in vado, & sicut imprudentes pericula nec prævidere nec præoccupare sciunt; ita jam ad incitas redactæ è præsentibus se non possunt extricare, unde, nisi alios mature sumant in auxilium, de vita infantis, nonnunquam & matris, actum est: Summe igitur *necessaria* est *Obstetrici novitiæ instructio tangendi*, & verus ejusdem usus, quapropter singula capita rite examinabimus.

CAP. XV.

Quomodo Tactu cognoscatur, an fœmina prægnans sit, necne.

CErtissimum sane est, ipsa etiam suffragante experientia, *signa imprægnationis* prioribus mensibus *incerta* esse &

fallibilia, quare Librum noſtrum iſtis non referciemus: *Ceſſationem* enim *menſium*, *vomitum*, *appetitum proſtratum*, *malaciam*, *turgeſcentes mammas*, *papillarum dolorem*, ipſum tandem *ventrem intumeſcentem*, utpote tritiſſima & notiſſima ſigna nonnunquam & non prægnantibus virginibuſque cum gravidis communia eſſe videmus: diverſarum etiam fœminarum in his rebus diverſa eſt ratio: Mihi quædam innotuit, quæ fluxum menſium ante primam imprægnationem ſe nunquam expertam eſſe affirmabat, poſtea verò ad partum uſque ſtatis ſemper & ordinatis temporibus illos fluxiſſe, poſt puerperium denuo ceſſaſſe ad ſecundam uſque imprægnationem, eo, quo antea, modo fluentes ceſſanteſque, quoad omnium liberorum parituram abſolverat, unde certius illi ſignum conceptionis non erat, quàm reditus menſtruorum, & nihilominus integra utebatur valetudine: Quàm incertum igitur imprægnationis ſignum eſt ceſſatio menſtruorum, tam incerta erunt & cætera.

Certiſſima imprægnationis ſigna, ultimis præcipue menſibus, *è Tactu ſuppetunt*: Fœmina ergo conceptionis incerta, illiusque ſciendi cupida, ſive dictorum ſignorum aliqua appareant, ſive non, (ſemper tamen aliqua imprægnationem ſubſequuntur, quæ obſervationibus aliis conjuncta certiori judicio ferendo inſervire poſſunt) *tactu exploranda erit*, ut, quod res eſt, vere ſciatur: Volunt quidam, primo poſt conceptum bimeſtri imprægnatum uterum arctiſſime claudi, unde magis *acuminatus*, *durior* & *ſolidior* evadit; neque tamen ſcirroſa durities illa eſt, quæ facilè à naturali duritie vel ſolida ſubſtantia poteſt diſcerni: Formâ *ſimillimum* ſenties tum *os uteri roſtro catuli recens nati*, quocum ſcite admodum iſtud Dominus *Mauriceau* comparavit: Ad hanc mutationem probe diſcernendam *exercitatiſſima* (fateor) *manus* requiritur, quam tamen nonnunquam adhuc falli poſſe opinor.

Interjecto autem tempore quo magis infans accreſcit, partuſque appropinquat, eo *brevius*, *planius* atque *tenuius fit uteri* jam intumeſcentis *orificium*: hoc autem facilè dignoſci poteſt

in

in fœminis maxime, quibus frequens est facilis partus; his enim os uteri eousque complanatur, mollescit & attenuatur, ut plerumque sexto vel septimo post imprægnationem mense dehiscere incipiat, ex quo *fœtum moventem licet persentire*, id quod certissimum & infallibile imprægnationis argumentum est.

CAPUT XVI.

Quomodo tactu explorandum sit, an puerperium instet, necne.

NObis hîc sermo est de *partu naturali*, non autem de *abortu*, qui nullo non tempore hoc vel illo casu gravidis obvenire potest; si verò omnia succedant ordine naturali, prius opportunum pariendi tempus non imminet, quàm fœtus integra gaudeat magnitudine & viribus, quod plerumque fit *nono* nonnunquam & *septimo mense*, vel, quod septimo nonoque mensi intercedit, tempore, pro roboris viriumque ratione, licet plerumque optime valeant infantes nono mense editi.

Jam dictum est, fœtu indies accrescente, *os uteri*, quod acuminatum prius, crassum & solidum fuerat, post bimestre vel trimestre sensim *complanari*, *attenuari* & *mollescere*, unde necessariò sequitur, quo tenuius, mollius & planius istud deprehenditur tactu, eo propius adesse tempus enitendi; id quod in quibusdam usque adeo notorium est, ut duobus tribusve ante partum mensibus os uteri jam dehiscat, & apertura sensim amplificata cum *solido* vel *aureo* ambitu suo adæquetur, aut eundem etiam amplitudine superet, unde distincte motus infantis tactu percipitur, quin quibusdam fœminis eousque tandem os uteri amplificatur, ut ad partum excludendum vix opus sit doloribus secunda vel tertia vice iteratis; & hoc pacto obstetrix probe exercitata in explorandis tactu fœminis facilè conjicere po-

poterit, an instet tempus pariendi, quin & præcise divinare licebit, quantum temporis adhuc supersit, istháec tamen accurata cognitio non nisi jugi exercitatione acquiritur.

Verùm enim verò veluti omnium fœminarum partus non est æque facilis, ita nec omnes ea gaudent conditione, de qua nobis hîc sermo est, quare quæ diximus, sensu moderato intelligenda putamus, utpote exceptionem facilè admittentia, nec ista in singulis reperiuntur gravidis; contrarium enim ut plurimùm obtinet in iis, quarum fœtus prave locatur ad ultimum usque partûs momentum, aut certe paulo antea in meliorem situm vertitur; imprimis autem robustis & provectis ætate primiparis id contingit, quibus os uteri ad extremum usque occlusum non nisi propellentibus aperitur doloribus, quas multis cum laboribus doloribusque parere sciendum est.

Certum tamen est, & *difficulter parientium os uteri*, quod tam diu occlusum manserat, postremò non adeo acuminatum aut crassum, sed *planius ac tenuius esse*: quarundam etiam facilè parientium os uteri postremò tactu percipitur crassum, sed casu id evenit, penetrantibus scilicet humoribus, qui idem mollius reddunt & spongiosius, quæ Obstetrici probe observanda, manuique exercitatæ distinctu facilia sunt.

Hæc omnia quidem certa sunt, sed non infallibilia, & maxime variant, prout *Tangentes* experientia valent & judicio, ita ut hæc facilè dignoscat, quod illa ne conjecturare quidem potuerit; quapropter dicta nostra cum grano salis accipienda sunt.

Quemadmodum os uteri aliter se habet in fœmina *provectæ ætatis, nunquam imprægnata, robusta & assiduo labori assueta*, quàm in *tenera & juvencula muliere, nullius unquam laboris patiente, & genialiter educata*: ita & os *uteri obliquati* multum differt ab ore uteri *rectè siti*, quòd *Obstetrici* bene observandum est: os uteri *rectè siti* profundius in pelvim protenditur, & facilè digitis circumcirca tangi potest: os contrà uteri *prave siti* altius suspenditur, ita ut nonnunquam præ altitudine & obliquitate

tate ægre aut omnino non possit attingi, quippe propter situm uteri obliquum ejus os, margini pelvis applicitum, non admittit tactum, nisi quoad inferiorem sui semicirculum, nequaquam autem quoad integram rotunditatem, unde neque aperturæ circumferentiam accurate persentire, neque ex ejus qualitate certum quid præsagire licet; & sane rebus sic stantibus manus requiritur exercitatissima ad veram qualitatem oris uteri detegendam: unde satis liquet, *nullam regulam sine exceptione*, & de certissimis quidem rebus circumspecte judicandum esse.

CAPUT XVII.

Quomodo tactu explorari possit, an gravida genuinis ad partum doloribus corripiatur, necne.

Quàm necessarii *genuini* sunt *dolores* parturienti ad fœtum excludendum, tam necessarius quoque ab initio statim *Tactus* est Obstetrici ad explorandum, *genuine dolores parturientem urgeant, necne*, ut vere sciat, an tempus pariendi opportunum immineat; & sicut imprudentis est, parturientem, veris doloribus laborantem velle retardare, ne simul cum doloribus allaboret ad partum enitendum, si scilicet uterus atque fœtus commode siti sint; ita & parturientem genuinis laboribus destitutam ad laborem præmature impellere nocet: Utrumque tamen evenire solet, & posterius quidem nimium contingit, quum scilicet obstetrix *colicam* aliave *ventris tormina*, vel *spurios pariendi dolores à genuinis & veris* tactu dignoscere nescia, fœminam præmature ad partum impellit excludendum, adhibitis mediis propellentibus, & ad ambulandum alioque motus hortatur parturientem, cujus angores inde ingravescunt, dumque subinde magis deprimere conatur, *præmature* labores concitantur, cum matris vel infantis vel utriusque vitæ periculo: Quapropter plurimum interest, probe dignoscere posse *genuinos* ad partum *dolores*, eosque à *spuriis* & ventris torminibus di-

ſtinguere: imprimis haud facilè putandum, quòd laboribus ante ſeptimum prægnationis menſem gravida corripiatur, neque iidem ante nonum excitandi remediis, ne quid mali inde matri vel fœtui accidat: Verùm enim verò ſi vel ſeptimo menſe vel citius opportunum pariendi tempus advenerit, & obſtetrix ex tactu oris uteri cognoverit, fœminam veris ad partum doloribus correptam eſſe, tum Natura non inhibenda erit, nec curſus ejus retardandus, ſed manus adjutrices adhibendæ, ubi res poſtulat.

Fœminæ juvenes, prima vice prægnantes quamprimum aliquales ventris lumborumve dolores perſentiſcunt intenſos & torminales, ad partum ſe laborare putantes, obſtetricum arceſſunt adjutricem, *an veri ad partum labores urgeant*? rogantes: quæ, rerum ſuarum non probe gnara, percipiens, tormina iſta genuinis ad partum doloribus non eſſe abſimilia, fœminæ item tactu exploratæ os uteri patens aliquantulum & laxum inveniens, iſti perſuadet, ad partum ipſam laborare; at verò os non magis amplificari, nec dolores prorſus penetrare videns, quantum quidem poteſt, ſatagit, quò ii ingraveſcant vel remediis propellentibus vel hoc aut illud agendo, corpuſque jam hoc jam alio modo diſponendo, quo gravida miſere diſcruciata debilitatur & langueſcit, unde ſæpe (nî Deus averruncet) abortus ſequitur, quod non eveniret, *ſi Obſtetrix ipſa tormina vel ſpurios dolores à genuinis dignoſcere ſciviſſet.*

Nonnunquam *colica flatulenta* in ventre tam imo quàm ſupremo dolores prægnanti excitare torminales, aut *acrimonia humorum* inteſtina rodere poteſt, ut ſequatur *diarrhœa* cum ingenti dolore, unde ad partum laborare ſe putat; at hi dolores *pauxillo lactis cum lavendula & roremarino*, ſeu *emolliente* & *carminativo Clyſtere*, conſilio prudentis Medici adhibito, vel *calefacto Ophite*, vel *excavatâ aſſulâ*, aut *pannis calefactis* profligantur aut leniuntur: E contra ſi *veri* ad partum *labores* urgeant, iſtis non minuentur remediis, ſed potius ſenſim ingraveſcent, dolores verò ex humoribus catarcticis oriundi ex ſub-

ſe-

ſequente diarrhœa cognoſcuntur, & quandoque eadem etiam tolluntur, niſi fuerint acerbiores: Neque tamen iſta dolorum vehementia vim habet ſatis deprimentem ad inſtar eorum, qui partum promovere ſolent, licet deorſum tendentes in uterum & pudenda ingruere ibique operari videantur ipſimet prægnanti, ideoque pro genuinis habeantur partûs doloribus, *callida* tamen *Obſtetrix* non aſſentiatur oportet, ſed potius accurata tactûs exploratione in rei veritatem ipſamet inquirat, omnibus probe attenta.

Aliquot plerumque diebus, antequam labores ingruunt, prægnantis *venter* aliquantulum *extenuatur*, quòd bene ſiti infantes in recte ſito utero infima ejus parte in cavitatem pelvis tum delabantur, unde amplius in ſuperiori ventre ſpatium datur & extenuatio, indicium non ſolùm imminentium laborum, ſed & felicis partus præſagium, quem quidem inde ſperare licet, nec de deteriore timere; infans enim prave ſitus vel uterus obliquatus tam facilè in cavitatem pelvis haud illabetur, tanto in ventre ſpatio relicto: Sed iſthæc deſcenſio plerumque gravidis aliquid incommodi affert ſive eundo, ſive mingendo, ſive dejiciendo: infans enim capite in cavitatem pelvis illapſus, veſicam, vel inteſtinum rectum, vel utrumque premendo excrementis & urinæ exitum quodammodo præcludit, imò ſi prægrande fuerit caput infantis, proximæ partes, imprimis muliebria, intumeſcunt, quod incommodum non facilè niſi poſt partum evaneſcit.

Itidem prægnans patitur *lumborum dolores*, antè non conſuetos, indies ingraveſcentes ac deprimentes, donec vel tandem *humor* ſenſim profluat *glutinoſus & viſcidus*.

Tandem tempore partûs jamjam imminente prægnans plerumque *magnis lumborum, inguinumque circa umbilicum* affligitur *doloribus*, cum vi deprimente in uterum & muliebria tendentibus: ſed non ſunt continui iſti dolores, per vices ſaltem ingruentes; callida Odſtetrix à ſpuriis eos tactu facilè dignoſet, quia iiſdem ingruentibus os uteri patere ſentiet, aut certe ſenſim

recludi, quare dolorum impetum morata, quamprimum eos animadvertit ingruere, tangendo accurate sentiat, *quid efficiant*: quòd si *spurii* fuerint, ad eorum impetum *os uteri arctius constrictum*, postquam præteriere, *recludetur*: at si *genuini* fuerint, *os uteri dilatabitur* & magis relaxabitur vehementi dolorum depressione, quâ fœtûs exclusionem urgent: è contra *spurii* huc illuc *dissipantur*, uterusque sibi ipsi quasi prospiciens arctius contrahitur.

Verorum dolorum vehementi pressura & acerbitate parturientis *commovetur sanguis & effervescit*, unde *pulsus frequentior & rubor faciei*, quem plerumque excipit *concussio & tremor totius corporis artuumque imprimis inferiorum*, quasi corriperetur febri, *absque frigore tamen*: aliis & concitatur *vomitus*, aliis autem non, sed plerumque *humorem* excludunt *viscidum & glutinosum*, qui si incipiat *rubescere*, aut *cruentus sit*, certissimum instantis partus indicium est.

Sicuti *callida Obstetrix* non facilè inducitur, ut prægnantem credat genuinis premi laboribus; ita etiam *non tarda* est *ad explorandam tactu gravidam*, quæ pariendi dolores sentire opinatur, quippe præoccupari facilè potest; infante enim (ut in quibusdam gravidis solet) & utero bene sito atque in cavitatem pelvis immisso, ore etiam uteri ample satis aperto, tenui, mollique, exclusio partus tam subitò succedit, ut tempus non suppetat necessaria comparandi, quare nonnunquam infantes in terram præcipites feruntur, aut aliud malum patiuntur, nec rarò parturientes alvi exonerandæ causa petunt latrinam, id quod istiusmodi fœminis non nisi summo cum periculo conceditur, siquidem infantem simul cum excrementis dejici contingit, uti multa comprobant exempla, quorum recensioni brevitatis causa supersedemus.

Obstetricem autem tangendo non expectare debere acerbos & vehementer deprimentes dolores supperaddita hac ratione probabo: quòd *quædam fœminæ sine ulla fere difficultate pariant*: Ego quidem ipsemet duas novi, quarum altera ostensura, puer-

puerperium ſibi tam in proclivi eſſe, quàm imber, quum cadit, licet nullius rei indiga, dicebat: ſe vel pro juſculo cereviſiæ pariendi laborem velle ſufferre: alteram verò cum proba artopta ego comparare ſolebam, è qua, ſi apertam ſaltem vertas, cruſtula ſponte excidunt; eadem fere facilitate & illæ partum excludebant. Quin & ipſa *Conjux mea*, (aliquot jam liberos enixa; diverſiſque tum parturientibus, & hactenus plurimis aliis periclitantibus non ſine proſpero ſucceſſu ex charitate opitulata, ideoque hujus operis ſatis gnara) quòd de nocte ventris torminibus vexata aliquantulum fuerat, quæ genuinos partûs dolores eſſe dubitaverat, ſub auroram à me petiit, tactu ipſam explorarem, quo facto maturato opus eſſe dixi, nî vellet lectum collinere; itaque amiculis injectis, vix extra cubiculum pulſantem me ſubitò revocavit in auxilium parturiens, & in proximo, quod præſto erat, qualicunque reclinata ſedili, effuſâ quaſi in ſinum meum filiâ me fecit parentem, antequam ulla mulierum opem ferre poterat: ego verò hoc parvulo fœtu excluſo tumorem matris nondum ſatis ſubſediſſe ratus, manu in uterum intromiſſa & alterum ſenſi jam in proclivi eſſe, ut prodeat, quod nobis parentibus ſuavem commovit riſum; quumque jam præſto erat *Obſtetrix*, uxore curæ illius commiſſa ad focum cum pupa me contuli, ubi alia advolans fœmina ignem ſuſcitavit, moxque & alterâ filiâ macti fuimus. Ex his patet, & *nimis feſtinanter*, & *tarde nimis* rem poſſe agi, id quod *Obſtetricibus novitiis* probe obſervandum: & ſane nunquam non ſatius eſt, *mature tactu gravidam explorare*, indeque dignoſcere, an genuinis prematur doloribus, an verò ſpuriis, quò certius de ſtatu illius judicare liceat.

Priuſquam autem hæc miſſa faciamus, non incommode addemus: *fœminas quaſdam laborare mixtim tam ſpuriis quàm genuinis doloribus*, quorum illi haud abs re nonnullis dicuntur *tergiverſantes*, nam quando dolores videntur partum deprimere, & parturientes omnibus viribus connituntur, ſubitò iſti mutantur in contrahentes dolores, perſimiles *ſpaſmo*, ut partum

excludere ſit impoſſibile: rebus ſic ſtantibus tactu Obſtetrici facilè innoteſcet, *ſpurios cum genuinis doloribus miſceri*; ſentiet enim dolores uterum primò amplificare quidem, at ſi parturienti tandem omnibus viribus connitendum eſſet, omnes ſimul ex improviſo *retrahuntur*, nec partus proſpere ſuccedet, niſi prius *vagi* iſti conſopiantur dolores aut auferantur, quod egregie fiet, ſi detur parturienti *pilula anodyna* bene præparata, quòd ſi *poſt horam* dolor non ſatis minuatur, ſecure eadem quantitate repeti poteſt exhibitio, & evaneſcent vagi iſti dolores, parturienſque ſimul cum genuinis conniti poterit ad excluſionem fœtûs: *Dolores hi tergiverſantes* adeò *noxii ſunt* parturientibus *ac intolerabiles*, ut *genuini*, licet *acerbiſſimi* non tantopere divexent, ac iſtorum minimus.

Quamvis ab inſtituto meo prorſus alienum ſit, *tradere Obſtetricibus medicamenta*, quin potius iſta *Medicis* vel *Chirurgis Obſtetricantibus* committenda cenſeam, mihi tamen non potui temperare, quin iſtis aperiam *præſtantiſſimum hoc medicamentum*, quia eodem Obſtetrices (imprimis *quæ ruri munere ſuo funguntur*, ubi Medicus non præſto eſt) multas parturientes poſſunt ſublevare: quare rus petentibus hæ pilulæ ſemper in promptu habendæ ſunt, ubi neceſſitas poſtulat, iiſdem uſuris, *ubi neceſſitas poſtulat*, inquam, nequaquam enim iis verorum dolorum cruciatum tollendum puto, quod deſipientis eſſet, ſed ſolummodo pravis iſtis tergiverſantium dolorum cruciatibus auferendis inſerviunt. Vide *de his pilulis* Cap. XXVI.

CAP. XVIII.

Qua ratione ex tactu innoteſcat, an parturienti futurus ſit labor facilis vel difficilis.

OBſtetrix prægnantem, quamprimum laboribus corripitur, tactu explorans, quum ſentit: *uteri infimam partem cum capite infantis in pelvim illapſam eſſe*, ita ut illam in limine vagi-

Unable to display this page

CAPUT XIX.

Qua ratione ex tactu cognosci possit, an infans ad exclusionem bene vel prave situs sit.

DUplicem Obstetricantes partum recensent, quorum alter ipsis dicitur *Naturalis*, alter verò *Non-naturalis*: per *partum naturalem* intelligunt eum, quì sine arte vel ope aliena solius Naturæ efficaciâ perficitur, sive, ut verbo dicam, *facillimum & commodissimum*: per *Non-naturalem* autem sive pravum intelligitur quodcunque partûs genus cum difficultate conjunctum, cui *adjutorio aliquo Obstetricantium* opus est, quo removentur vel corriguntur, quæ remoram faciunt: imprimis autem *recta uteri atque infantis positura ad partûs facilitatem facit*, rectâ lineâ secundum longitudinem cavitatis pelvis in vaginam uteri muliebria versus tendens: Sin aliter se res habeat, tum *partus pravus* est, & manus artificiosa requiritur ad fœtum excludendum, uti postea videbimus, quum de partu naturali & non naturali agendum erit.

In hoc rerum statu *prudentis providæque Obstetricis* est, parturientem accuratius tactu explorare, ad dignoscendum: *an uterus & infans recte aut prave ad exclusionem dirigantur*: ista *exploratio fit duobus prioribus digitis butyro vel oleo probe delinitis*: pleræque opulentiores oleo utuntur liliorum alborum, aut alio leniente, aliæ oleo olivarum; apud rusticas verò vix quicquam præter oleum raparum aut butyrum liquefactum invenire licet: omnia tamen bona, & pretiosissima optima sunt, si suppetant, ac homines solvendo sint, sed nullis inhæreſcamus, verùm necessitate exigente adhibeamus, quæ providentia divina suppeditat.

Tactus fit duobus prioribus digitis sive dextræ sive sinistræ, prout positura parturientis, vel etiam uteri admittit, aut Obstetrici accommodum est, quòd si dextra non conveniat, sini-

stra

ſtra adhibenda erit; talis enim nonnunquam uteri ſitus eſt, ut jam dextra potius, jam ſiniſtrâ attingi queat, cui rei Obſtetrix ſeſe accommodet oportet.

Duo ad tactum adhibentur digiti, ut eo melius ſingula ſenſu diſtinguantur: duobus enim digitis & amplecti quid & metiri poſſumus, quod unico ægre vel omnino non licet, exempli gratia: ſi os uteri clauſum inveniatur, duobus digitis optime explorari poteſt, an *præacutum* & *craſſum*, an verò *planum* ſit & *tenue:* diſtentis digitis ſi comprehendi poteſt, magis acuminatum erit, & conſequenter craſſius, quàm ſi comprehendi non poſſet, perinde ac ſi planum aliquod & latum corpus, aliquatenus ſaltem rotundum, attigiſſes: Sin apertum ſit os uteri, ambobus digitis diſtentis amplitudinem aperturæ ſenſu citius explorabis, quàm unico ſaltem digito: duobus item digitis rotunditatem capitis ad oſtium inclinati aut formam ejus dimetieris melius, quàm unico; & ſic de omnibus, quæ in oſtio ſeſe præbent obvia.

Ut verò *novitiis Obſtetricibus* pateat, *quomodo prudentiâ jam pollentes Obſtetricantes ſeſe gerant in tangendis parturientibus*, paucis hiſce eas monitas & informatas volumus.

Primò: Summopere cavendum, *ne digitorum ungues ſint prælongi*, *anguloſi*, *acuti* vel *inæquales*, ſed *læves* potius & *breviores*, ne ullas, quas permeant aut attingunt, partes lædant, quod factu facillimum eſt iis maxime, quæ meatum non ſatis cognitum, nec manus habent exercitatas.

Secundò: Digitos largiter planeque illitos per labra muliebrium leniter ſeparata *ingerunt in vaginam*, caventes, ne digitis vel unguibus ad latera aliaſve partes impingant, rugis aliiſve quibuſvis rebus obviis cedunt, quantum poſſunt, rectum meatum tenentes, potius deorſum quàm ſurſum ad veſicæ cervicem tendunt, uſque dum digiti, ſenſim & leniſſime inter cervicem veſicæ & inteſtinum rectum illapſi, reſultantes os vel infimam partem uteri offendant, cujus formam digitorum apicibus accurate contrectant & dimetiuntur.

Tertiò: Partium istarum notitia ipsas informat, manum vel digitos immissos *non secundùm longitudinem fœminæ*, sed *sursum obliquatos* pertendendos esse, quasi à pudendis umbilicum attingere vellent, is enim circiter locus est uteri; si verò digitos rectà protenderes, unguibus intestinum rectum in curvamine ossis sacri offendens vaginam facilè læderes.

Ut igitur certior fiat Obstetrix, an infans in recte fito utero bene vel prave situs sit, sequentia sunt observanda: *mentum infantis recte siti pronum ad pectus inclinatur*, *vertex autem in medio orificii uteri aut ante illud versatur*; quod ut illa distincte sentiat, opus id jam esse hiulcum, ita ut ad minimum unum aut duos digitos immittere possit, aliàs membri exhibiti certior esse non poterit, cognito jam rerum statu etiam adhibeat cautionem, ut ne alias ejus certiores reddat, uti pleræque imprudentes solent se ipsas prostituere.

Nec, quod dixi de digitis in uterum immittendis, penitius faciendum puto: si enim caput prævium & os uteri apertum fuerit, digiti ulterius immitti non possunt, quàm ut intra oram oris uteri caput infantis attingat, quod sæpius, si apertura ampla satis fuerit, magis prominet, quàm ipsa orificii ora; quum enim globosum sit caput, extrema rotunditas prostat instar pilæ, inditæ in vesicam bubulam recentem cervice præsciissa, per quod foramen angustius si pilam vi trajicere tentes, dum foramen ampliatur, rotundum pilæ extremum prominens primò omnium tactui est obvium: quoniam autem os uteri multo crassius est vesicâ, cui cervix præsecta est, circa rotundum & prædurum caput infantis crassior ora percipitur, quæ quo magis dilatatur, eo magis extenuatur & complanatur, quia repentina est & violenta isthæc dilatatio.

Et nates quidem, vel altera earum in ostio sese exhibens suam habet rotunditatem, uti & genu vel cubitum, at isthæc membra à capite facilè distingui possunt: capitis enim globositas non solùm latior & planior est, quàm genu sive cubiti, sed & duritie superat nates, quippe os & caro à se invicem nullo negotio dis-

cer-

cernuntur, insuper caput ossium hiatu sive molli inter ossa membrana facilè dignoscitur, atque inde distincte percipi potest, an caput infantis prævium circa ostium versetur necne.

Quemadmodum *Obstetrix callida* in pluribus quidem fœminis tactu probe distinguere novit caput à natibus, genu vel cubito ante profluvium humorum, imò antequam isti certam adhuc formam composuerint: ita etiam caput facilè distinguere poterit à *manibus*, *pedibus*, *funiculo umbilicali*, vel *placenta uteri*, quarum partium quælibet ad exclusionem prævia prodire poterit, quare summa in eas attentione opus est: manus digitis, pes digitis itidem vel calce, funiculus umbilicalis terete tenuitate & mollitie dignoscitur: Hæc omnia facilius cognoscuntur, si ruptâ membranâ humores defluxerunt, tum enim denudatæ partes ostio imminent, distinctu faciliores, quàm si contrectentur intermedia humores continente membrana: quamobrem pleræque *Obstetrices* parum student accurate percontari, qualis infantis situs sit, aut quænam membra ostio immineant, cunctantes plerumque usque dum humores efluxerunt, tum satis se putantes tempore ad futuras, errati inde maximi & negligentiæ incusandæ, uti fusius sequentibus dicetur.

Aliæ fœminæ *facillimè* tactu explorantur, aliæ verò perquam *difficulter*: priores plerumque & facili gaudent partu, quòd fœtus earum inferius in cavitate pelvis positus capite recta fere versus muliebria nutet; & quamvis forte juxta cum capite funiculus umbilicalis manusve prodeat, facilè tamen id corrigi potest, uti sequentibus patebit: Quæ verò non nisi difficulter tactu explorantur, iis plerumque & partus est difficilis, cujus variæ rationes è pravo situ sive uteri sive infantis proveniunt, quod summa attentione observandum est: licet enim uteri positura sit percommoda, si fœtus in illo prave sese vertat, difficilem partum sequi necesse est: & vice versa utut infans recte ad exclusionem situs sit, uteri tamen perversa positura partum dabit difficilem, imo maxima difficultas pariendi è prava hac uteri positura resultat, imprimis si simul conjuncta fuerit cum pravo infantis situ:

qua de re vide Cap. XI. in quo ostendimus, uterum prave situm necessariò consequi partum difficilem, quod, ne actum agere videamur, hîc loci non repetemus, eò Lectorem remittentes.

Ut verò è tactu cognoscatur, qualis positura uteri sit, sequentia probe notanda erunt: *infans* scilicet (ut sæpe fit) *sua sponte* sine adjumento & labore *vertice in cavitatem pelvis illapsus* uteri recte siti argumentum est, tumque os uteri in limine vaginæ facilè contrectari potest: contrà verò *si infante bene posito os uteri cum capite retrorsum ossi sacro vel vertebris obnixe apprimatur*, tunc uterus longitudine sua prorsum situs est, id quod frequens est fœminis ventrem propendentem gestantibus, & hoc modo os uteri difficulter potest tangi, utpote obversum intestino recto & ossi coccygis, ubi ipsum tentabit attingere obstetrix.

Quòd si contrarium contingat, ut scilicet *os uteri ossibus pubis & vesicæ firmiter obnitatur*, in cavitatem pelvis non valens illabi, id argumento est, uterum longitudine sua proxime vertebris lumborum situm esse; tum Obstetrix contrectatura caput infantis, digitos juxta ossa pubis & vesicæ cervisem sursum protendere debet, hac ratione os uteri & caput infantis tactu exploratura: Vel *si* fortè *infans recte ad exclusionem positus capite sinistræ oræ pelvis*, sinistro scilicet ossi ilium vel pubis *obnitatur*, inde concludendem: uteri fundum dextrorsum versum esse: contrà verò *capite infantis dextro pubis vel coxendicis ossi obverso* colligere licet, uteri fundum in dextro parturientis latere positum esse: *hac ratione os uteri ægre attingitur*, utpote intra corpus nimis suspensum; possibile tamen est & summe necessarium ad auxilium parturientis, siquidem in hisce quatuor extremis matri pariter & infanti sine auxilio humano vel Numinis divini extraordinario adjutorio pereundum sane esset.

Ex his *Obstetrici novitiæ* satis superque liquet, *Tactionem prægnantium majoris momenti esse quàm pleræque cogitant*, & nullus dubito, multas *obstetrices* secum convictas fore hoc lecto, se hactenus nunqam satis apprehendisse, quòd tactus iste tan-

tanti momenti sit: neque tamen in his quæ dicta sunt, omnis difficultas absolvitur; in qualicunque enim uteri positura sive recta sive obliqua multifarii præterera dantur *pravi fœtuum situs*, quos singulos tactu posse dignoscere *obstetricis* est *egregiæ*, & quidem ante defluvium humorum, nisi defluxerint ante ipsam arcessitam; alioqui tanto quanto potest labore contendat, ut omnes illos fœtuum situs tactu probe queat dignoscere: & si quis quærat: *cui bono*? aut quid commodi inde *Obstetrici*, *matri* vel *infanti* proveniat? respondeo: utique maximum inde in omnes redundare commodum: *Obstetrix* enim hac cognitione destituta officio, uti decet, non potest fungi, nec omnibus, quibus opus est, modis operam navare, tam matrem quàm infantem rite adjuvando: hoc clarius patebit capitibus sequentibus, in quibus dicemus de auxilio, quod obstetrices parturientibus ferre possunt & debent, ubi ad singulos casus monebimus sigillatim, quid data occasione in tangendis parturientibus observandum sit.

CAPUT XX.

Quo tempore parturiens commodissime tangatur: num ante, inter vel post dolores.

JAm quidem transeundum esset ad partum naturalem; at verò non incommodum erit, vel verbo saltem instruere prius *Obstetrices novitias*, ignorantes, *num parturientem tangere maxime conveniat ante ingruentes dolores, vel sub ipso eorum impetu, vel iis jam præterlapsis*: Ejusmodi obstetricibus respondemus: necessarium esse tangere parturientem *ante ingruentes dolores*; tum enim membrana, quâ humores continentur, laxa est, ut percommode infantis positura observetur: at verò *manus non statim retrahenda*, sed doloris impetus expectandus est, quo distincte sentias, an infans constanter ostio immineat necne, quâ formâ humores disponantur, an *in longitudinem* coarctentur,

tur, an verò *in latitudinem* complanentur: an dolores sint vehementiores vel leniores, & quicquid *Obstetricis* interest scire, vel tactu explorari potest: porro *doloribus præterlapsis* sensu percipi potest: an partum promoverint necne; unde concludimus: *tactum ante, inter & post dolores convenire:* At verò cavendum est, ne membranæ, quibus humores continentur, nimis duriter contrectando, rumpantur, imprimis si per humores doloribus depressos vehementer distentæ fuerint.

CAPUT XXI.

Qua ratione è tactu cognoscatur: quid agendum sit ad juvandam parturientem & infantem.

Qualiscunque situs sive rectus sive pravus, sive uteri sive infantis nullo alio modo verius dignoscitur quàm *tactu:* quòd si obstetrix parturienti sit auxilio in quocunque casu adverso partum difficilem comitante, summe necessarium est, eam prius tactu dignoscere & sagaciter dijudicare, *qua in re sive matri sive infanti auxilio opus sit, quâve viâ illud sit afferendum:* deinde manus operi admovenda vel alterius vel utriusque emolumento: Insipidæ verò obstetrices tactûs cognitione destitutæ, non nisi à Natura omne subsidium expectant, summo sane cum periculo, & casu fit, quicquid vel matri vel infanti commodi vel incommodi afferunt, id quod sequentibus patebit, quum dicturi sumus de partu non naturali, & de modo infantes vertendi, ubi data occasione è tactu innotescet: quid faciendum sit ad sublevationem & enixum sive matris sive infantis, quod ne crebrò repetamus, Obstetrices eò remissas volumus.

CAP.

CAPUT XXII.

Qua ratione per tactum sciri possit: an prægnanti ante tempus consuetum partus sit promovendus necne.

CONsuetum pariendi tempus plerumque incidit, si fœminæ ad *septimum*, vel ultra ad *nonum* usque *mensem* utero gestantes genuinis ad partum urgentur laboribus, quibus eundem enituntur, sive manu obstetricante adjutæ sive non: At verò accidit nonnunquam, ut gravidæ *præmature* enitantur, vel ad vitam earum conservandam fœtus præmature extrahendus sit, sive id proveniat ex insigni aliquo infortunio præcedente, *casu* scilicet, *ictu*, *concussione* seu *læsione*, sive ex *affectu animi vehemente*, *terrore*, *metu* vel ingenti *mœrore*; sive id *sponte* fiat sine præcedente casu notabili: Hunc abortum plerumque præcedunt copiosa sanguinis profluvia, quia secundina vel omnino vel ex parte ab utero divulsa est; quo facto acetabula hiant, nec occludi possunt, quamdiu uterus magnitudine pristina plane manet distentus: in hoc rerum statu nulla medicamentorum est efficacia, & *nisi partus excludatur*, prægnanti unà cum fœtu pereundum est, nam copiosi sunt isti fluores, nec cessant, quamdiu sanguis valde commovetur, unde defectiones animi & convulsiones sive spasmi sequuntur, denique mors matris pariter & infantis.

Equidem non idem periculum vel consequens omnium in prægnantibus fluorum: quibusdam enim prioribus quatuor, quinque vel sex prægnationis mensibus menstruæ adhuc contingunt purgationes, quæ, nisi nimiæ, nec ipsis nec fœtui nocent: Et mihi quidem (uti supra memoravi) innotuit aliqua, cui nunquam ante prægnationem menstrua fluebant; at gravida statis semper vicibus fluxum patiebatur menstruum, usque dum partum eniteretur; post puerperium autem cessabat fluxus usque ad iteratam prægnationem, à qua more solito durabat, & sic

porro

porro, usque dum omnem liberorum parituram absolvisset: quibusdam item gravidis contingit, ut excernant sanguinem, quo uterus ab ejusdem congerie quadam purgatur, quod licet nonnunquam derepente & copiose satis fiat, nullum tamen gravius malum sequitur.

Differentia, quæ intercedit inter fluxus ordinarios, exclusionem fœtus haud exigentes, & illos, quos aut excluso fœtûs aut mors necessariò sequitur, in eo sita est, quòd prius fluxuum genus tanquam ordinaria evacuatio *leniter* succedat, non nisi consuetis mensium doloribus conjunctum, per vices quoque nec continue fluens tandem ultro sistitur: par ratio est fluxuum extraordinariorum, quæ subitæ quidem & abundantiores ac diuturnæ, post horas tamen nonnullas dieve adhibitis probis medicamentis cessant: qui verò vel enixum exigunt fluores, vel mortem inferunt, *subitò* prorumpentes *abundanter* & *sine ulla intermissione* fluunt, præterquam quòd facta è grumis sanguinis obstructione minui quodammodo videantur: hac occasione tactu os uteri reperies aliquatenus apertum; quòd si secundina omnino ab utero revulsa fuerit, tactu nonnunquam ori uteri objacentem senties, id quod evidenter arguit, nullam moram interponendam, sed ocyus excluſionem fœtûs accelerandam esse, si quidem matri vel fœtui, vel utrique vitam servare velis: Et quanquam secundinam tactu non senseris, tamen divulsa esse poterit, licet nondum cum placenta delapsa sit: quapropter *si irrita fuerint medicamenta*, & *fluores continui deliquia animi adauxerint, comitantibus convulsionibus* & *spasmis, summe necessaria est partûs excluſio*, nisi prægnantem velis negligere, neque tum ratio ætatis in embryone habenda est, neque prægnationis mensium in gravida, nec dolores expectandi, nec labores, quos ejusmodi fœminæ plerumque nullos patiuntur, quippe quæ fœtum non valent eniti, nisi *obstetricantium* operâ, qui eum extracturi unum primò, deinde duos, & porro quinque pariter digitos utero intrudentes manu (cujus digiti modò in longitudinem exporrecti & coadunati, jam attrahendi quodammodo sunt & ex-

pan-

pandendi (orificium uteri dilatare, tum si membrana primò fuerit obvia, eandem digitis perforare debent aut unguibus, qui licet decurtati, huic tamen rei, quum opus est, inservire possunt, tunc missis omnibus aliis membris sine mora pedes primò quærentes, eos extrahant, & hoc pacto infantem in lucem proferant oportet: quo facto promptissime & secundina excludenda est: Quod si uterum aperienti non membrana, sed placenta primò fuerit obvia, eandem quoque perforet vel rumpat, porro pergens modo jam dicto, extrahendo fœtum pariter & secundinam, cujus rei tractandæ modum sequentibus fusius monstrabimus, dicturi de modo auxilii parturientibus in omnigeno difficili labore ferendi.

CAP. XXIII.

De partu naturali, vel potius facillimo.

PEr *partum naturalem* intelligimus eum, qui sine arte & auxilio alieno fit, nec isto opus habet, talisque est, *facillimus*, cujus hæc sunt requisita.

1. Parturiens neque generalibus neque specialibus infirmitatibus sit obnoxia, quæ partui obesse possent.
2. Uterus sit bene locatus.
3. Uterus sit integre sanus, & ad partum excludendum bene dispositus.
4. Infans in meatu sive transitu non retardetur prava aliqua dispositione sive pelvis, sive vaginæ, sive vesicæ, sive intestini recti, sive pudendi.
5. Infantes, sive unicus, sive plures, sint vivi.
6. Infans non præmature nascatur.
7. Nec sit monstrosus, nec ulli accidenti obnoxius, quod partum morari possit.
8. Integra infantum proportio ne sit nimia respectu canalis sive transitûs.

9. Recte & bene siti prodeant infantes.
10. Exclusio procedat à doloribus ultroneis, non verò aliis adminiculis.
11. Eadem proveniat à genuinis doloribus, non verò tergiversantibus.
12. Partus sit maturatus citra notabilia symptomata.
13. Si plures sibi infantes succedant, singuli supra dicto modo excludantur; aliâs alius naturaliter, alius verò præternaturaliter nasceretur.
14. Secundina infantem mox sequatur sine notabili quodam obstaculo.

Hæc partûs naturalis requisita fusius hîc loci non explicabimus, infrà monstraturi peculiaribus capitibus: *Si unum vel plura illorum desint, partum dari difficilem:* ibidem igitur ulteriorem explicationem inveniet Lector.

Partum *naturalem* ego *arctioribus* hîc *circumscribo limitibus, quàm alii Auctores solent*, quia inde tanto facilius mihi est, *præternaturalem* sive *difficilem* partum describere: Equidem aliis liberum fuit sensa mentis suâ cuique methodo explicare; ergò & mihi liberum erit, ex voluntate mea hac uti methodo: utra sit optima, penes modestum & prudentem Lectorem esto judicium: mihi quidem persuasum habeo, limites istos perutiles esse ad impertiendam *novitiis obstetricantibus* distinctam cognitionem *partûs naturalis* pariter & *præternaturalis*, quam ex aliis Auctoribus ægre licet haurire.

Per *naturalem* igitur (uti jam dictum est) talem partum intelligimus, qui sola Naturæ vi sine arte vel alieno auxilio perficitur, neque ulla *Obstetricantium* opera opus habet ad exclusionem fœtus: contrà omnes fœtuum exclusiones, qualemcunque *obstetricantium* operam exigentes, *præternaturales dicimus* & *artificiales* vel *difficiles*; ideoque non opus est novitias obstetrices informare, quid in ejusmodi naturali partu faciendum sit, utpote quod status rerum contrarius solummodo postulat: omne officium Obstetricis in partu naturali absolvitur, *si infantu-*

lum


Fig: 6
a
a
b
b
c
c
d
d
h
e
e
f
g
g

lum excipiat, funem umbilicalem abscindat, lavando & fovendo curet corpusculum, vel Assæ cuidam id faciendum committat.

Antequam verò hoc Caput absolvamus ad partus *præternaturales* vel potius *difficiles* transituri, haud absre erit monstrare *novitiis obstetricibus:* quali positura gaudeant infantes bene versi in utero convenienter locato ante & in ipso partu naturali, ut inde eo melius pravas uteri & infantum posituras distinguere discant: quem in finem inspiciamus *sextam, septimam, octavam & nonam Figuram*, quas, ut penitus à novitiis obstetricibus intelligantur, hoc modo explicabimus.

Sexta Figura exhibet *uterum bene situm*, & fœtum in eo eâ, quâ plerumque gaudet, positurâ, antequam vertatur, *dorso* scilicet *lumborum vertebris opposito, cruribus decussatis, manibus impositis genibus, naso ambobus pugnis interjuncto:* hac positura infantes plerumque sedent, usque dum verti cœperint, & tum nutantes communiter *capite prono præcipites delabuntur* versus ostium sive os uteri: contrà quidam infantes faciem cum ventre obvertunt spinæ matris, qualis positura in *septima* exhibetur *Figura*: Sed hîc notandum est: quòd præposteram hanc posituram præpostera etiam ad exclusionem versura sequatur, nisi infantis facies delabendo invertatur; si enim faciem infans non vertit, dum pronus vel supinus delabitur, caput quidem deorsum ad os uteri deferetur, facies autem, aliàs prona, jam erit supina, id quod partum sæpius difficiliorem reddit, quàm si situs omnimode bonus fuerit: Nonnunquam etiam infantes omnino non invertuntur, sed dicto modo sedentes pedes deorsum protendunt, iisque prævius in ostium feruntur, de quibus suo loco.

Explicatio 6. Figuræ.

a a Duæ vertebræ.

b b Circulus repræsentans locum ventris.

c c Uterus bene situs, in quo infans bene situs sedet, antequam prono capite delapsus est.

d d Ossa coxendicis sive ilium.
e e Ossa pubis.
f f Acetabula sive pyxides, in quibus capita ossium coxendicis vertuntur.
g g Ossa sedentaria.
h Infans in utero sedens, antequam prono capite delapsus est.

Explicatio 7. Figuræ.

a a Vertebræ.
b b Circulus repræsentans locum ventris.
c c Uterus, in quo infans præposterè sedet.
d d Ossa coxendicis sive ossa ilium.
e e Ossa pubis.
f f Pyxides ossium coxendicis.
g g Ossa sedentaria.
h Infans in utero.
i Vena umbilicalis.
k Secundina sive placenta uteri.

Explicatio 8. Figuræ.

a a Duæ vertebræ lumborum sive dorsi.
b b Circulus repræsentans ventrem.
c c Ambitus uteri, in quo infans potest videri.
d d Ossa ilium vel coxendicis.
e e Ossa pubis.
f f Pyxides seu acetabula, in quibus capita ossium coxendicis vertuntur.
g g Ossa sedentaria.
h Infans bene versus in utero, dorso prorsum, capite deorsum in pelvim, clunibus sursum tendens.
i Caput infantis in ostio.
k Funiculus umbilicalis.
l Placenta in fundo uteri.

Ex-


Fig 7
a
a
k
b
b
c
c
d
d
h
e
e
f
f
g
g
Phi: Boultats fecit

Fig: 8
a
a
b
b
c
c
k
h
d
d
e
e
f
f
g
g
i


Fig: 9
c
b
d
n
b
k
d
a
a
a
a
a
a
l
c
g
m
i
f
h
h

Explicatio 9. Figuræ.

aaaaaa Sex vertebræ dorsi vel lumborum.
bb Circulus repræsentans ventrem.
c Locus umbilici.
dd Uterus bene situs, in quo infans à latere conspicitur.
e Alterum os ilium seu coxendicis.
f Pyxis vel acetabulum, in quo vertitur os coxendicis.
g Alterum os pubis.
hh Ossa sedentaria.
i Posterius ossis sacri curvamen eminulum.
k Infans bene versus in utero.
l Funiculus umbilicalis.
m Caput infantis in ostio clarius repræsentatum, quàm structura ossium admittit, ut melius conspici queat, aliâs capite ossis coxendicis caput infantis potissimum obtegeretur.
n Placenta sive Secundina.

Ulterior octavæ & nonæ Figuræ explicatio.

Octava & nona Figura exhibent duos infantes bene versos in uteris bene locatis, hoc solùm discrimine, quòd *Figura octava* ex adverso exhibeat uterum cum infante dorsum nobis obvertente: *eademque Figura* apprime ostendit infantem capite suo in pelvim illabentem; sed ex ea non potest perspici, quantum à vertebris lumborum distet fundus uteri, nam ex hac sola Figura judicans facilè putabit, fundum uteri quàm proxime lumbis sive dorso fœminæ applicari, quum tamen res non ita se habeat, sed contrà fundus superiore parte à vertebris lumborum longius dissidet, & circa umbilicum potius situs est, quod ut Lectori clarius pateat, eandem Figuram à latere delineandam curavi, uti in *nona Figura* videre est, in qua fundus uteri circa umbilicum conspicitur.

Hîc notandum: quòd utraque hæc Figura repræsentet *maxime convenientem uteri & infantum posituram, eorumque versio-*

nem optimam, ita ut excludi possint partu pure naturali: rebus enim, ut hæ Figuræ præ se ferunt, constitutis infantes proprio suo pondere in pelvis cavitatem feruntur, & gravitate sua os uteri premunt, transitum urgentes, ut irruente vel minimo dolore porro detrudi & omnino excludi possint, quia isti uteri & infantis posituræ nullus ossium officit obex, quibus infans obnixus retardari posset: quid igitur mirum, è convenienti hac uteri & infantum positura resultare facilem partum? neque hîc opus est enitenti *infanti* aut occultæ cuidam *Naturæ* tribuere sapientiam, qua alter exitum quærat, altera verò eundem secundet, uti olim dicebant: necessitate mater æ hæc consequuntur, æque ac duæ unitates duabus adhuc additis quatuor constituunt, vel sicut corpus rectum recto tubo secundùm longitudinem immissum propria mole deorsum fertur, ac vel minima depressione adactum facile penetrat; ita hujusmodi infantes proprio gravitatis pondere inter ossa penetrant in vaginam uteri, quæ dolorum deprimentium vi facile dilatatur: & licet interdum os coccygis quodammodo resistat, capite tamen infantis plerumque removetur, ut illud hoc modo facillime excludatur.

Quæret fortasse quispiam: an utero & infante bene locato versoque nunquam non partus facilis succedat? vel an quidem aliis de causis partus reddi possit difficilis? cui respondemus: solam convenientem & uteri & infantum posituram non absolvere partum naturalem, sed omnia pariter, quæ hoc Capite XXIII. proposuimus, requisita exigi: attamen certa res est, quòd data hac uteri & infantis conveniente positura plerumque & partus detur facilis.

Porro hîc notandum: quòd, data illhac uteri & infantis conveniente positura, qualem *Figura octava & nona* exhibent, si dolores musculis thoracis & abdominis undique contractis uterum coangustant & comprimunt, tum necessariò humores, quibus fœtus innatat, ingentem in os uteri impressionem faciant, per idem effluxuri: Notandum insuper: Si tenue fuerit os uteri & molle, oraque pelvis arctior, tum humoribus os uteri amplifica-

ficari, ita ut caput infantis magna ex parte denudetur, antequam ad ostium omnino delapsum sit: Sin verò superior pelvis ora amplior fuerit, rigidiusque os uteri aut durius, in pelvim quidem capite delabetur infans, ore tamen uteri parum aperto: dolores enim thorace & abdomine contracto non nisi generali depressione uterum undiquaque coarctant, excepta solùm ejus parte acuminata, quæ jam ex parte in pelvim penetrare cœpit, & propterea extrinsecus non reprimitur; sed humores utero vel potius membranis secundinæ inclusi intrinsecus impressionem in aperturam oris uteri faciunt, quod, quum infra nil obversum renitatur, ista impressione necessario aperitur, dum interim collum uteri pelvis angustiâ retinetur: uterus verò ab angustiore pelvis ora non retardatus & retentus à coarctantibus doloribus mox deprimitur, usque dum ab acumine ossis sacri pudendique angustiâ retardatur, quo demum loco humores os uteri omni impetu urgent, ut aperiatur, magisque subinde dilatetur, donec vel tandem ruptâ membrana humores effluant, fœtusque brevi postea sine multo labore excludatur: Notandum præterea obiter, quod alibi pluribus explicabimus: quòd data hac recta uteri & infantis positura inter labores parturienti sine magno conatu contingere possit *uteri ejusve vaginæ procidentia*, si scilicet pelvis nimis ampla fuerit ad proportionem uteri, & quod in illo continetur, si insuper os uteri crassum sit & durum, ipsaque muliebria laxa facilè dilatentur: Dolores omnia promiscue deprimunt, pelvis ob amplitudinem uterum suprâ non retinet, nil illum remoratur, nisi infrà os coccygis & angustia muliebrium, quæ nisi retardarent illum, repentino impetu extra corpus prorumperet: Quum igitur os coccygis facilè cedat, & pudenda dilatentur, cum capite infantis simul uterus partim extra corpus procidit eousque quidem, ut ligamenta & vagina uteri quàm maxime extendantur & relaxentur, atque ægre post partum loco nativo restituantur vel remaneant, pondere suo semper ad prolapsum proclivia: Quid verò Obstetrici faciendum sit, ut hoc malum præcaveat vel redintegret, suo loco videbimus, sufficit hîc loci breviter id annotasse.

Eos

Eos verò, qui uterum in partu tam tenuem esse opinantur, quàm vesicam distentam, hîc loci interrogatos velim: Si fœminæ repente ac sine violenti tractu fœtum & secundinam excludunt, *cur uteri fundus tum non concidat, invertatur aut simul cum fœtu prolabatur?* tum temporis enim sat spatii datur, & certissime id fieret, nisi crassior esset vesicâ distentâ: fortasse respondebunt: quòd præ subita contractione ille non possit concidere aut inverti, & quòd à latere secundùm longitudinem iterum comprimatur; Sed respondeo: quòd repentinus partus utero non admittat subita sui contractione resistere comprimentibus intestinis, concidere & delabi cogentibus; & quòd impressio non tam à latere quàm superne in fundum uteri irruat, unde, nisi crassities obstaret, repente concideret & inverteretur, quòd quidem fit, si infrà inepte trahendo funiculum umbilicalem, & suprà pariter intestinis deprimentibus is cogitur concidere, ut in ostio instar capitis percipiatur, quia tum intestina in uterum delabuntur, eundem replentia, unde dolores intolerabiles & repentina mors sequuntur, nisi manu solerti suo mox loco nativo restituantur: *Obstetrices* igitur *novitiæ* & ex hoc casu observare poterunt: quantæ utilitatis sit crassities uteri, præsertim in illius fundo: Quamvis autem *fundus* ad instar vesicæ distentæ tenuis non concideret vel inverteretur, necessariò tamen post ejusmodi partum subitaneum concideret *uterus*, & ita complicatus prorsus delaberetur in cavitatem pelvis, quod nonnunquam, licet rariſſime, contingit, si scilicet insigniter fuerit tenuis, tunc quidem circa manum complicatur instar lintei madidi, neque tam cita tum facilisque ejus contractio est, quod mihi non arridet, quin potius mallem, eum consuetam servare formam, & statim à partu rite contrahi, & circa manum nondum retractam claudi, quòd multo pauciora tunc symptomata extimescenda sint.

CAP.

CAPUT XXIV.

De partu præternaturali seu difficili in genere.

PRæcedenti Capite dictum est de *partu naturali* sive *facillimo*: ubi *Obstetricibus* non est, quod agant, Natura enim ipsa opus suum perfecte absolvente arte non opus est nec ope externa: Jam igitur sermo erit de partu illo, in quo *ars* requiritur & *auxilium*, ubi *Obstetrices novitiæ* informandæ sunt, qua ratione ars succurrat Naturæ, imò sola efficiat, quod Natura non valet, variis impedita obstaculis: Quum autem isthæc obstacula diversimode sese offerant, & *Obstetricibus novitiis* necessarium sit scire, qua ratione se in quavis rerum occasione gerant, ut parturienti & fœtui sint auxilio; nos, quantum quidem possumus, ordine concinno omnes casus proponemus, ubivis sigillatim ostendentes: qua ratione Obstetrix tactu de statu de rerum certior fieri & omnia expedire queat.

Prius autem ipsas *Obstetrices novitias* semel atque iterum monitas velim: quòd supponam, illas sat scire, quicquid agendum sit sive tactu, sive quocunque alio modo, quo fœtum excludere studeant, quòd ante omnia digitorum *ungues sint decurtati, plani læveque*, *manuum* item *digiti*, quoties iis utuntur, *nunquam non illitæ oleo*, *adipe vel butyro*, ut commodius & cum minore periculo fiant, quæ agenda sunt, id quod singulis semper vicibus denuo inculcare non lubet: Ipsas insuper monitas velim: quòd omnino statuam, quibuscunque unquam partûs difficultatibus adsint *Obstetrices*, *illis non licere sine vel cum instrumentis infanti demere membrum, nec uncinulis aliisve instrumentis istum extrahere*: varius enim situs obliquus sive uteri sive fœtûs illud ne unquam quidem exigit, quamobrem istiusmodi actiones non solùm ab *Obstetricibus*, sed & à *Chirurgis Obstetricantibus rejiciendæ*, quorum quidem id esset, non verò *Obstetricum* si necessitas id postularet: Sub finem hujus Libri memorabo *usum instrumentorum*, qui non nisi rarissime obtinet.

CAPUT XXV.

De partu difficili, ex morbis generalibus aut specialibus proveniente.

PArtus *difficilis* vel à *Matre*, vel *Fœtu*, vel *Obstetrice* originem sumit: à *Matre* inducitur: si *generalibus* vel *specialibus* morbis laboret, vel *mala corporis conformatione*, vel singulari quodam *partium genitalium vitio*: Fœminæ diuturna *febri*, *epilepsia*, *hydrope*, *stomachi intemperie* aut alio morbo tantam omnium virium jacturam facere possunt, ut jam parturientibus nihil earum supersit, quibus connitantur cum doloribus ad partum excludendum, unde is retardatur & differtur, ac *Obstetricibus* incumbit hisce majori opera adjumento esse, quàm aliis, quæ vigore Naturæ valent conniti cum doloribus ad levandum & maturandum partum: Nonnullis etiam fœminis partum præpediunt *morbi subiti speciales*, utpote *Colicæ*, *lumbago*, *dolor nephriticus*, *vomitiones*, *convulsiones*, *immodici fluores*, *diarrhœa*, aut alia particularia accidentia, quæ singula plus minus laborem retardant pro morbi vigore vel declinatione.

Quò igitur *generales* istæ *infirmitates* aut *morbi* eorumque semina tollantur, prægnantium erit, quantam quidem possunt, curam gerere, ut in tempore adhibitis medicamentis revalescant: isthoc verò *prudentis Medici*, non verò *Obstetricum* munus est, quas istud suscipere minime decet: Idem dictum volumus de *morbis*, quibus parturientes ante vel sub partum corripiuntur, *specialibus*, ubi *Obstetrici* ad *prudentem Medicum* confugiendum, ad cujus consilium parturiens tractanda est, ita ut hîc loci rebus sic constitutis informatione nostra non opus sit; id saltem volo, ut *Obstetrix* ejusmodi parturientem leniter & fideliter adjuvet, benigne cauteque tractet, omnemque diligentiam adhibeat, quò laxum & lubricum infanti præbeat iter, os uteri, si necesse sit, retineat cohibeatque, blandis alloquiis mulierculam consoletur animumque addat: Adstantes fœminæ summopere caveant,

ne-

nequid frigus offendat, cibisque corroborantibus & medicamentis à *Medico* præscriptis vires ejus reficiant.

Quòd si auxilio adsint *Obstetrices* parturientibus *spasmo*, *convulsionibus*, *epilepsiæ*, *immodicis fluxibus* vel *deliquiis animi* obnoxiis, *quarum infantes prave versi prodeunt*, tum tempus non terant caput in ostium dirigendo, sed contrà ore uteri quodammodo jam aperto, si labor diuturnus & difficilis expectandus sit, quocunque modo membranas rumpere, (si ruptæ nondum fuerint) fœtumque pedibus extrahere tentent, cujus rei modum sequentibus trademus.

Consultum etiam haberem, ubi *Medici* ad manus sunt, *Obstetrices ne unquam quidem parturientibus medicinam exhibere nisi conscriis & approbantibus Medicis*, nec unquam aliter agere decet studentes conscientiæ: ruri verò, ubi aliter fieri sæpius non potest, *Obstetrix* tenetur, quibuscunque potest, mediis modisque opitulari: opera tamen manuaria plurimùm sublevabit.

Male conformatæ, utpote *gibbosæ*, *incurvatæ*, indeque vel aliis de causis *asthmaticæ* non citò sellæ insideant, sed dum quodammodo valent, ambulent vel stent, ab aliis sustentæ, usque dum infans ulterius ad partum promotus mox excludendus sit, sed cavendum, ne in terram decidat: Sellæ jam imponendæ superiore parte corporis sublimius reclinentur, ut sedeant magis quàm cubent, quò facilior sit respiratio, nisi aliud postulet situs uteri vel infantis.

CAPUT XXVI.

De Utensilibus, quæ secum portet Obstetrix, sive ruri sive in urbe.

OBstetrix *oppidana* in usum parturientium instructa sit accommoda & accurate constructa sella, in qua, ut res postulat, quocunque modo sedere vel decumbere possint fœminæ, sive sit

partus facilis sive difficilis: Ejusmodi *sellam* exsculptam videre licet sequenti *Figurâ* 13. In tali enim *sella perforata* parturientes multo commodius enituntur, quàm in *sella vulgari, lecto* vel *strato abbreviato:* & *Obstetrices* in ea convenientius operam navare possunt.

Obstetrix *rusticana* nunquam non secum habeat *vesicam cum alligata buxea vel eburnea fistula*, qua utatur loco stannei siphonis ad injiciendum fœminis, si opus sit, *clysterem:* tales enim *vesicæ* facilius secum portantur, & commodiores clysteri injiciendo sunt, quàm stannei siphones: Illa etiam nunquam non secum habeat *herbas* quasdam *arefactas*, ad coquendum, si opus fuerit, clysterem, quamvis non semper opus sit ex herbis præparari, quum & alio clysteris genere uti possit, cujus compositionem monstrabimus.

Injectio Clysteris quid sit, & quomodo fiat.

QUoniam pleræque *Obstetrices rusticanæ* nesciunt, quid clyster seu ejus injectio sit, aut quomodo fiat, atque ego *miserrimum rusticarum statum* satis cognitum habeo, utpote quas olim per longam annorum seriem extremis sæpe periculis exemi, Deo adjuvante vitam (quum de ea jam actum videretur) ipsis vel ipsarum infantibus, quin & utrisque nonnunquam, servando, commiserationis & amoris affectu adactus, *insscias Obstetrices rusticanas* aliasque *novitias*, quàm potero, accuratissime informabo: *quomodo clyster præparandus, coquendus, & quomodo male habentibus injiciendus sit.*

Quid sit Clyster.

CLyster *est decoctum, sive liquor compositus, aptus ad injiciendum intestino recto hominis sive alvo*, sive vesicâ id fiat, cui fistula est alligata, sive siphone, composito è quacunque conveniente materia: in urbibus quidem ut plurimùm *stannei* adhibentur; ego verò commodiores judico *vesicas*, ob varias rationes, sed suo quisque abundet ingenio.

Ex-


Fig. 10
b
a
d
c
Fig. 11
b
a
d
c
e
f
Fig. 12
b
a
d
c
e
f
g
h
i

Explicatio 10. *Figuræ.*

Fig. 10. exhibet effigiem fistulæ buxeæ clysteris perfecta sua magnitudine, crassitie & longitudine, qualis homini adulto abhibetur: isthæc fistula ab uno extremo ad alterum perforata est.

a Proprie est fistula teres suprà *lit. b* à latere pluribus foraminibus perforata, ut anteriore foramine ab excrementis oppositis obstructo liquor per alia foramina effluere possit: hæc fistula plerumque corpori intruditur à summo *b* usque ad *lit. a*, aut altius quidem, si admittant excrementa.

b Acumen fistulæ perforatum.

c Pars posterior, cui vesica alligatur, utque firmius vesica maneat connexa, minusculis incisuris tornata est, ut filum, quo vesica alligatur, firmius inhærendi ansam habeat.

d Locus, quo pleræque fistulæ divisæ duabus constant partibus, tunc inferiore parte *c* minor adhuc fistula est quæ fistulæ *a* infigitur: hujus usus est, si fistula *a* parte anteriore *lit. b.* obstructa est, tunc fistula *a* potest extrahi & purgari, ut non opus sit solvere vesiam: hoc verò commodum incommodo conjunctum est, scilicet hæ fistulæ sibi invicem infixæ facilè moventur aut hiant: utroque genere ego usus sum, sed solidas aliis præfero; at hic etiam cuilibet liberum est, quod libet.

Fig. 11.

a b c d Eadem quæ antea fistula est buxea, minore tantùm forma spatii ergo excusa: huic fistulæ alligata est vesica: minores vesicæ *bubulæ* commodiores sunt & solidiores.

e Vesica *lit c* fistulæ tenui funiculo alligata, quod ita fit: Vesicæ parum humectatæ, collum præcidito eousque ut manum libere immittere possis, tum imo fistulæ fundo vesicæ extrinsecus applicito, eam invertito, interiorem scilicet partem extrorsum, interea fistulam dicto loco firmiter impressam tenens, vesicam probe annectito, & funiculum quinquies vel sexies circumvolutum iteratis

nodis connodato: aliàs facilè solveretur: vesicæ jam arcte connexæ fundum super fistula extentum ter quaterve subulâ perfodito, ut liquor per ista foramina in fistulam queat influere, quo facto vesicam iterum invertito, quæ tunc fistulæ annexa dependet, uti *hac Figura* 11. exhibetur.

f Est ima pars vesicæ præfecta, quâ patet, ubi Clysteris liquor infunditur.

Fig. 12.

a b c d Eadem est fistula minore forma expressa.

e f Sunt duo capita ligulæ adstrictoriæ, quâ vesica colligata est, ne inditus liquor effluat.

g Corpus vesicæ, liquore repletum, & infrà ligulâ *h* colligatum.

i Infima pars vesicæ subter ligulam dependens.

Parturienti autem clyster adhibetur vel eum tantùm in finem *ut dejiciat*, & intestina exoneret crassioribus excrementis, ut meatus laxior reddatur, & mala avertantur ex obstructione alvi provenientia: vel etiam eum in finem, *ut pigri dolores excitentur*: Parturiens si unum, duos aut plures dies non dejecerit, & è tactu deprehendatur, nil esse quod obstet, è re erit, quamprimum ipsi adhibere clysterem, quo dejiciat; idque sine magno sumptu & opera fiet hoc modo:

Recipe *furfurum triticeorum* manipulum unum: coque solos, vel cum *florum Chamæmeli* manipulo uno in sesquilibra aquæ *pluviæ*, usque ad libram aquæ: cola per linteum vel cilicium: adde duo cochlearia *sacchari*, *mellis* vel *syrupi nigricantis*, quod scilicet maxime in promptu est, & digitabulum *salis culinaris*: si non satis purgatum fuerit, adhuc semel cola, & sic præparatum est ad injectionem enema.

Vel: Recipe mediam heminam *lactis dulcis* (Frisiis *een half mengele* dicitur) nostro pondere circiter libram unam, fac semel ebulliat, ab igne remoto inde duo cochlearia *sacchari subni-*

nigri, *syrupi* vel *mellis* & digitabulum *salis vulgaris*, misce probe & cola, & erit paratum ad injectionem: adde, si lubet, aliquot cochlearia *olei raparum* vel *olivarum*.

Quòd si fœmina flatibus vexetur, tuque clysterem simul reddere velis *carminativum*, cum *lacte* coquendum erit *semen anisi*, *fœniculi* vel *levistici*, quæ *obstetrix* ubivis secum portet, & porro clyster præparandus, uti jam dictum, cum *saccharo* & *sale*.

At si opus sit clystere non solùm purgandæ alvo, sed & *excitandis doloribus*, hoc modo præparandus erit: Recipe *summitatum absynthii*, *minimarum frondium Sabinæ*, minutim scissarum, *florum Matricariæ* & *Chamæmeli* ana manipulum unum: *Semen Levistici*, *Fœniculi* & *Anisii* ana dimidium cochleare: coque omnia in sesquilibra aquæ *pluviæ* ponderis vulgaris, usque tertia pars decocta sit: cola: adde unum vel duo cochlearia *sacchari* vel *mellis* cum digitabulo *salis*: hæc simul colliquefacta, si saccharum nondum satis purgatum fuerit, adhuc semel cola, & paratus erit clyster.

Quò verò scias, quomodo res porro tractanda sit, accipe vesicam fistulæ accommodatam, eandem proxime fistulam altero funiculorum sive ligularum arcte constringe, (sicut videre est *Fig.* 12. *lit e f*) ea tamen cautione, ne funiculum vel ligulam bis, sed *semel tantùm* vesicæ circumvolvas, neque nectas nodo adstricto, sed saltem laxo, ita ut tracto altero capite ligula omnino solvatur, liquorque possit effluere vel exprimi; iste enim nodus solummodo obstet oportet, ne liquor perfluat, quando vesicæ infunditur, vel fistula intestino recto intruditur: Clystere infuso vesica & infrà colligatur altero funiculo vel ligulâ bis vel ter circumvolutâ, addito singulis vicibus nodo probe adstricto, eodemque demùm duplicato, ut firmitatis certus esse possis. Vesica hoc modo clystere repleta atque suprà & infrà colligata fistula butyro illinatur vel oleo, & *caute* intestino recto intrudatur; *caute* inquam, scilicet non tactum tantùm sed visum adhibendo, ita ut sejunctis natibus alterius manûs digitis anum distendens

alte-

alterâ fistulam leniter infigas digiti circiter longitudine, si quidem retenta id excrementa vel alia obstacula admittant.

Novitias verò *Obstetrices* monitas velim, ut prius accurate caveant, quàm clysterem adhibent, *ne calore excedat vel frigore:* calor enim nimius si ureret, mortem parturienti inferret, uti exempla testantur, vel nimium frigus effectum non modò frustraret optatum, sed & variorum malorum causa foret: at minus semper periculi erit, si peccetur defectu caloris quàm excessu: Vesicam igitur volà utriusque manûs amplectere, eamque plenam ambabus comprime leniter manibus, ac tam diu tene, dum quinquaginta circiter numeraveris; quod si non grave sit eam hoc modo medias inter manus tenere, nec calor easdem nimium penetret vel incommodet, ustionis non erit periculum: vel, Vesica clystere repleta genæ & clauso oculo aliquandiu apprimatur, quòd si calor suavis potius sit quàm gravis, isti acquiescere licebit & enema infundere alvo non nociturum: conveniens calor erit, si plus quàm tepidum sit & penitus calidum: instar lactis vel juris calidi quod commode & sine flatu vel ustione sorbere licet.

Obstetrix fistulâ in anum vel intestinum rectum intrusâ laxum illud prope fistulam nexum tracto ejus capite solvat, sed solerter sine quassu & commotione, dolorem enim excitaret: nexu soluto vesicam ambabus manibus amplexa *sensim* comprimendo evacuet, *sensim* inquam, nec subito nimis, ut per corpus possit diffundi liquor, neque parturiens affligatur subito calore, de quo, si nimius foret, quereretur: Et *Obstetricem* quidem non debet latere, *unum hominem caloris magis patientem esse, quàm alterum*, quare sensui male habentis inserviendum: At verò vesicam exprimendo non prorsus evacuet, ne aër collectus simul corpori immittatur; nec putet, se obligari omnem semper liquorem immittere: nonnulli enim hominum tenerrimo afficiuntur sensu, ut non possint omnem capere liquorem, quin rursus emitterent; ideoque cum judicio & discretione facienda sunt omnia: Liquore jam expresso fistulam leniter extrahit adhibito calefacto linteo,

per

per quod correptam altera manu fistulam traducit abstergitque, linteo simul podici prospiciens quod satis magnum quidem corpori applicat, & decumbentis corpori quadruplum vel octuplum supponit, donec cogatur dejicere, ne forte casu adverso lectus inquinetur: at unum lintei extremum è lecto promineat, ut post injectum enema fistula dicto modo possit abstergi: huic rei lodix inservire poterit illota aut aliud quid, quod in promptu est, si linteorum sit curta suppellex.

Si Clyster adhibendus est, fœmina, prout rei maxime accommodum erit, in alterutrum latus se componat corpore aliquatenus elevato, nec profundius in lectum desidente, ut commodius fistula ano intrudi possit: Nonnulli hominum ipsimet sua manu eam intrudunt, excitante eadem minores dolores, quàm aliena, talibus & liberum est id facere; aliis verò rerum ignaris *Obstetrix* infigat oportet

His peractis *testa* vel *pelvis in promptu sit*, vel *sella familiaris*, in quam dejiciat fœmina, nec procul absit *Obstetrix*, quò adjuvare & inquirere possit: num simul cum excrementis & infans delapsus sit: atque ob hanc rationem, ne scilicet isthoc mali eveniat, *parturienti nunquam concedendum, ut per latrinam dejiciat.*

Vesica confestim soluta probeque purgata distendatur, & à ligulis fistulæ alligatis suspendatur siccanda, quæ postea, si uti velis, parum humectetur, ut lenis fiat & tractabilis. *Minores* vesicæ *bubulæ*, aut si non dentur, *suillæ*, non admodum flatu distentæ, huic usui quàm maxime conveniunt.

Porro *sit instructa Obstetrix acuta forfice*, qua, si parturiens fœtum excluserit, funem umbilicalem abscindat: Item *quadruplici filo leniore*, quo venam umbilicalem constringat: ut & aliquot *cepis*, si forsan infans excluſus deliquium animi patiatur, quas contusas naribus adhibeat, vel parum vini, si quidem in promptu est, in nares, oculos & aures inspuendo tentet provocare vitam intus forsan adhuc latitantem: usui etiam erit secum habere *scopulas setaceas*, quibus infantis deliquium patientis

plantas pedum fricet, ut experiatur, vivus ne sit an mortuus: Etiam nunquam non secum habeat *fascias albas firmiores* vel *lintea* lata duos tresve digitos, unumque vel duos cubitos longa, quibus, si res postulet, uti queat in extrahendis infantibus: Nonnulli *Chirurgorum obstetricantium* maxime commendant *siphonem*, quo inter labores oleum in internos corporis meatus quaquaversum injiciatur, quo si cui arrideat, liberum est uti; ego verò non adeò necessarios illos judico, neque unquam usus sum, & nihilominus institutum opus in partu etiam difficillimo perfeci: manus largiter inunctæ meatus satis superque ubivis inungunt, quos attingunt: ex abundanti *Obstetrix linteolo* uti poterit vel *spongia*, qua, quoad assequi poterit, omnia inungat: quibus autem siphon arridet, haud contradicimus.

Explicatio Sellæ parturientium perforatæ.

Fig. 13.

a Asseris posterioris superior pars in sella, cui parturiens dorso lumbisque incumbit vel acclinata quiescit, quæ inde meritò *fulcimentum* dicitur: hoc *fulcimentum* duobus cardinibus à tergo firmiter annexum est, altero scilicet cardine prope culcitram *lit. b*: alter verò latet post januam dextram: mediantibus hisce cardinibus istud *fulcimentum* ad imum usque resupinari potest, ad quod sustinendum hanc meam sellam instruxi duabus posticis perforatis, quibus foraminibus transmitto virgam ferream per utramque posticam tendentem, cui *fulcimentum* innititur vel altius vel demissius, prout sessio aut cubitus parturientis exigit.

b Asseris posterioris inferior pars, quæ semper manet immobilis, & cui superior pars *a* ac fores laterales *e e* cardinibus connectuntur, ita ut fores possint claudi & sibi invicem superimponi, ad quam rem cardines studiosè debent concinnari. *NB.* Eidem asseri adhærent & *duæ posticæ*, quæ hîc non conspiciuntur, atque à tergo sibi invicem possunt superimponi eodem modo quo anticæ: duas has posticas in hac sella non designavi, ad evitandam confusionem: anticis sunt omnino æquales, parum saltem leviores; & non solùm mediantibus foraminibus trajectaque vir-


Fig: 13
Fig: 14
N.1
a
b
c
d
e
f
g
h
i
k
voet
N.2

virga ferrea fulcimento sustinendo inserviunt, sed etiam sellæ firmum præbent fundamentum, ut prorsus non possit vacillare aut retrorsum cadere: præterea percommode loco spondarum inserviunt, si fulcimentum resupinatur, & parturiens superiore corporis parte demissius inclinatur quàm inferiore, tum confulciunt pulvinos, ut fœmina inter illas inclusa decumbat æque ac in præsepio aut clauso anaclinterio.

c Alter *cardo*, *inferior* scilicet, prope humum, *alter* verò hujus januæ (quælibet enim binos habet) sub culcitra latet.

Fulcimentum latum est sesquipedem *longumque* duos pedes: inferior asseris posterioris pars ejusdem est latitudinis & altitudinis, quadra scilicet undique sesquipedalis.

dd Culcitra perforata, cui fœmina insidet, antè ab uno latiore extremo ad alterum duos pedes lata: à tergo autem prope fulcimentum, ubi arctior, lata est sesquipedem: hæc culcitra perforata, è robusto assere querno confecta, suprà obducta est panno setis equinis effarto, ut turgidum sit & molle: infrà ferro rubustiore firmatur duos digitos lato, ad formam ligni excuso, clavis oppilatis rite affixo: huic ferro duo robusti cardines affixi sunt, ut moveri possit, & anteriore parte elevari ac demitti prope *literas dd*, sicque fulcimento resupinato culcitra perforata elevatur, ut parturiens æquali corpore incumbat. Anteriore parte cuilibet extremo affixum est ferrum recurvo obtusoque cuspide instar uncinuli, qui præterlabitur ferrum *i*, januæ laterali *e* probe affixum, quo pacto culcitra januæ, & viciſſim janua culcitræ adhæret: eodem modo & alterum culcitræ extremum alteri januæ laterali annectitur, ut ambæ mediante hac culcitra firmo stent talo. Ista hæc culcitra, instar perspicilli formata, rarius à me adhibetur, quòd istam anteriore parte nimis angustam reprehenderim, neque aditum, eo, quo opus est, modo admittat ad parturientem difficili labore correptam, quare potissimùm alteram culcitram *Fig.* 14. adhibere soleo, quæ anteriore parte latior, ponè vero angustior est.

ee Binæ anticæ collaterales, sesquipedem altæ, latæ pedem

Unable to display this page

gnitudinis ac altera, quæ in ſella videtur, exſcindendo ſolùm aliter formata: iſthæc commodiſſima eſt ad partum difficilem, ubi *obſtetricantium* maxime requiritur opera, quibus hoc pacto latior patet ad fœminam aditus, manuumque motio minus impeditur.

N. 2 *Hypocauſtum vulgari altius*, (hujus generis bina in promptu ſint) ſupra excavatum, abſque foraminibus, longitudine ovata, ut ſacci arenâ calefactâ completi imponi poſſint, pedeſque foveri, ad evitandum in camera fœtorem prunarum & hypocauſtorum: aut ſiquis ignem mavult, teſta imponi poteſt: intrà enim aliis ſimile eſt, ſed altero tanto fere altius debet eſſe vulgari, quia parturientibus ſellæ inſidentibus maxime convenit genua altius elevare.

Ulterior explicatio ſellæ parturientium perforatæ.

Singulis ſellæ hujus perluſtratis partibus haud abs re erit obſervare, quodnam diſcrimen intercedat inter hanc & alias parturientium ſellas, quæ primo intuitu parum inter ſe differre videntur: illarum igitur differentia diligentius explananda erit, ut eo melius internoſcantur: Notandum ergo à *novitiis obſtetricibus Chirurgiſque obſtetricantibus*, à parte parturientis omnem *pariendi virtutem*, qua fœtus excluditur, potiſſimùm *in eo ſitam eſſe*, ut mediantibus doloribus impreſſionem in uterum faciat ingentem, omnia inteſtina violenter quaſi deprimendo atque urgendo: quod ut rite fiat, (*hoc quælibet mulierum ſibi ipſi dictum putet*) ipſa, ſentiens dolores ingruere, *halitum prius retrahere, ac pectore jam ſpiritu repleto eundem continens muſculos abdominis omnibus viribus contrahere debet*, quò undiquaque impreſſio in uterum fiat: quem impetum omni niſu tentans parturiens ſentiet: quòd *cogatur corpus paululum inclinare, deorſumque cum lumbis* eum in finem *incurvare*, unde ingens *lumborum dolor*, quo parturientis facultas laborandi plurimùm intercipitur, niſi à tergo *præfulciantur lumbi*, firmiſſimis retinaculis obnixi: quòd ſi parturiens ejuſmodi firmo retinaculo lumbis obniti, eoſque,

tali fulcimento opponere valeat, quod ceſſim ire non poteſt, etiamſi omnibus viribus ventrem contrahat urgeatque, tunc unico dolore plus efficiet, quàm aliter ſæpius iteratis, id quod magno commodo eſt, ubi infans non niſi intenſis doloribus excludi poteſt: Dum *deſuper* in uterum fit impetus, ſumme neceſſarium eſt, parturientem perverſa ſeſſione *infrà* exitum non præcludere, niſi incaſſum velit laborare: præcluditur autem exitus, ſi ſedentis os coccygis culcitræ innitatur; Deſuper enim propellens, & infrà remoram faciens incaſſum fuſos patietur labores.

Duplex hocce commodum, *partui levando eſſentialiter neceſſarium*, mediante *Sella ad pariendum concinne adornata* conſequendum & comparandum foret: ſed, ut verum fatear, præter hanc ipſam ne ullam unquam vidi ſellam, iſti parturientium commodo inſervientem, quòd nulla illarum debita gaudeat proportione, quæ proportio ſi parturienti dicto modo ſit accommoda, in eo ſita eſt, *primò:* ut ſellæ inſidens, culcitrâ ab oſſe coccygis amotâ, tali fulcimento adverſus lumbos gaudeat, quod non poſſit removeri, quantiſcunque illa obnitatur viribus. *Secundò:* ut mediante ſella lumbos fulcimento obnixe poſſit opponere, ut ita validius retracto ventre & viſceribus & inteſtinis impreſſionem in uterum facere queat.

Iſthæc proportio non datur, ſi ſellæ fulcimentum à tergo immobile ſtet, ut nec promoveri propius, nec ulterius removeri poſſit; unius enim fœminæ lumbi magis incurvantur, quàm alterius, quod igitur uni convenit, alteri incommodum erit: Si verò fulcimentum elevari poteſt & demitti, tunc ad conformationem lumborum accommodabitur: *Secundò:* Parturiens lumbos fulcimento firmiter opponere vel oppoſitos tenere non poterit, niſi ſella duas habeat anſas, quas validè à ſe protrudendo nec frangere poteſt nec removere; neque ſolummodo opus eſt anſis iſtiuſmodi, ſed etiam, ne nimis à corpore diſtent, neque prope nimis adſint: parturiens enim anſas firmiter tenens, ac à ſe quaſi protrudens lumbos ſellæ fulcimento obnixe debet apprimere, quod non poteſt, ſi anſæ nimis diſtent, tum enim aſſequi

non

non poteſt: ſin autem propius ſitæ ſint, tunc cubiti nimis flectendi ſunt, ut brachia breviora fiant, & tum maximum robur frangitur: quum igitur uni fœminæ brachia breviora ſint quàm alteri, neceſſariò ſequitur, anſas exigi mobiles, quas promovere poteris vel removere, aliàs uſui non ſufficient: Ut igitur parturiens tergo fulcimento obnixe aſſideat, ita tamen, ut ſimul os coccygis à culcitra liberum ſit, neceſſariò res poſtulat, ut culcitra ſignata *dd*, à tergo fulcimento contigua, ultra duos pollices lata non ſit, quo innuitur: in medio, ubi oſſis coccygis locus eſt, nullum omnino requiri ſpatium, cui inſidere fœmina poſſet: At ſiquis dicat: latitudinem duorum pollicum hîc dari, ei reſpondemus: nullam unquam parturientem fulcimento nudis opponi lumbis, ſed culcitram interjici tomentitiam, imò duplicem ſæpe, iſti rei accommodatam, qua ſpatium iſtud duorum pollicum facilè repletur, ſicque nil remanet, cui os coccygis innitatur vel obſtet: & vix credibile eſt, quantum commodi ſella ejuſmodi probe concinnata adferat parturienti, quæ ipſamet dolorum vehementiâ fœtum excludere tenetur.

Obſtetricantes jam, & quibuſcunque ſellarum ad enitendum ſuppetit uſus, ſuas cum hac ſecum conferant ſellas, & inquirant, an iiſdem dicta ſibi liceat aſſequi commoda: inſpiciant fulcimenta ſua *immobilia*, & culcitras pone nonnunquam *ſpithamam latas*, & perpendant, qua ratione os coccygis cedere poſſit, dum culcitræ inſidet parturiens; ſi verò à culcitra abſcedit, videant, quibus mediis ſinum lumborum expleant & obfirment: pulvinis, dicent, ſicut plerumque moliuntur; ſed parum admodum fulcimenti multumque doloris afferre iſtam expletionem parturientes plus ſatis ſentiunt tali ſellæ inſidentes, licet ut plurimùm cruciatus cauſa ipſas lateat.

Nec his ſolùm requiſitis omnis ſellæ accommodatæ abſolvitur perfectio: non ſemper parturientis labores enitendo ſufficiunt: nonnunquam ipſi *pati* potius quàm *agere* convenit, imprimis ſi prava ſit uteri poſitura, aut infantes prave verſi prodeant, tum *Obſtetricantium* potius vices ſunt laborare, quàm parturientis:

pen-

penitiſſime igitur per tactum cognito pravo uteri vel infantis ſitu, ponderandum eſt, quodnam ſeſſionis vel cubitûs genus maxime conveniat, quo *Obſtetrix* neceſſariam operam conferre poſſit: nonnunquam res poſtulat cubitum parturientis plane ſupinum; nonnunquam opus eſt caput humeroſque attolli magis quàm corpus inferius: quid tum facto opus eſt, ſi vel culcitra, vel fulcimentum, vel utrumque ſit immobile? ad quid tunc valet ſella perforata? maximus jam labor eſt, & uſus ſellæ jam requiritur maxime accommodus: Porro ſi fulcimentum ſolum reſupinari poteſt culcitra manente immobili, & parturientis tum cubitus & labor *Obſtetricantis* cum maximo conjuncti erunt incommodo, præſtaretque lecto uti vel grabato potius, quàm ejuſmodi ſella: ideoque nos & fulcimenti pariter & culcitræ motionem excogitavimus, qua mediante ſella ad cubatum talem vel ſeſſionem parturientis accommodari poſſet, qualem vel uterus obliquus vel pravus infantis ſitus maxime requirit.

Sellæ huic noſtræ bipedale ſpatium antè, à tergo verò ſeſquipedale ſaltem tribuimus, *primò*: quia ſpatium bipedale *Obſtetricanti* ſatis eſt ad præſtanda ea, quæ ipſius muneris ſunt. *Secundo*: ut parturientibus, tanto ſolummodo ſpatio competente, quanto opus habent, non detur facultas corpus (ut quidem ſolent) ab uno latere in alterum dimovendi, id enim magno *Obſtetricanti* impedimento eſt: Itidem fores collaterales unius ſaltem pedis & quatuor pollicum latitudine confici curavi, quoniam aliâs, ſi latiores fuiſſent, etiam anterior ſellæ pars vel majorem latitudinem exegiſſet, vel parturiens pedes non ſatis dilatare potuiſſet, quod itidem magnum impedimentum intuliſſet.

Ex his omnibus, quæ dicta ſunt, facilè licet dijudicare: *quanti uſus ſit ſella ad enitendum apprime concinnata:* contrà verò male concinnata non niſi moles moleſta eſt, vix alio digna pretio, quàm quæ Vulcano dedicetur. Tota hæc ſella cum quatuor foribus & altera culcitra ſacco indita facilè à viro quodam portari poteſt; ideoque nequaquam nimii ponderis eſt in uſum

ſum urbium & pagorum: & res certe exoptata foret, ſi tali ſella unaquæque *Obſtetrix* inſtructa eſſet: & quicunque accuratam proportionem è Figura capere non poteſt, eidem meæ fores patent ſpectaturo hanc meam ſellam, ſi forſan ad hunc archetypum aliam ſibi confici velit.

Quum *Medici* ruri non habitent aut *Pharmacopolæ*, neque accerſi confeſtim poſſint, *Obſtetrix ruſticana* nunquam non inſtructa ſit *medicamento aliquo præſentiſſimo anodino*, quo quibuſvis pravis doloribus mederi valeat: Equidem prægnans non facilè ſine dolore pariet, nec quiſpiam dolorum genuinorum ſenſum tollere contendat: at verò parturientes ſæpius multos incaſſum patiuntur dolores, qui *anodino quodam medicamento* vel tolli omnino, vel non parum leniri quidem poſſent: Ad quos dolores ſedandos *magnam illam & univerſalem medicinam* (ſi ſolerter fideliterque præparetur) nobis conceſſit Divina Bonitas, *ſuccum* puto *papaveris*, aliâs odioſo iſto nomine *Opii* inſignitum, gladium ſane ancipitem in manu ſtolidi & profani ad interficiendum & vaſtandum; ſalutare autem, imò *maximum & univerſaliſſimum medicamentum in manu ſapientis Medici*, qui rite præparare, eoque ſcite uti novit.

Modus hunc ſalutarem ſuccum *præparandi varius* eſt, ſed non æque probatus: *Paracelſus & Helmontius* ſuccum hunc ejuſque præparationem maximopere commendarunt, medium verò genuinum nocivam ejus qualitatem ſeparandi abſconderunt: *Georgius Sterkey, Paracelſi & Helmontii interpres* plura de *Correctore* illius aperuit, adeò tamen obſcure, ut ſpiritu fere prophetico opus ſit, ſi æquivoca ipſius verba aſſequi velis, meritòque dubitandum, an priores Auctores explicaverit, vel potius obſcuraverit: quicquid ſit, plurimos ille ſciendi cupidos allexit ad laborandum & *Correctorem iſtum* indefeſſe quærendum: Sed quid *Correctorem* dico *Opii* ſolùm, quum *univerſalem* intelligam *Correctorem*, quo non *Opium* tantùm, ſed & omnia venenata vegetabilia leni & amico modo veneno & nocivis qualitatibus privantur, retentis qualitatibus medicamentoſis, unde *Opium*, *Helle-*

borus albus & niger, omneſque venenatæ herbæ tanquam ſalutaria medicamenta adhiberi poſſunt.

Haud inficior, me ſedecim circiter annos inveſtigando occupatum fuiſſe, priuſquam *Correctoris* iſtius compos factus ſim, neque ad illum perfectionis apicem perduxi, quo *Sterkey* poſſediſſe perſuadet, licet eundem aliquot abhinc annis non parum correxerim: quicquid ſit de hac re, ego experientiâ edoctus ſum, *Correctorem* meum, mixtum pulvere vel ſucco plantæ cujuſdam venenatæ vel radicis, ſine ullo æſtu, ſola, inquam, mixtione, ſine ulla ſeparatione vel imminutione quantitatis ponderiſve brevi venena vegetabilium ita coërcuiſſe vel profligaſſe, ut ſuccus ille vel herba tanquam præſens medicina ſine mora adhiberi potuerit, unde coactus fui accedere ſententiæ Sterkeyanæ, quòd ſcilicet vegetabilium venenum non ſit eſſentia, vel eſſentialis qualitas plantarum, ſed immaturitas quædam aut cruditas, quæ mediante pretioſo hoc Correctore corrigitur, planeque matureſcit: *pretioſum* dico hunc *Correctorem*, non quòd tantis ſumptibus opus ſit illi, qui eum novit præparare, licet non pauci ad ſummam inopiam redacti ſint in eundem inquirendo; ſed propter univerſalem ejus uſum ad ſalutares medicinas præparandas: etenim per hunc *Correctorem* non ſolùm, uti dictum, venena omnium vegetabilium, plantarum ſcilicet, herbarum, radicum, ſeminum &c. tolli, ac vegetabilia integrâ ſuâ ſubſtantiâ abſque diminutione in ſalutaria medicamenta verti poſſunt, ſed & gratæ confici *Eſſentiæ*, ſubtiles & eſſentiales particulas à craſſioribus ſeparando, eaſque *incorruptibiles*, quandiu placebit, aſſervando: Duplici hac methodo univerſali unicus Medicus hoc gaudens *Correctore* plura medicamenta præparabit, quàm frequentiſſima Civitas conſumpſerit: ſed *clavis* iſthæc abſcondita latebit penes eos, quibus Maximus Ille Medicus iſtud arcanum largiri dignatus eſt.

Interea, ne ſalivam tantummodo Lectori moviſſe videar hac re, quam tamen non niſi verbis involutis fert animus revelare, non gravabor aliam aperire methodum, qua opium non ſolùm,

ſed

ſed & pleraque alia vegetabilia ex nocivis in ſalubria commutantur medicamenta, quam communicationem Chemiæ cultor non niſi grata mente accipiet: iſthæc enim præparatio æque univerſalis ac grata eſt, laborioſior tamen illâ, quæ fit per *univerſalem Correctorem*, licet neutra ſine labore acquiratur: præparationem hanc herbarum verbis involutis hîc loci tradere haud intendo; in Chemia mediocriter ſaltem verſatus eam præſtare poterit, ſed uni melius cadet quàm alteri, ut quiſque rem accurabit ſuam attente ac ſolerter: Ecce igitur ex ſincero integroque animo præparationem omnium herbarum mediante pane.

Præparatio herbarum per panem ſecalitium.

Accipe quaſcunque *herbas*, ſive *virides*, ſive *arefactas*, (ego quidem arefactas maxime approbo, licet ipſemet viridibus uſus ſemper fuerim) *aridas* in *pulverem* ſubtiliſſimum, *virides* autem in *pulmentum* redige, tundendo perquam minutiſſime: & nunquam non herbæ tibi ſint ac radices *oleoſæ*, virtute maxima valentes; frigidis enim & aquoſis occupari operæ pretium non erit: *miſce* his herbis *medullam recentis panis ſecalitii* ex optima farina ſecalina cum fermento cocti, cum *ſimplo herbarum pondere medullæ duplum vel triplum pondus*, prout ſcilicet viribus vel qualitate nociva valent herbæ: Sin *opium* corrigere velis, (quod non herba, ſed ſuccus papaveris arefactus eſt, & conſequenter multo majoribus viribus pollet, quàm planta ipſa) illud utique plus panis exigere memineris.

Opii igitur *uni* libræ adde *quatuor* vel *ſex* libras *panis*; ſed probe obſervandum eſt: ſi *Opium* tam recens & molle ſit, ut tundendo in mortario ferreo ita inter medullam diſtribui poſſit, ne granatim inter medullam paſſim conglomeretur, tum non opus eſſe prævia ejus præparatione, ſed ſolùm inter medullam contundatur & diſtribuatur, uſque dum *opium* penitus fiat inviſibile: Sin autem nimis aridum ſit, prius in tenues ſecandum orbiculos, aut quàm tenuiſſime contundendum, ſimul pluviâ humectando, ut molleſcat aut per calorem, aut tundendo, ut fert

occasio: Quando jam ita mollescit, ut instar succi condensati diduci queat, *non amplius conglomeratum*, tum aptum est cum pane contundi; non quidem omne simul, sed frustulatim per vices, quantum commode in majori mortario tractari potest; denique si omnia probe sint distributa, simul denuo contundantur. *Opium* hoc modo medullæ panis secalitii recentis commixtum *sine ullo humore aut alia re* in *vitream* inde *ampullam*, solide compingens, ut *nullum* ullibi *intervacet spatium* concavum, massæ item *superficies* sit *plana lævisque*, aliàs arescceret, situque contracto corrumperetur: Ampulla ea sit capacitate ut massa compacta *pari* circiter *altitudine*, *crassitie* & *latitudine* imponi possit, quæ proportio erit optima; tum etiam vitrum capax erit humoris circulantis, ut non rumpatur, si quidem *galeam cæcam* vel *inversam ampullam* superimposueris probe conglutinatam: *Gluten* poteris componere ex *cera*, *resina* & *vitro in pulverem contrito* subtilissimum, quibus secundum artem colliquefactis junctúram vitrorum oblinito spathâ calidâ, vel alio ferro lævigato; sed attendendum: ut vitrum ita ponas, ne per digestionem quadraginta dierum gluten à calore balnei liquescat vel defluat, recensque aër in vitrum penetret.

Vitrum probe conglutinatum impone *balneo evaporanti*, ut non calescat nisi à *solo calidæ vapore*; suprà parum saltem, duorum scilicet triumve digitorum latitudine distet ab aqua, nec prope nimis parieti vel lateri balnei aut fornacis sit appositum vitrum, ac duorum triumve digitorum latitudine ultra massam probe circumclusum, ut *undiquaque æqualiter* calefiat: Hæc ita *quadraginta dies noctesque sine intermissione æquali calore* digerantur, adhibitâ curâ: ne aqua nimium minuatur, calorve fiat remissior: fornacem ego ita confeceram, ut à latere balnei *lebes* appositûs esset inserto siphone, is simul calefiebat à calore balnei per fumarium ascendente; quo facto nunquam non absque omni sumptu & negotio præsto erat calida, quam *ter quotidie* per fistulam immittebam balneo, usque dum per aliam fistulam iterum effluëret, qua ratione certus eram, balneum esse ple-

plenum, neque tamen nimium infundere poteram, ſuperflua per hanc poſteriorem fiſtulam rurſum effluente. Aqua balnei *non eouſque efferveſcat, ut coquatur*, ſed calor ſit aliquantulum minor: ſi enim nimius fuerit, periculum eſt, ne vitrea dirumpantur, materiaque nimis areſcat vel aduratur; ſin verò modicus nimis ſit calor, mucorem contrahet maſſa, irritusque erit labor: idcirco *calor ſit moderatus & continuus*, tunc videbis vaporem continuò ſenſimque gyratum, & elapſo tempore labore lætus frueris.

Digeſtione peracta, maſſæ, in catinum fictilem inditæ, tantum pluviæ affunde, quantum ſufficit eidem manibus rarefaciendæ, ut *opium* ſolutum à medulla ſeparetur expreſſione: quòd ſi prima vice *opium* non ſatis eliquatum cenſeas, quoties libet, recenti aqua lavationem iterabis, uſque dum omne *opium* probe ſeparatum cenſeas: Hunc ſuccum ſive expreſſum liquorem, ſi aliquandiu conſtitit, leniter effundendo ſe gregare poteris, ne feces fundo inſidentes commiſceantur; tum in vitreis vel nitidis vaſis fictilibus ſenſim evaporet, uſque ad craſſiorem maſſam, catapotiis formandis fere idoneam: *addito* tunc *optimo croco* in pulverem redacto ſubtiliſſimum, eodem quo *opium* pondere, contunde duas haſce materias in mortario ferreo, & habebis egregiam maſſam, omni tempore, ſi res poſtulat, pilulis formandis aptiſſimam; proque certo tibi dico, maſſam iſtam vel decuplo exæquaturam ſumptum omnem aut laborem, quem inſumpſiſti: ejusmodi maſſa duodecim vel tredecim annos uſui mihi fuit, auſimque aſſeverare, ultimam doſin æque ac primam valuiſſe.

E pleriſque herbis ea, ut dixi, methodo præparatis *Eſſentias* mediante Spiritu Vini extraxi, quò formâ liquidâ ſibi invicem vel aliis rebus miſcere, eaſque pro commoditate & conditione perſonarum laborantibus exhibere poſſem: & quamvis pleræque illarum, imprimis *Eſſentia ſabinæ* pane ſecalitio præparata, plurimùm adjuverint, de *opio* tamen aſſeverare poſſum, ejus præparationem optime omnium ſucceſſiſſe.

Opii ita præparati adulto exhibetur granum unum ad quatuor uſque; ego quidem quibuſdam in acutiſſimis doloribus exhibui duodecim circiter grana; ſed nequis hoc abutatur: certus quidem eſſe poteris, in ſedandis perverſis doloribus ſi duo grana non ſufficiant, quatuor grana nunquam fruſtratura fore: at probe obſervandum, quòd laborantes devoratis hiſce pilulis *nunquam ad ſudorem* ſe debeant componere; & notandum: ſi laborans poſt duas, vel ad ſummum tres horas non ſentiat dolores ſedari, illum non ſatis devoraſſe, aut forte (quod tamen vix vel centeſimo uſu venit) corpus ita conſtitutum eſſe poterit, ut *opio* dolores augeantur potius quàm minuantur, cujus generis hominum ego quidem unum vel alterum novi: unde liquet, *omnes Naturæ leges limitari ſolo liberrimo beneplacito Unius Legislatoris*, Cujus Benignitas nobis ſalutaria quidem conceſſit remedia, at verò iſta ita ad Voluntatis Suæ adſtrinxit Beneplacitum, ut nunquam non in omnibus Illi Soli innitentes in Sanctiſſimo Ejus Beneplacito acquieſcamus tanquam in ſumma animæ medicina, dicentes cum Filio Ejus dilecto: *Non mea, ſed Tua fiat voluntas.*

Hîc quidem pluribus poſſem diſſerere de *virtutibus & effectu*, ut & *ulteriore præparatione*, qua *opium* hoc modo præparatum *ad Eſſentiam deducitur incorruptibilem*, ſed ea me nimium detinerent: ſufficit *Obſtetrici*, ſi ſciat, unde petat *opium* hoc modo præparatum: quòd parturienti *pravis* vel *tergiverſantibus doloribus* laboranti ſine mora intrepide liceat exhibere duo grana; quòd ſi intra horam non ſubſequatur levamen, repetat iſtam doſin, & rarò quidem tertia doſi opus erit: interim obſervet: ſi laborans ſentiat aliquod doloris levamen, ne plus exhibeat, ſed moretur aliud duarum horarum intervallum: quod ſi tum dolores rurſus excitentur, doſis iterari poterit.

Qui *vires opii* penitus cognoverunt, iis non opus eſt exponere, quibus porro rebus ita præparatum ſit conducibile: *dictum* (ut ajunt proverbio) Sapienti ſat eſt: quare his acquieſco, contentus, veris quibuſdam (ad deſidioſos enim hæc non pertinent)

nent) Medicinæ cultoribus dono mihi conceſſo inſerviiſſe.

Quibus *occaſio* non eſt aut *habitus*, hoc *donum divinitus conceſſum* (*opium* puto) dicto modo præparandi, nec ſciunt, unde petant, conſilio *prudentis Medici* utantur vel quibuſcunque aliis, quibus poſſunt, mediis, ut vexatam liberent parturientem à *miſerandis* illis doloribus, *miſerandis* inquam, quippe cum iiſdem collati veri dolores fere nulli ſunt: Neque cuipiam alienum videatur, quòd tanta animi affectione de illis doloribus verba faciam, ex nimia id forſan ſympathia oritur: uxor enim, quæ benedicente Deo, decem liberorum me parentem fecit, in ſingulis fere puerperiis iiſdem correpta fuit, & ſemel tantùm abſque hoc medicamento eam peperiſſe memini, cui ſingulis vicibus Deus ita benedixit, ut Ipſi gratias debeamus immortales.

Qui *pilulis meis* utuntur *ſudoriferis*, non ignorant, idem inde auxilium peti poſſe, quod à dicto *opio*, cujus præparationem præmittere quidem volui, ne quis putet, quòd me aliis oſtentare velim, ut ſolent Auctores, qui laudant venales, quas volunt protrudere medicinas: dimovere primùm iſtam ſuſpicionem volui, præcedentem præparationnem publice proponendo; eamque ob cauſam hoc inſuper addo: ſcilicet, *opium ſucco Cydoniorum Helmontii methodo præparatum* eodem malo mederi; ſed non ſit præparatum ab inerte, alias mucorem contrahit, & pravam qualitatem recipit: primas tamen ego defero præparationi cum pane, quæ *Paracelſi* eſt, licet nuſpiam clare ab ipſo deſcripta: neque ab initio in animo mihi fuit, tam perſpicue illam & dilucide explicare; quia verò Deus inclinavit animum meum, ut edendo hoc Libro commodis meis non inſervirem, ſed ſincero animo dilucide patefacerem proximo, quicquid ad puerperium neceſſarium eſſe arbitrarer, ſalutare hoc remedium celare non licuit.

Qui verò *ſumptibus* parcit aut *laboribus*, neque *occaſione* gaudet aut *habitu* hoc remedium præparandi, ſive ſua, ſive aliorum opera, is, ſi libet, uti poterit *pilulis meis ſudoriferis*, quas jam per aliquot annos pleræque Familiæ in diverſis Urbibus

Hol-

Hollandiæ, Zeelandiæ, Frisiæ &c. prospero cum successu in frequenti usu habuere, quæ in hoc casu non tantùm plurimùm valent; sed etiam in omnibus fere morbis instar *universalis remedii domestici* adhibentur. Et quia procul dubio multis non ingratum erit, *vires* & *usum* istarum pilularum *sudoriferarum* scire, hîc loci paucis proponam, cum hac præmonitione: hanc pilulam sudoriferam compositam esse è diversis efficacissimis vegetabilibus, præparatis & correctis per *magnum illum & universalem Correctorem* omnis veneni vegetabilis, *oleo* scilicet & *sale*, ita conjunctis vel mistis, ut *unicam* saltem *mixturam* constituant *albam crassamque veluti cremor lactis, leni sapore*, quæ mixtura in aqua vel Spiritu Vini potest solvi, ita tamen, ut sal & oleum non dissolvantur: proinde qui noverunt *alcalia fixa* dicto modo conjungere vel miscere cum duplo vel triplo pondere olei eorundem destillati subtilis, seu, ut vulgo vocatur, essentialis, ii solverunt nodum Gordium, & facultate gaudent qua omnia venena vegetabilium eradicare, noxiaque quin & letifera vegetabilia in salutaria atque innoxia medicamenta vertere possunt: medium istud, uti jam dictum, nil aliud est, præter *sal* & *oleum*, intimum scilicet & maxime essentiale plantarum; quid igitur mirum, si valeant penetrare & corrigere immaturas earum & infrenes cruditates, quæ quasi asperi sentes vim vegetabilium medicam obtegunt.

De viribus & usu pilularum sudoriferarum.

Pilulæ hæ sudoriferæ inter *universales Medicinas* jure numerantur, quia vires illarum non restringuntur ad unius saltem vel alterius morbi medelam, sed in omnibus fere (tam inveteratis quàm recens accidentibus præcipue) morbis plurimùm valent, ita ut usus earum generalis sit: quumque jam obtinuerit, à multis eas tanquam *pharmacum domesticum* usurpari, & mihi necesse fuerit, plerisque amicis & vires & usum earum pilularum per literas explicare, sequentia ad evitationem multiplicis scriptionis in usum publicum curavi typis exprimi.

Ad-

Adhibentur ergo iſtæ pilulæ feliciſſime in ſequentibus morbis.

1. In *omnibus febribus* tam intermittentibus quàm continuis, quin & malignis, at non ſine diſcrimine: exempli gratia: in omnibus *febribus intermittentibus*, tertianis ſcilicet & quartanis, ſive ſecundo, ſive tertio, ſive quarto die acceſſerit febris, id non variat uſum pilularum; ſolummodo obſervandum eſt, ut unam vel duas horas ante paroxyſmum non plus ſumatur quàm *unica pilula*, id eſt, *duodecim grana* pro *adulto*, & tum bibatur hauſtus vini Gallici vel Hiſpanici, pro laborantis complexione, & qualitate etiam febris: nam qui naturâ *calidus ſiccuſque* eſt, laborans febri, aut cum minore aut plane nullo rigore accedente, ſubſequente æſtu intenſo & diuturno, cum *cereviſia potius* quàm vino pilulam accipiat, & poſt unam vel alteram horam bibat aliquot hauſtus *calidi Coffy*; hoc quidem in febribus ardentibus & continuis potiſſimùm obſervandum eſt: Contrà ſiquis naturâ fuerit *frigidus humiduſque*, ac febris eum corripiat vehementi rigore, quo diu contremiſcit, is potius poſt pilulam hauriat potum *calidi vini Gallici* vel *Hiſpanici*, & mox in lecto recens ſtrato fotoque ad *ſudorem* ſe componat, eundem elicere tentans, priuſquam frigus febrile acceſſerit, & experietur, id ipſum remiſſius, & ſubſequentem calorem breviorem, anguſtiamque minorem factam eſſe: Si adſit *obſtructio alvi*, corpus prius *purgandum:* ſi *nauſea*, utendum *vomitorio*, quo ſtomachus ante uſum pilularum copioſa illa materia vomitum movente levetur: ſi verò talia ſymptomata non ſentiat aliquis, ſola febri laborans, dicto modo pilulis ſine prævia præparatione utatur ſingulis paroxyſmi diebus, & febris ſenſim diminuta poſt paucos plerumque dies evaneſcit.

Febri ardente correptus cum doloribus artuum & capitis, rigore & calore ſæpe alternantibus, timens, ne *morbilli* intus aut *variolæ* lateant, ſi eo ipſo vel antecedente die adhuc dejecerit, ocyus pilulâ ſumptâ cum hauſtu vini vel cereviſiæ ſe componat ad ſudorem uberiorem: poſt duodenas horas iterum ſumptâ pilula in

continuo ſudore perſiſtat, ſubinde poſt horas duodenas pilulam accipiens, quandiu dolorem ſentit & angorem, qui plerumque tertia aut ad ſummum quarta die ceſſant, qua morbillis & variolis expullulantibus vigeſcit laborans & quaſi revaleſcit, neque ulterius opus habet iſto continuo ſudore morbillis jam elicitis, ſufficit, ſi ſubinde poſt ſpatium viginti quatuor horarum pilulam accipiat: quòd ſi morbilli aut variolæ non proveniant, è dolore tamen, angore atque morbo revaleſcit, quo tenebatur æger: ſin morbilli pulluleſcant, citius malum tranſit, & morbilli rarò ſuppurant: Siquis autem intra biduum vel triduum non dejecerit, & dicto modo male habeat, illi auctor ſum, ut ante pilulæ uſum alvum purget *cathartico* naturæ ſuæ conveniente ad obtinendam exinanitionem; aut ſi magis arrideat Clyſterium, id adhiberi poterit, neque extimeſcenda purgatio in principio ejuſmodi febrium aut ſignorum, quæ morbillos aut variolas arguunt; ſed quamprimum purgatio ſive clyſterium virtutem exercuit, detur ægro pilula, & (uti ſuprà dictum) ſudor continuus eliciatur.

Siquis forte *plethoricus* ardente febri corripitur cum præcordiorum dolore, deliriis & ſpaſmo, is me auctore hac pilula non utatur, niſi conſulto prius prudente Medico.

NB. Infanti *anniculo* vel *bimulo* ſingulis duodenis horis detur ſaltem *ſexta* pilulæ pars: *quadrimulo* vel *ſexenni quarta: octo* annorum vel *decenni tertia: duodecim* vel *quatuordecim* annorum, *media:* & ſic porro diſtribuatur habita ætatis viriumque ratione: infirmioribus ſingulis ſex horis media, vel ſingulis binis horis quinta aut ſexta pars integra vel ſoluta in cereviſia, vino Gallico vel Hiſpanico, aut alio liquore, qui ſuppetit, ægroque conducit: In *morbillis infantum* ego quidem auſim has pilulas commendare tanquam remedium, cui acquiſcere liceat, & vere dicere poſſum, quòd me nunquam fruſtraverit

2. In *alvi profluvio*, ſive *dyſenteria* ſit ſive *diarrhœa*, ſingulis aut alternis diebus laboranti detur una pilula cum vino atro Hiſpanico vel rubeo alio: quibuſdam qualibet veſpera poſt cœnam

nam integra dari poteſt; aliis verò in quatuor vel ſex portiones diviſa, uti dictum, ſucceſſive ſumpta conducet: Siſtunt hæ pilulæ profluvium, tollunt comitantes dolores, eorumque cauſam, acres ſcilicet humores corrigunt.

3. In *arthritide*, vulgo dicta *podagra*, hæ pilulæ plurimùm valent; egregie enim dolorem, vel ejus cauſam, acrem materiam mitigant, atque leniſſime obſtructiones ſolvunt, unde tumores oriuntur vel tophi: quare quis ab initio hujus mali hac pilula uſus, antequam in tumorem vel tophum concreverit, eâ idem vincere omnino, vel incrementum ejus retardare poterit: qui verò diutius hoc malo laborarunt, & quotannis diu lecto inde affixi hærent, eâdem non parum illud mitigabunt, vel ulteriorem invaſionem evitabunt, ſi ſimul diætâ, quotidiano exercitio & motibus animi attenti non male ſe gerant: Si dolores maxime ingraveſcunt, ſingulis horis duodenis adhibetur pilula, uſque dum ſedentur, quod plerumque primo evenit die vel ſecundo, tunc unicam indies æger pilulam ſumat, ad ſudorem uberiorem ſe componens: *NB.* Vino aſſueti, non opus eſt, ut ab ejuſdem uſu moderato deſiſtant in ipſo etiam podagræ paroxyſmo, ſi hac pilula utantur; ſiquidem iſta nimium vini acidum & acre corrigit.

4. In omnibus *torminibus coliciſque* doloribus (ut & in illo, quem *Beljack* vocant, in India occidentali graſſante) ſumitur unica vel media pilula, habita ratione virium ac ætatis: dolore poſt binas non diminuto eadem doſis repetitur; at ſi dolor dicto tempore mitigetur, ceſſandum eſt: dolore autem denuo ingruente, rurſus media vel integra pilula adhiberi poterit.

5. In omni *gravedinis* vel *tuſſis* genere hæ pilulæ plurimùm valent, ſi cœnatus deglutitâ pilula ad ſomnum & ſudorem te componas, mane diutius decumbens, & invenies, materiam acrem mitigari, pituitam condenſari ac maturari, tuſſim cum dolore ſedari, ut æger citò convaleſcat, ſi ſcilicet abſtineat à cibo potuque acri, acido ac ſalſo, aere item frigido, in ore

Unable to display this page

horulam pravi isti dolores non minuantur, dosis repetatur, & post horam nondum cessantibus, dosis singulis horis subinde iteretur, usque dum dolores isti cœperint mitigari, tunc desistendum; quamprimum enim mitigari cœperint, spes est, eos porro evanidos fore, genuinosque in eorum locum successuros.

11. Hæ pilulæ *dolores* etiam mitigant *partum subsequentes*, si detur quarta vel media pars: *enixas* item in *puerperio* juvant, corroborantes partes & membra debilitata: at quibus frequentius contingit puerperium, ab hujus pilulæ usu abstineant oportet, nisi graviores urgeant dolores, tunc non multum simul accipiant, fugiantque vinum, & quæ virtute depulsiva pollent, requiem habentes ab omni motione & turba.

12. Qui *lumbagine* laborant, ante cubitum pilulam cum hausto cereviſiæ optimæ ac probe excoctæ sumant, & multo melius habebunt, imprimis si sudor eruperit uberior.

13. In *scorbuto*, membris torpentibus, sanguine crasso, ejusque motu tardo, cruribus tumidis, & corpore multis locis dolente, singulis diebus ante cubitum pilula accipiatur cum hausto vini calidi, corpus probe foveatur, sudorque eliciatur, octavo subinde vel decimo die cathartico adhibito, si alvus sua sponte laxa satis non fuerit.

14. *Hydropicis* maxime prosunt hæ pilulæ, quia crassos humores rarefaciunt, eosque sive per sudores sive urinam vacuant, quare hydropem curare possunt exorientem, si laborans nonnunquam hydragogis purgetur, pilulamque accipiat cum vino calido & nuce myristica.

15. Qui ex *gravedine* subitò *obsurdescit*, ante cubitum accipiat pilulam, & caput pulvino plumeo rite obvolvat, ut sudor largiter eliciatur, deinceps porro foveat caput, & brevi melius habebit.

Virtus harum pilularum generalis est *sudorifera & diuretica*, *acidos* quoscunque, *acres salsosque* humores temperant, *veneno* resistunt, idque restinguunt, *omnes dolores* sedant, graviores

& vehementiores *animi affectus* temperant, *coagulatos humores* resolvunt, & hoc ipso *obstructiones* aperiunt, *partes duras* emolliunt, & consequenter *sanguinem*, omnesque nostros humores *mitigant*, *rarefaciunt*, fluidosque reddunt, ut hoc modo dicta mala omnia vel leniantur vel curentur: quapropter etiam maxime valent post ingentem *terrorem* sive *horrorem* adhibitæ.

Hæ pilulæ plerumque virtutem suam *prompte* exercent, ideoque ipsarum usus non ultra duas vel tres septimanas continuandus est: nisi quis tum melius habuerit, desistat ab usu; qui verò meliuscule esse cœpit, in usu pilularum poterit perseverare, usque dum penitus revalescat; aut interjectis vicibus expedit purgare, & aliquot post diebus usum pilulæ sudoriferæ repetere. Quicunque cum judicio & discretione hac pilula utuntur, & quum res postulat, nonnunquam aliorum quorundam medicamentorum interjicere sciunt usum, quo salutarem illius efficaciam adjuvent & promoveant, præ aliis fructum exinde capient exoptatum.

Quum de purgatione mihi sermo est, non intelligo res valide purgantes, quibus interjectis vicibus ægro utendum esset: sed si *exempli gratia* pilulam sudoriferam usurpaveris denis, duodenis vel quatuordecim diebus contra mala quædam inveterata, utpote *scorbutum* & inde suborientem *hydropem*, *arthritidem*, graves *lumborum dolores*, *nephritidem* &c. (contra *subitò invadentes* morbos longo pilularum usu opus non est, quia satis citò cessant) tum aliquot diebus, sex scilicet sive octo subsequentibus horulâ semper ante cœnam sumere poteris unam pilularum mearum purgantium, quæ simul confortant, vel si una non sufficiat, adde & alteram, ut quotidie semel aut bis satis dejicias, & solutam acrem materiam è corpore egeras: hæ pilulæ placide adeo operantur, ut soleam istas exhibere puerperis secundo vel tertio à partu die, unam nempe horulâ ante cœnam, imprimis si ante & in puerperio alvus fuerit adstricta, hoc pacto servantur à diutinis post partum doloribus, deliriis, vehemen-

mentibus febribus, aliiſque malis, quibus per obſtructionem alvi ſæpius fiunt obnoxiæ.

Quicunque pilulis meis *ſudoriferis* utuntur, plerumque & *purgantes* adhibere ſolent, *quæ ſimul confortant:* eæ placide operantur, & virtute pollent *univerſali*, ubicunque purgatione opus fuerit, ſive ante ſive poſt pilulæ ſudoriferæ uſum adhibere iſtas licet, imò & ſine illa: & infantibus & adultis, ſive firmis ſive infirmis dari poſſunt, qualeſcunque homines ſint. Duplici hoc pilularum genere morbos fere omnes medicabiles curare licet: qui verò his non cedunt, aliis vix vincentur medicamentis.

CAPUT XXVII.

Qua ratione per pravam pelvis formam partus impediri poſſit.

INter obſtacula, quibus dolores ingraveſcunt, partuſque retardatur, etiam numerandæ ſunt *pravæ pelvis formæ*, ſive *nimis magna* ſit, ſive *parva nimis*, ſive tandem *nimis plana*, unde diverſa incommoda poſſunt exoriri *Obſtetrici* ſcitu neceſſaria, quò data occaſione huic ſe rei accommodare operamque navare rite queat, eum in finem de ſingulis pravis formis ſeorſim explicabimus.

Pelvis *nimis anguſta* plurimum procul dubio importabit incommodi: eam autem *pelvim anguſtam* dictam volo, *quæ inita proportione corporis totius parva nimis eſt*: puſillis quidem fœminis non ſemper ſunt pelves minimæ; accidit nonnunquam, ut mulier puſilla habeat majorem pelvim quàm magna, & viciſſim hæc minorem illâ, unde dici poteſt, uni fœminæ magnam nimis pelvim, alii nimis parvam eſſe: quamvis enim videamus, puſillas mulieres quandoque magnos infantes eniti, contrà magnas fœminas parvos infantes, plerumque tamen aliter ſe res habet, & magis receptum eſt, quamlibet fœminam partum edere

ma-

magnitudini corporis convenientem; unde necessariò sequitur: *si fœmina magna habens parvam pelvim magnum parere infantem debeat, non sine difficili labore id fieri posse*, quia tantum caput corpusque non nisi successu longioris temporis multisque doloribus per arctam adeò pelvim deprimitur; imò fieri poterit, ut ejusmodi fœminæ fœtus, quem utero gestat, præ magnitudine crassitieve omnino non pelvim permeare valeat; & licet rarissime id fiat, ego tamen cognitum habeo, dari fœminas, quæ *ob pelvis angustiam* maxima cum difficultate enituntur, etiamsi & uterus & infans optime versi sitique sint: idque verum esse, inde comprobatur, quòd illæ fœminæ, licet ab initio laboris ad partum optime dispositæ videantur, difficillime tamen fœtum enitantur, & quòd capita infantum editorum *formæ* sint adeò *oblongæ*, ut opus sit, ea quotidie contrectando premendoque (*scite tamen*) in forman redigere concinnam: insuper isti infantes sunt *facie suggillata lividaque*, quia diutius in arcto illo meatu pressi hærebant, unde nonnulli exanimes prodeunt, alii extreme debiles atque semianimes, quibus aliquot dierum nonnunquam spatium decurrit, priusquam livor ille vel suggillatio evanescat: hac in re *callida obstetrix* vel *curatrix* suum infanti officium conferre egregie poterit, caput convenienter fingendo.

Obiter hîc annotabo: infantibus non absre *capita* esse *aperta*, hoc est, cranium non ex uno continuo osse constare, nec undique tunc temporis æque durum esse, sed circa futuras adhuc membranosum saltem; imprimis autem vertex mollior & membranosus existit, ut scilicet in istiusmodi occasione ossa capitis cranium constituentia arctius coire, quin & super se invicem contrudi queant, caputque oblongum fingi, id quod fieri non posset, si ossa cranii compacta & arctius connexa essent, sicuti postea fit, si adoleverint quodammodo infantes; unde concludimus: parvam seu arctam nimis pelvim non solùm causam partus difficilis sed & obitus præbere posse & matri & infanti, nisi artificiosa manu partus exclusio fiat: quemadmodum autem

tem propter parvitatem pelvis caput infantis non nisi vi in & per eandem deprimitur etiam in utero bene quidem locato; ita præterea propter nimiam parvitatem pelvis uterus facile verti, & quocunque modo obliquari poterit, unde nunquam non labor difficilis exoritur, de qua re alibi fusius.

Sicuti jam pelvis (uti dictum supra) ob parvitatem male convenire poterit, si scilicet quoad rotunditatem nimis arcta fuerit; ita etiam pelvis, per se quidem in cavitate sua satis ampla, difficilem tamen desuper ingressum admittere poterit, si scilicet *nimis plana* sit: licet enim ambo ossa coxendicis *Fig.* 1. signata *b b* longe satis à se invicem distent, distantia tamen inter ossa pubis *d d* & prominens os sacrum *a e in prima Figura* nimis angusta esse poterit: vel siquis melius capiat in 2. *Fig.* ibi distantiam inter *f* os pubis & *a b* prominens os sacrum intelligo, quæ pelvis ita constituta mihi dicitur *pelvis plana*, atque hæc eadem infanti, si capitosus sit, non solùm difficilem admittit ingressum, etiamsi uterus bene locatus sit, sed etiam in causa est, cur uterus se vertat & obliquetur prorsum vel retrorsum, aut facilius sinistrorsum vel dextrorsum, unde & necessariò oritur partus difficilis.

Quòd si *parva nimis* & *plana* pelvis difficilem reddat laborem, haud minore etiam incommodo conjuncta est *magna* sive *ampla nimis pelvis*, magnumque malum affert: per *nimis magnam* pelvim intelligo, quæ cum infante uteroque collata tantæ amplitudinis est, ut caput infantis simul cum utero adhuc præcluso sine laboribus ad ostium usque facilè delabatur: propter ingens istud spatium vel amplitudinem uterus suprâ non satis aut omnino non succingitur aut retinetur, unde neque caput infantis neque humores impressione dolorum os uteri satis urgere possunt, ut aperiatur, adeò ut ostium vel muliebria sola uterum retinere debeant & obstare, ne infans simul cum utero extra corpus procidat: in hoc casu humores plerumque latissime expansi sentiuntur, imò quod plus est, extra corpus procul protuberant, ut infans uno impetu simul cum humoribus proditurus videatur, quod si hoc modo usuveniat, parum periculi affert, facilemque partum red-

dit: nonnunqaum autem os uteri *crassius* est & *prædurum*, muliebria verò *laxiora*, unde illud ægre admodum, hæc verò facile dilatantur, tunc humores, quamvis non tam late expansi, magno tamen impetu è corpore prorumpunt, imò & os uteri valide in ostium pudendi penetrat, & ruptâ membranâ non solùm caput è corpore sed & os uteri prominet, & nisi retineatur, eousque delabitur, ut vaginâ ligamentisque nimium laxatis, *procidentiæ* non modò vaginæ sed & ipsius uteri fenestram aperiant: quapropter *Obstetricis* est, in principio statim diligenter attendere, ut tum os uteri remoretur & retineat, antequam eousque prolabatur; *peritæ* enim *Obstetricis* manus hac in re muliebrium vice fungi oportet, peragentes, quod ab his tam commode fieri non potest, quàm *Obstetricis* manibus, utpote aptioribus orificio uteri commodius altiusque sustinendo, quàm muliebria valent.

Hîc loci rursus *Obstetricibus* observandum est, quantis suâ incuriâ incommodis etiam in hoc casu, quo omnia plenissimis quasi velis feruntur, fœmina possit affligi, quippe malum prolapsi uteri sive vaginæ haud levis calamitas est, sed ærumnosa maxime doloreque molesta, quæ fœminæ ambulando vel laborando fortius moventi non parum officit, eamque ad languorem dat: ne dicam de incommodis & difficultatibus maritorum, quas ab ejusmodi conjugibus debent perferre: is namque effectus est pelvis nimis amplæ, cujus è contra angustia inservit *sustinendo utero*, dum dolores eundem deprimunt, quò humores & caput infantis impressione facta orificium dilatare queant, quòd si præ amplitudine uterum non valeat fulcire, *Obstetricis erit, id inferne manibus effectum dare*, quo neglecto dicta consequuntur incommoda.

Ex iis, quæ modò dicta sunt de forma & quantitate pelvis, cuivis facilè liquet: quàm necessarium sit, ut *Obstetrix* animo secum perponderet *formam*, *amplitudinem* & *angustiam pelvis*, earumque habeat rationem jam inde ab initio, quum laborantem convenerit, *ab initio*, inquam, *primum* ipsius officium erit, par-

parturientem *tactu explorare*, quo mediante accurate ac præsenti animo percontetur de situ uteri atque infantis, num scilicet hic bene versus sit, & ille recte locatus, simulque sensu investiget: pelvisne *ampla* sit vel *angusta*, *rotunda* vel *plana*, & qua ratione super illam vel in illa uterus locatus & infans versus sit, quibus rebus omnis opera accommodanda erit, ut scilicet sine mora, si res postulat, aut fœtum manu artificiosa extrahat, aut expectet, donec solis doloribus excludatur, aut Naturæ sit subsidio, arte supplendo ubi illa defecerit.

Hoc igitur omnium primum sibi habeat *obstetrix* parturientem tactu explorans utero cum infante in pelvim nondum illapso, ut studiose inquirat: quomodo ora pelvis formata sit, *rotundane an plana*, *amplane an angusta*, ejusque modulo omnem operam metiatur: si enim pelvis *plana* fuerit, ossisque sacri vertebræ & ossa pubis exiguo intervallo distent, ut inde caput infantis retardetur, summopere caveat *obstetrix* oportet, ne parturienti injungat *valde laborare*, aut ad accelerandum partum violenter eniti; nam si subito & violento impetu caput deprimere tentet, periculum est, ne cerebrum infringatur aut lædatur caput firmius ossibus imprimendo, quo infans vitam amittere poterit, vel arcte adeò compingi, ut in eo traducendo omnis opera perdatur, unde & mater cum infante sine enixu intèrire poterit: Parturiente verò sensim cum lenioribus doloribus connitente, aut vehementiores dolores patiente & paulatim tantùm cooperante, ubi manu simul sospita *obstetrix* caput ad amplius spatium dirigat, tum vel tandem illud vivum adhuc perlabitur per istam angustiam: trajecto autem capite & reliquo corpori facilè iter patet, nisi fuerit monstrosum. Totâ viâ errant *Obstetrices*, quæ depressiones subinde flagitant vehementes, & parturientem ad immensum hortantur laborem, quin & dolores excitare student exhibitis his vel illis medicamentis, utut non distincte noverint pelvis formam aut uteri fœtusve situm, aut siqua alia sint obstacula, nihilominus ad labores subinde parturientem instigantes: Acriter animum torquet tot egregiarum fœminarum conditio,

quæ miſere adeò excruciantur atque atteruntur *obſtetricum* imprudentiâ, præpoſtere agentium & ſiniſtre ordinantium, quæ agenda ſunt.

Si *bene formata* pelvis, *anguſtior* tamen fuerit, quàm ut caput commode poſſit illabi, *obſtetrix* tactu certior facta, quòd oſtio recte immineat infans, & vitium hæreat ſolùm in anguſto nimis oſtio ſive ora pelvis, itidem toleranter id ferat, & parturientem admoneat patientiæ, ut leniter laboret, non verò obnixe, & ſi pigri ſint dolores rarique, nullis mediis accelerandi ſunt; imò dandum potius temporis ſpatium, ne defatigetur parturiens, aut incaſſum fundat labores, ut hoc pacto caput infantis in formam oblongam redactum penetrare demum poſſit, quod aliàs violenti laboris depreſſione planum latumque factum nequaquam pertranſiret.

Oſſa pelvis quod attinet, ea arte majora aut minora reddere non licet; *Obſtetrix* ergo iiſdem mutandis fruſtra occupata foret, excepto ſolo *oſſe coccygis* ſive acumine oſſis ſacri, quod quidem, ſi nimis introrſum vergat, retrudi poteſt, ſi ſcilicet, ut ſæpe fit, eo meatus nimis anguſtus infanti reddatur; & perneceſſarium quidem eſt in tali caſu, ut *Obſtetrix* retroagat iſtud oſſis ſacri acumen, quò via pateat prodeunti infanti, id quod *obſtetricis* manu commodius fit quàm capite infantis.

Quando mihi ſermo eſt de *oſſe ſacro retroagendo*, id non tantùm agendum puto indito in inteſtinum rectum unico digito, qui acumen oſſis ſacri aliquatenus ſaltem retrudat, ut quidam Auctores oſcitanter ſatis commendant; ſed id dictum volo: ſi neceſſitas exigit, *integrum oſſis ſacri acumen unà cum circumjacente parte carnoſa ita retrorſum retrudendum & dilatandum eſſe, ut via prodeunti infanti ſatis pateat:* quumque hoc artis opus magni ſit momenti, iſti diutius immorari non piget, & ſenſa mea fuſius explicare, quò animum *Obſtetricum novitiarum* ad ſeriam excitarem attentionem: hæc enim actio plures majoreſque commoditates continet parturientibus ac infantibus præcipue inſervientes, quàm multi animo ſibi concipiunt, quamobrem res poſtulat, iſti diutius inhærere. Sæ-

Sæpius cum admiratione mecum meditabundus rationem ſciſcitatus ſum: *cur obſtetricum nonnullæ tamdiu parturienti aſſidentes partum non excluderent*, licet aſſererent: infantem bene verſum eſſe, humores jam effluxiſſe, caput oſtium jam delapſum non parum prominere, neque vigorem deeſſe dolorum, nihilominus multo jam interjecto tempore infantum excluſio parum admodum ſuccedebat: verùm enim verò omnibus rebus altius ponderatis deprehendi: *iſtas obſtetrices rerum ſuarum haud ſatis gnaras eſſe*, & errore ductas præpoſtere agere: Equidem nequaquam dictum volo: *obſtetricem* omnium mox parturientium partum expedire poſſe & debere; ſatis quidem ſcio, dari caſus, quibus illa cum quantacunque ſua ſcientia non par ſit; imò contingere poteſt, ut infantem, licet capite prono prodeuntem, omnino non excludere valeat: Sed hîc loci ſermo mihi eſt de caſibus ejuſmodi, in quibus *obſtetricantium* operâ juvari quidem poſſunt infantes, at ubi præ inſcitia illi officio deſunt, quod *obſtetricum vulgo* perquam familiare eſt, imprimis quæ ruri hoc munere funguntur, quarum maxima pars inſtitutione caret: etenim ipſarum operam penitus intuens inveniebam, *eas maxime attentas eſſe ad orificium uteri & muliebria*, aliàs oſtium vaginæ dicta, quorum utrumque tentabant dilatare indito uno utriuſque manûs digito labia diſtrahentes & quaſi dirumpentes, ad oſſis ſacri acumen neutiquam attentæ, quod tamen plerumque prodeunti infanti plurimùm obſtat: plerique hominum artes manuarias agunt, veluti jumenta piſtrinenſia ſine attentione, & ſiquid obſervent, non tamen ultra id quod legerunt, aut informatione perceperunt, ſapiunt, neque plus animo volvunt, quàm oculis vident, aut manibus palpant.

Equidem fateor, ſiquis orificium ſaltem vaginæ vel os uteri ſenſu explorat, & ſentit eadem tantis doloribus parum ſaltem aperiri, finitimis partibus non obſervatis, facilè in errorem incidere poſſe, dum ſibi perſuadet, duritiem aut craſſitiem in cauſa eſſe, cur orificium uteri vel vaginæ non magis laxetur, aut caput infantis non ulterius promoveatur, quare pari modo ad diſ-

trahendum & rumpendum deduci ſe patitur, ut plerumque *imprudentes illæ obſtetrices* ſolent, unde miſerrima ejuſmodi conſequuntur incommoda, utpote violenta diruptio oris uteri, vel interdum muliebrium uſque ad inteſtinum rectum: at verò minime omnium comprehendi poteſt, inſcitiamque ejuſmodi obſtetricum maxime arguit, quòd, dum ita lacerant & diſcerpunt, interim parturientem ſedere permittant acumine oſſis ſacri ſella, lecto vel ſtrato abbreviato ſubnixo, adeò ut illud affixum quaſi hærens omnino non loco moveri poſſit: Aliæ inconſiderantes parturientis corpori linteum ſubſternentes, quo à duabus aut quatuor fœminis ſublevetur, illud ultra nates protendunt, ut parturiens, oſſe coccygis linteo innitente, tanquam in oſcillo pendeat; atque hoc modo caput infantis perlapſurum putant: Aliæ parturientem ſellæ perforatæ imponentes non obſervant, veſtes, quas acumini oſſis ſacri obtentas relinquunt, os coccygis retinere: *ignorantia* ſane, ob quam miſeræ parturientes multum deſudant! quædam *Obſtetrices* (juxta monita quorundam Auctorum) inſuper digito in anum immiſſo oſſis coccygis acumen retrudere tentant, quum tamen totius manus vires vix ſufficiant: non poſſum ſane, quin iterum doleam *ignorantiam* tam docentium ejuſmodi quàm diſcentium: ego quidem aſſerere auſim, adeò non ſufficere unum duoſve *infirmæ obſtetricis* digitos ad neceſſariam dilatationem oſſis coccygis repreſſione faciendam, ut potius *plerarumque obſtetricum* integra manus, imò quorundam *debilium obſtetricantium Virorum* non par ſit huic operi probe perficiendo; *integra*, inquam, *manus*, ſcilicet non in inteſtinum rectum ſed vaginæ orificium immittenda: & cui bono quæſo digitum in podicem? an forſan: ne inteſtinum rectum lædatur? quaſi verò minus lædatur, ſi ſimplex, quàm ſi duplicatum prematur: eccur extremum unius ſaltem vel duorum ad ſummum digitorum adhibent, ubi integræ manus robur exigitur? ego quidem puſillo corpore non ſum, & robuſtis ſatis manibus, occaſionibus tamen interfui, ubi plus virium adhibuiſſem, ſi potuiſſem, ad retrudendum os coccygis, ac iſthoc

hoc medio nunquam non & matri & infanti tanto adjumento fui, ut maximas Deo T. O. M. debeam gratias.

Equidem animo jam præsentio: timidos quosdam & imperitos nimiæ me incusaturos audaciæ, quòd scilicet hæc res periculi plena sit: at verò certus sum, si ejus rei usum & periculum ea cautione toties (& quod vere testor) prospero cum successu feciſſent, ac ego, non adeò & pertimescerent, persuasiſſimum mihi est, lacerationem illam & distractionem oris uteri vel vaginæ majore cum periculo conjunctam esse, quàm hanc, qua ego utor, ossis coccygis repressionem, quæ plana & aversa manu æqualiter applicata sensim fit & comitantibus doloribus, uti sequentibus memorabimus.

Infantes capite prævio prodeuntes, eoque in pelvim jam illapsi, ibi retineri possunt, si scilicet humeri margini ossium, quæ pelvim constituunt, adhuc inhæreant, vel (inter delabendum iis per se quidem ad transeundem liberis) caput per angustiam pelvis, & specialiter ab osse coccygis retardetur, & de hoc posteriore obstaculorum genere nobis hîc sermo est, quo simul complectimur infantes *podice prævio prodeuntes*, natibusque jam in pelvim illapsos: hi infantes in illa adeo detineri possunt, ut quidem nunquam excludi contingat, idque ob nimiam pelvis angustiam, aut capitis seu humerorum magnitudinem; & plurimùm hoc usu venit in ejusmodi partu difficili.

Indubitatum est, omnibus fere difficulter enitentibus, si uterus recte situs infansque bene versus fuerit, partum tum difficilem reddi *per meatûs angustiam*: ideoque necesse est, præsertim in primiparis, eundem vi quasi aperiri doloribus caput infantis depellentibus; *aut prudens obstetrix* meatûs dilatationem promovere debet os coccygis retrudendo: Infantes igitur capite aut natibus in pelvim illapsi deferuntur usque ad os coccygis, quod non cedit vel ob firmitatem suam, vel ob nimiam finitimarum partium siccitatem & soliditatem, vel ob dolorum languorem, vel denique ob defectum virium, quòd parturiens non satis valeat tantum cum doloribus facere impetum, quo loco moveatur

veatur os ſive oſſicula iſta; os coccygis enim è tribus, imò quatuor nonnunquam oſſiculis conſtat, ut in *prima Figura* videre eſt: Si caput infantis magnum, humeri verò parvi fuerint, orificium uteri plerumque ſenties valde intentum, quia caput maximum in illud impetum facit, quod tum & maximum patitur renixum: Sin verò caput parvum, humerique fuerint lati, plerumque os uteri minus intentum ſenties, quòd tum in illud proprie maxima non fiat depreſſio: magnum quidem caput os uteri validius urget quàm parvum, ſed ad rem penitius cognoſcendam ſciendum eſt, neque magnum neque parvum caput os uteri potiſſimùm urgere, quia illud os uteri progreſſum non remoratur, ſed os coccygis obſtat & renititur, & hanc ob cauſam omnis illa *obſtetricum* diſtractio & oris uteri laceratio irrita eſt.

Notandum igitur: quandiu caput magnum non poteſt loco movere os coccygis, etiam non poterit ſufficienter dilatare os uteri; omnis enim deprimentis capitis efficacia impenditur repellendo oſſi coccygis: experientia etiam docebit: puſillum caput cum latis humeris æque non poſſe tranſire, ac magnum caput cum anguſtis humeris. Præterea notandum: in hoc caſu nonnunquam os uteri circa caput infantis minime intentum eſſe, ſed ſolutum adeò laxumque, ut nullo negotio unus vel plures digiti inter os uteri & caput infantis intrudi poſſint, attamen caput non prolabitur, quod non niſi ex eo fit, quòd caput uſpiam impeditum hæreat, omnemque impreſſionem faciat *NB.* non tam in os uteri quàm os coccygis, ad iſtud removendum: quæ ſi obſtetrix neſciat, aut non animadvertat, qua ratione quæſo! parturienti vel infanti auxilio foret, aut præſtaret, quod officio ipſius convenit? ô deplorandam iſtorum hominum ignorantiam!

Idem quod magni capitis, præviarum etiam natium obſtaculum erit, nimirum os coccygis, ita ut optimum in hac re & matri & infanti adjumentum detur *oſſe coccygis retrudendo*, quo meatus quàm mixime dilatatur, partuſque acceleratur, & adeò non damnum affertur ſive dolor intenſus, ut potius affirmare auſim,

par-

parturientem hoc modo adjutam doloribus duplo minoribus partum edere, quàm aliam, cui *obſtetrix* vulgari modo os uteri dilatare ſatagit. Hæc res caſus alicujus memoriam mihi revocat: ſcilicet, Fœmina quædam primaria aliquot dies ad enitendum laboraverat, infans recte quidem prodibat, ſed meatus nimis anguſtus erat; fœmina defatigata jam ad extrema deducta erat: Ego cum Conjuge, quòd ad nos de ſtatu illius fama veniſſet, petebamus domum ipſius animo adjuvandi, ſi Deo placuerit, cariſſima enim erat: quò quum perveneramus, Conjux propter notitiam limen intrabat, & videns eam in magno verſari periculo, rogabat veniam ejuſdem tactu explorandæ, remque, uti dictum, inveniens, omnes mox nervos intendebat ad retrudendum os coccygis, unde brevi fœtus in lucem edebatur ſalva parturiente, quæ poſtea mihi, *quàm diſcrepant*, inquit, *hujus vel illius hominis actiones! quamprimum Conjunx tua rem tractabat, ſublevabar, & recuperatis viribus infantem eniti valebam, quum antea obſtetrix me cruciaret ſaltem, ut nervoſe haud valuerim laborare.* Sed forſan cogitabit quiſpiam: dolores prius obtigiſſe aut nullos aut ſaltem leniores, qui demum præſente tua uxore ingruebant &c idque forſan in cauſa erat, cur opus auxilii ſub manus uxoris tuæ felicius ſucceſſerit: reſpondeo: nonnunquam rem ita cadere poſſe, atque tum obtinet proverbium: *felix, qui tempore opportuno vocatur*: Sed hîc loci res non ita comparata erat; artificioſa potius manus deerat, quàm ipſius parturientis labor: &, quod hac occaſione adjungere libet, ſæpius mirabundus obſervavi, *parturientes convenienter tractando & juvando dolores concitari & augeſcere, quum perverſis actionibus evaneſcant ceſſentque*: Non ignoro, pleriſque mirum videri *obſtetricibus*, quod dico; attamen verum eſt, quumque verum ſit, ac in his rebus adminiſtrandis plurimùm adjuvet, dicendum utique eſt & inculcandum, ut rerum rudes iſtud obſervare queant.

Quæ parturientem prave lacerant diſtrahuntque, multum operæ ludentes, temere divexant illam atque defatigant ſine ſucceſſu, id quod animum frangit prorſuſque languefacit: quæ

verò decentiſſime noverunt adjuvare, Naturam recreant, ac in ſpem maximam & expectationem felicis puerperii adducunt, unde animus redditur vireſque renovantur: hinc eſt, quòd unius operâ dolores concitentur, alterius verò langueſcant. Sæpius parturientibus auxilio fui, quarum dolores, quamprimum rem aggrediebar, augeſcebant; tum *Obſtetrices*, quæ diu fruſtra expectaverant operamque perdiderant, *jam bene res ſuccedit*, ajebant, *ſi iſti dolores noſtram ſecundaſſent operam, partum quidem excluſiſſemus*: ſed ego ſurdum agens mecum cogitabam: *ſi meo more rem tractaſſetis, parturiens efficacius laboraſſet*: & artes meas mihi ſervans iſtas ſibi ſapere ſinebam, uti perditus ille mos inter homines obtinuit, ut in commodum privatum ambitionis ergo abſcondant proximo, quod in maximum aliorum commodum & emolumentum manifeſtare poſſent & patefacere: Et, ut verum fatear, vix quidem quiete diem obiiſſem ſupremum, niſi tempus ſuccidiſſem, quo in publicum emitterem, quicquid in hac arte obſervatum & expertum habeo; & animo calcar addidit, quòd res iſtæ quotidie in quibuſvis regionibus & civitatibus uſu eveniant, faciantque tot hominum vitæ prolongandæ & ſervandæ, totque malis aliorum avertendis, quæ illis per quarundam obſtetricum inertiam inferuntur.

Quòd ſi quiſpiam quærat: *qua ergo ratione os coccygis extrorſum protrudis, & infantem per anguſtam illam viam deducis?* illi reſpondeo, me primo omnium fœminam eo ſitu diſponere, qui parturienti, ad fœtum enitendum cum doloribus cooperanti, maxime convenit, ſcilicet, ut ex parte ſedeat, ex parte decumbat, *non omnino ſupina, neque prorſus erecta, ſed poſitura inter ſedendum & cubandum mediâ, cruribus* imprimis *late divaricatis, genibus parum ſublevatis, à duabus fœminis ſuſtentata, ac eouſque à lecto abbreviato remota*, (ſi ſella perforata non ſuppetat) *ut oſſis ſacri acumen liberum plane ſit*, ac ſine ullo obſtaculo retrocedere queat: tum integram manum oleo intruſam, eodemve probe inunctam, *integram*, inquam, vel *omnes digitos* ingero aut in uteri vaginam ſolùm, aut, ſi nates prodeant, vel caput id ad-

admittat, in ipsum os uteri, ut fert rerum occasio; immissæ manûs volam sursum, ejus verò dorsum deorsum versus intestinum rectum & os sacrum converto, hoc modo digitos, quousque possum, capiti suggero, caput parum retrudens potius; quàm ut obstet, quo minus manum probe ac firme ossi coccygis opponam; manu ita obfirmata parturientem moneo, ne dolores frustra prætermittat, sed omnibus viribus connitatur: quamprimum tunc sentio dolorem irruentem, (quem plerumque prius sentio quàm ipsa parturiens) eam ita compello: *en irruentem jamjam dolorem! utere illo, omnibus viribus deprime, ego te adjuvabo deprimendo:* hoc dicto manum sensim firmius subinde acumini ossis sacri retrorsum apprimo, simul eandem deorsum ducens, ut capiti delabenti locum concedam, ac quo dolor est vehementior, eo magis deorsum premo, & quò magis cum dolore efficaci premo, eo fortius parturiens valet eniti, hoc pacto & ejusdem valida pressione, & meatus ampliatione, & manus reductione sensim succedit caput jam delabens: hoc ipsum repeto, quoties res postulat, nullo dolore frustra prætermisso: hac ratione parturienti, cujus natura jam adjumentum sentit, animus redditur, imprimis, si ad singulos dolores ipsam compello: *res bene cadit, & recte sub manus succedit, mox te lætam matrem salutabimus:* parturiens ita animata, quæ modò animo facto spem abjecerat, adeò jam corroboratur, ut omnibus viribus collectis ultima experiatur, unde & partus mox excluditur.

Quòd si infans *natibus* prodeat, quæ nec rotundæ adeò nec duræ sunt, tum digiti facilius utero intruduntur, quorum ego nonnullos, aut sæpius omnes ori uteri immitto subter nates, sicut antea in vaginam; manu ibi posita doloribus intentus, iisdemque ingruentibus parturientem ad laborandum invitans omni nisu sensim retrorsum premo, manum paulatim deorsum ducens, hocque ad singulos dolores repetito singulis vicibus infans promovetur: quòd si manus deorsum ducendo durante dolore ex ore uteri nimis elabatur, illo finito eam rursus immitto, ut redeuntibus doloribus parata sit; ita brevi meatus adeò dilatatur, ut infans excludi possit.

Sed fortaſſe quiſpiam cogitabit: quomodo fieri poteſt, ut infanti complicato ſuperaddita in orificio uteri manus dilatare meatum valeat, quum eum potius obſtruere videatur, & hoc pacto infanti obſtare magis quàm adjumento eſſe? ſed ponderanti *triplex commodum*, quod infanti indita manu affero, facilè patebit, eandem infanti prorſus non obſtare: *primò:* doloribus ingruentibus manu premente *os coccygis repellitur*, unde meatus dilatatio: *Secundò:* manu deprimente *os uteri ampliatur*; ac *tertio:* manum retrahens ſimul *infantem attraho*, ſenſimque ex utero & pelvis anguſtia deduco, ſicque brevi parturiens mediante hoc artis opere partus excluſionem experitur: Et vere teſtari poſſum, me ne unquam quidem (quòd ſciam) hoc modo ſive ori, ſive vaginæ uteri, ſive inteſtino recto rupturam, vulnus ullumve notabile damnum intuliſſe, quare *non vereor, hunc modum os coccygis reprimendi, eoque meatum ampliandi commendare, tanquam unam è præcipuis & commodiſſimis partum excludendi artibus*, hac tamen addita admonitione: quòd *omnia cum judicio & prudentia peragenda ſint*; nam optimæ quidem artes à temerariis adhibitæ periculoſæ ſunt, ac ſæpius pernicioſæ.

Pelvis ejuſmodi planæ, quam memoravi, Figuram hîc loci non exhibui: qui enim veram pelvis imaginem, ut ſe communiter habet, ſibi concipit, etiam hanc ipſam, cujus in hoc capite mentionem fecimus, facilè imaginari poteſt.

CAPUT XXVIII.

De conſtrictione venæ umbilicalis, & ſecundinarum excluſione.

ANtequam progrediamur in partûs difficilis contemplatione, non alienum erit hîc loci, tanquam in parentheſi, oſtendere, *quomodo recens nati infantis vena umbilicalis conſtringatur & abſcindatur, ac ſine mora excludatur ſecundina*, ne ſemiperfectus ſaltem partus, ſed omnibus numeris abſolutus ſit. De

con-

constrictione & abscissione venæ umbilicalis non est, quod speciatim observem, quum res nota sit, atque ad omnes *obstetrices* non solùm, sed & vulgares fœminas pervulgata, & licet in ea peragenda quodammodo discrepent, ut plurimùm tamen in uno conveniunt.

Constrictio fieri poterit *quadruplici vel sextuplici filo lineo crassiore*, vel hoc non suppetente, lino aliquantulum contorto; sed cavendum, ne misceantur fibræ lini inæquales, quæ nimis inciderent; neque nexus nimium constringantur, ne vena umbilicalis tenerorum præcipue aut præmature editorum infantum persecetur: probe curandum, ut vena *arcte satis* constricta sit; si enim adhuc aliquid sanguinis exstillet, denuo liganda foret sive eodem loco, sive propius infantis umbilicum, quare præstat filum circumvolvere non proxime corpus infantis, & ad minimum spatium duorum digitorum latitudine intercedere convenit. Quædem sanguinem prius è vena umbilicali in ventrem promovent infantis, quod malum inferre poterit, si forte sanguis concretus fuerit, ideoque tutius omittitur. Quædam haud abs re nolunt venam constringi *ante editum ab infante vagitum, aut redditam urinam*; at verò nimiâ morâ interpositâ non cessandum est, si deliquium patiatur infans, ut se recolligat, omnia adhibenda sunt, utpote *setaceo plantam fricare, cepam contusam naribus admovere, vinum faciei, naribus, oculis auribusque inspergere*, & siqua alia adhiberi solent.

Si *vena umbilicalis* jam constricta flatibus turgeat, relaxanda, flatibusque emissis denuo constringenda est, neque proxime nexum, sed post unius pollicis duorumve digitorum latitudinem vena abscindenda; longiore enim non opus est, quum non nisi perfrigeret infantem: optime omnium agunt, qui venam duobus locis constrictam intermedio dissecant, à frustranea sanguinis effusione tuti: neque vena nudo corpori infantis imponenda, sed duplici vel quadruplici panno involvenda, quo à frigore infans & dolore ventris tueatur.

Funiculo umbilicali jam abscisso sine mora *secundinis extrahen-*

omnis opera impendenda erit: eum in finem altera manu funiculus tenendus est bis vel ter digitis obvolutus, dum altera secundùm funiculi ductum utero immittitur adhuc satis aperto: Siqua alia præsto est fœmina, venæ umbilicali constringendæ & abscindendæ idonea, tum *obstetrix*, quamprimum infantem sinu excepit bene valentem, vena umbilicali nondum constricta vel abscissa ocyus manum utero immittere potest extrahendæ secundinæ gratia: sed si deficiat infans, alia interim venæ constringendæ curam suscipere poterit.

Antequam progrediamur, attendendum erit, quòd mihi persuadeam, plerisque visum fore alienum, & generali praxi, omniumque Auctorum sententiæ contrarium, si *extrahendæ secundinæ causa sine mora utero manus immittatur*, quum sæpius alio quidem modo id effectum detur, quippe secundina nonnunquam funiculum umbilicalem leviter saltem trahendo procedit, quare hunc modum omnes assiduò tradunt Auctores; qui nisi succedat, alia media docent, scilicet *puerperam pugnum inflare, ventrem calido vino fovere*, vel ut alii volunt, *candelæ particulam in gulam indere ad ciendum vomitum* &c. quibus quum secundina non propellitur, vel tandem tradunt, manu investigandam esse & adhærentem deglubendam educendamque: Sed quid agam? sententiæ illorum non accedam, neque istum sequar modum agendi; quum tuta mihi pateat via, non opus est ingredi dubiam; per me licet illis pro libitu rem tentare: & meam & illorum rationem expertus sum, optimam jam amplector, cuilibet liberum relinquens agere, quod propriâ experientiâ edoctus consultius judicat: itero igitur quod dixi, nimirum rationem maxime convenientem esse, ut misso omni extrahendi conatu *manus protinus ab exclusione infantis utero immittatur*, ac siquis quærat: quare protinus? & in quem finem? illi respondeo.

Primò: Si protinus ab exclusione infantis manum utero immitto, *ea tum facilè, imò & brachium, si opus fuerit, illabitur absque omni negotio*; caput enim infantis illum abunde satis a-

pe-

peruit: è contra dum variæ illæ artes, ab Auctoribus traditæ, tentantur, os uteri arcte adeò occluditur, ut non nisi multo negotio penetrare liceat.

Secundò: Statim à fœtus exclusione *sine ullo puerperæ dolore aut incommodo manum in uterum immittere licet*, quod interpositâ morâ non fit nisi cum incommodo puerperæ, quæ oris uteri relaxationem non sine dolore ferre potest.

Tertiò: Confestim à partu *non orificium solùm uteri late satis adhuc patet, sed & uterus ipse*; qui aliâs actutum sensim contrahitur & coarctatur, eo ipso secundinam arcte constringens, ut, quæ prius plana atque lata fundo adhæserat instar placentæ, tum fiat oblonga & exilis; veluti si pileum manu comprimeres, vel marsupium adstringeres, unde postea fundum difficilius attingere licet, quod non fit, si manus è vestigio immittitur.

Quartò: Manu statim à partu in uterum immissa *periculum non est, ut funiculum umbilicalem trahendo & fundum detrahas, aut uterum invertas*, quod plus satis quidem usu venit *incautis obstetricibus*, quæ ex ignorantia insuper sibi persuadent, alium adhuc infantem prodire, ratæ, fundum uteri esse caput, qualem ego aliquando spectavi tragœdiam, quum talis *ignara obstetrix* puerperam vitæ periculo exposuerat; incerta tamen, num aliud quid esset quàm caput, me curabat vocari, ego adveniens reperi puerperam intolerabili dolore decumbentem, qua tactu explorata sensi, fundum uteri inversum & in ostium progressum esse; sed eo protinus à me in locum suum restituto dolores minui cœperunt, sensimque evanuerunt: isthæc puerpera brevi certe interiisset, nisi eidem mature subventum fuisset: ab hoc periculo immunes sunt, qui confestim à partu manum utero immittunt.

Quintò: Manus à partu statim in uterum immissa protinus me certiorem facit, *num secundina utero adhæreat necne*, id quod aliâs certò sciri non potest: quòd si solutam reperiam, actutum manu educo tenens illam inter pollicem digitosque dextræ reliquos, dum sinistrâ funiculum umbilicalem sensim attraho, hoc

modo

modo ea ſine ulla puerperæ moleſtia excluditur, quod quidem alia ratione etiam commode ſatis fit, ſi fortuna optatis reſpondeat, ſin verò minus belle cadat, tum non niſi majori cum dolore educitur.

Sextò: Manu ſtatim à partu immiſſa *abſolutum puerperium accelero:* certum enim eſt, me oppidò citius ſecundinam excludere, quàm alios, illud trahendo aliiſve modis tentantes; tempus enim illorum more non tero hoc vel iſtud tentando, ſed breviſſima tutiſſimaque methodo procedo.

Septimò: Hic educendi modus ſtatim me certiorem reddit, *num unus adhuc vel plures infantes excludendi ſint, aut mola reſidua, aut fœtus emortuus*, quæ omnia tum educere poſſum ante vel poſt excluſionem ſecundinæ, ut ſcilicet res exigit.

Octavo: Hac ratione præter ſecundinæ excluſionem protinus ſimul in utero *peragere poſſum, quæ poſt partum in uſu obſervare ſoleo*, quapropter utique manus immittenda foret: Quoniam igitur tutum & utile judico, manum tandem ſive maturius ſive ſerius utero immittere, id ſtatim ab excluſione fœtus conſultius eſſe cenſeo.

Non ſolùm autem (uti jam memoravi) eapropter manum in uterum immitto, ut ſcrutarer, an ſecundina libera ſit vel cohæreat, neque ſolùm, ut ſciam, num unus adhuc vel plures infantes vivi vel mortui reſtent, aut mola lateat, vel quicquid alieni adhuc excludendum ſit: ſed etiam ut certior fiam, *num fruſtula quædam ſecundinæ aut membranarum reſidua ſint in utero, aut ſanguinis grumi:* inſuper exploro, an uterus bene conſtitutus ſit & rite contrahatur; nonnunquam enim fundus parum extuberat ſinu incurvo, (veluti pilei apex impreſſo tubere tumet) quod ex attractione funiculi umbilicalis vel aliunde exiſtit, ac ſine mora in integrum reſtituendum eſt, aliâs totius uteri inverſio ſequitur vel prolapſio, (de qua ſupra facta eſt mentio) fœminam excrucians vitæque exponens periculo: nonnunquam paſſim reliquiæ quædem ſecundinæ utero adhærent, quæ excludendæ quoque ſunt, ne fœminæ aliquid inde calamitatis accipiant:

mem-

membranarum etiam reſiduum utero ineſſe poterit; imprimis verò multus adhuc conglobatus ſanguis in utero contineri poteſt, quam auferri & excludi perquam neceſſarium eſt, niſi ſubſequatur *immodicum ſanguinis profluvium*, *deliquia* interdum & *deliria*, imò *mors* ipſa, ut egomet ſemel atque iterum his oculis vidi, ſi ſcilicet grumi iſti ſanguinis corruptionis occaſionem præbeant: ob has aliaſque plurimas rationes uterum expurgare neceſſarium eſt.

Neque acceptâ ſecundinâ protinus inde retraho manum, aut ſi id ſecundinam egerendo factum ſit, eam mox iterum ingero, undiquaque leniter ſcrutans uterum, ſiquid dictarum rerum obvium adhuc eſt, in manum colligo, uterumque primùm ſuprà circa eandem ſenſim contrahi patior, deinde verſus orificium, manu ſubinde retracta omnia deorſum egero aliena, ſimul *uteri obliqui ratione habita*, ſi ſcilicet *ſupinus* lumborum vertebris nimium incumbat, allevatum (dum ſubinde contrahitur) *anticam verſus in ſtatum naturalem ſenſim reduco*, *ad latera vergentem* manu *in medium reduco*, in prominentem ventrem *pronum reflecto*, & hoc pacto omnem *ſitum obliquum pedetentim reſtituo*, non violenter ſed *pedetentim*, inquam, his enim rebus violentia abſit oportet: Natura juvanda, non impedienda, & omnia cum judicio peragenda ſunt: Hoc modo jam certus & ſecurus ſum, uterum probe occluſum & purgatum eſſe, id quod puerperæ maximam affert commoditatem; equidem teſtor, me tot prava ſymptomata in fœminis non animadvertiſſe, ex quo iſtam adhibui curam, quare & eandem *omnibus obſtetricantibus* commendare ſoleo. *Vagina* uteri attente quoque *ſcrutanda* eſt, an *lævis* ſit, aut inſignibus *rugis* ſive *plicis* perarata, quæ ſi dentur, explanandæ & diſponendæ ſunt: *uterus* nimium *delapſus*, quantum poteſt, ſurſum removendus, omniaque in ſtatum naturalem reſtituenda.

Sed porro videamus, *quomodo ſecundina excludenda ſit*: Siniſtra funiculum umbilicalem tenens dextram ſecundùm ejus ductum immittito; quòd ſi ſecundinam jam ſolutam in ore uteri

obviam habeas, manu in longum porrecta inter omnes digitos prehensam simul cum manu immissa educito, dum altera funiculum tenens sensim attrahit; sin secundina major sit, quàm ut os uteri permeare queat, puerpera parum deprimat, quasi fœtum excluſura, simulque leniter trahatur funiculus, & protinus subsequetur secundina; Sin verò *secundina* tota vel ex parte utero adhuc cohæreat, sinistra funiculum tenens secundùm illum dextram immittito usque ad secundinam, eamque tactu scrutare, qua parte plurimum soluta sit, vel minimum adhæreat, ibi digitos inter uterum & secundinam injectos huc illuc leviter agitato: nisi enim firmiter adhæreat, hoc modo digitos altius subinde usque ad apicem circumagendo facilè avelli potest, & undique tandem libera sponte in manum defertur; quum autem secundina leniter agendo non solvitur, tunc ambobus posterioribus digitis externa sui parte utero oppositis interna parte priorum duorum digitorum illam avellito, undique in orbem progrediens, usque dum penitus soluta sit, tum educenda, uti de secundina soluta jam dictum est, observatis porro omnibus, quæ tradita sunt: hæc omnia summa lenitate curaque peragenda sunt, ne uterus laceretur unguibus seu rumpatur, aut puerperæ dolor inferatur non necessarius: omnibus tandem, quæ tradita sunt, in utero peractis corpus panno calido præstruatur, crura componantur, in lecto collocetur puerpera, cincta prius supra coxam panno, nexu in latere sinistro adstricto, ut placide quiescat, monenda est.

CAPUT XXIX.

De partu difficili, ex morbo sive vitio quodam uteri oriundo.

Uterus æque ac reliquæ corporis partes *morbis obnoxius est*, & *casu*, *collisione*, *contusione*, *ictu* &c. læditur, *inflammatur*, *exulceratur*, *obdurescit* & *intermoritur*: *ex his omnibus*

Fig: 15.



Phi: Boutbats fecit.

omnibus existit partus difficilis: nonnunquam uterus *scirrhi duritie & carcinomate* infestatur, unde rigescit & obduratur, ut difficulter comprimatur: Verùm enim verò quia his uteri malis remedia non facilè inveniuntur, atque (præsertim ab obstetricibus) ægre admittunt correctionem, nos curationi illorum tradendæ supersedebimus, relinquentes Doctoribus Medicis & Chirurgis, ut in ea desudent: de *ore uteri* saltem quædam tradenda, quum opus sit, ut *obstetrices* in illud operam suam nonnunquam conferant.

Os uteri plerisque fœminis tam *crassum & prædurum* existit, ut ægre aperiatur, idque plurimùm usu venit iis, quæ provectioris jam ætatis sunt, in primo maxime enixu, imprimis *si continuo cursu & operâ membra exsiccata obriguere*, harum *uterus exsiccatus & rigidus partum reddit difficilem*, tum præcipue, si pelvis vel meatus amplior, imo magis adhuc, si pelvis angustior sit, osque sacrum cum acumine nimis introrsum flectatur: in pelvi ampliore *partus oritur difficilis è nimio uteri descensu*, quo ejus ligamenta cum fibris vaginæ nimium laxantur, atque vesica nimis detrahitur, unde, uti suprà dictum, *urinæ incontinentia*, *uterique* vel *vaginæ assiduus descensus* ac *è corpore prolapsio*, quæ multa importat incommoda: quibusdam uterus *pugni*, aliis *pusii capitis magnitudine*, imò quidem major nonnunquam foras prominet, qui corrumpi tandem ac intermori poterit, uti varia testantur exempla.

Huic quidem malo, nisi nimium fuerit, in tempore remedium invenitur, incurabili autem *pessarii* accommodantur, prolapsionem præpedientes uterumque sustinentes: eum in finem inspiciatur *Fig.* 15. exhibens ejusmodi *pessos* accommodos, usui ita inservientes, ut cum marito coitum non impediant, quibus non minus uti possunt virgines, ob alias rationes uteri vel vaginæ prolapsione laborantes.

Explicatio Fig. 15.

a Pessarius ovatus, intus excavatus, foramine in acutum tendente.
b Idem est, magis triangularis.
c Idem ovatus acutior.
d Idem omnino rotundus.

Ex *subere*, *ligno*, *argento* vel *auro* conficiuntur hi *pessi*: ex *subere* vel *ligno molliore* confecti probe incerandi sunt, aliàs brevi corrumpuntur, eoque putredinem & exulcerationem dolorificam inferunt: *argentei* verò vel *aurei* non opus habent incerari, sed *cavi* atque *lævissimi*, ne pondere incommodent, probe item *lævigati* sint, ne attritu lædant doloremque inferant: *subu-rei* molles nimis sunt, ac facilè franguntur: *lignei* verò durabiliores existunt.

Notandum: quòd hi *pessarii* non tantùm rotunda, ovata, triquetraque differant forma, sed etiam crassitie vel potius profunditate: nam *pessus d* orbis saltem est extremâ orâ haud crassior caule olorino; at in medio prope foramen quadruplo fere tenuior, & undique à circumferentia sive ora in medium foramen cavus & tenuior subinde desinit: *pessos* hosce ea, qua debent esse, magnitudine delineavi: *pessus d* planus saltem orbis est, neque profundus; cæteri verò lati & profundi sunt: foris duorum digitorum latitudine gaudent, magisque in obliquum vel acutum à circumferentia centrum versus desinunt: interna cavitas & profunditas cum externa latitudine convenit: omnes pariter probe politi sint & lævigati, sine ulla acie vel scabritie, ut lædere nequeant: plani & orbiculati commodissime *innuptis*, cavi verò *nuptis* plurimùm accommodantur ob rationes cognitu faciles: *NB.* Singuli *pessi* medio orbiculatim perforati sunt, ut humores perfluere queant: utero prius in locum restituto & probe composito scite & solerter vaginæ immittendi sunt hi *pessi*, parte acuminata præmissa, ita ut medium foraminis respondeat orificio uteri: quicunque igitur formam pelvis probe novit, is facilè

lè comprehendet, ovatos illos & trigonos *peſſos* non inverſos, ſed eodem modo in vagina poni, quo in Figura repræſentantur.

At verò *callidæ* potius *obſtetricis* eſt, parturienti tempeſtive adeſſe auxilio, & cavere, ne in mala ejuſmodi incidat, quod fit *os uteri ſuo loco ſuſtinendo*, neque unquam permittendo, ut à doloribus in limen pudendi deprimatur, multo minus impetu capitis apertionem urgentis extra corpus prodeat, non niſi ligamentis ſuis laxioribus retento, quem ſi *Obſtetrix* ſuo loco ſuſtineret, mala iſta non ſolùm præverterentur, ſed & os uteri facilius aperiretur, parturienſque citius ac commodius eniteretur, uti Capite præcedente monſtravimus.

Si parturienti pelvis ſit anguſtior, *Obſtetrix* non tam curam gerat oris uteri ſuſtinendi, quàm ejus aperiendi, vel apertioni locum faciendi, quod præſtabit modo præcedenti Capite monſtrato, ſi ſcilicet manu prius oleo affatim peruncta os coccygis retrudat, quo retrocedente caput infantis validiore impreſſione os uteri urgere poteſt, at quoad id obſtiterit, in idem impingit caput, eoque invalidum redditur: prius verò certa debet eſſe *Obſtetrix*, os coccygis impedimento eſſe, quàm illud molitur reprimere, & caput prævium rectà in oſtium tendere, dum ipſa os coccygis retrudit, aliàs laboris fructum perderet.

CAPUT XXX.

De partu difficili, ex vaginæ, veſicæ, inteſtini recti aut pudendi vitiis.

QUicquid meatum jamjam anguſtum magis coanguſtat, illud eundem & difficiliorem reddit: jam verò uteri *vagina*, *veſica* ejuſque *collum*, aut *inteſtinum rectum* infeſtari poterunt tumoribus aut ulceribus ſive purulentis, ſive aliis malignis, aut glandulis obduratis plus minus duris, magnis aut dolorifi-

cis, quæ omnia has partes maxime coanguſtant & arcte adeò concludunt, ut ne digitus quidem, multo minus manus ſine magno dolore & labore immitti queat: In hanc rem *Paulus Portael* notabilem memorat hiſtoriam de fœmina quadam, cujus *naturalia prætumida* eouſque & *inflammata* erant, ut ægre *catheterem* immittere potuerit, at deinde intruſo digito ea ſenſim magis magiſque dilatabat, donec vel tandem infanti tranſitum ſatis aperiret, unde felix ſequebatur excluſio. In omnibus his ſymptomatibus *obſtetricem* meritò ad conſilia *Medicorum* & *Chirurgorum* dimitto, aut munus *prudenti Chirurgo obſtetricanti* tradendum ſuadeo, quod quidem ſalva ſua exiſtimatione facere illa poteſt; magis enim commendat, ex animi ſubmiſſione & diffidentia ſui abſtinere manum, aliique rem committere, quàm temerarie ſcientiæ ſuæ & habitui confidentem plura conari, quàm præſtare poteſt. Plura hîc dicere poſſem de modo iſta ſymptomata tractandi: quum verò informationem in hoc Libro non ſcribam *Viris obſtetricantibus*, *in quantum Chirurgiæ vacant*, ideoque iſta juxta cum aliis rebus prætermittam, progrediens ad aliud malum, non rarò partum impediens, *procidentiam* ſcilicet *vaginæ*, non illam, quæ fit poſt partum, ſed præſentem jam ante fœtus excluſionem in principio laboris, quâ ſæpius *obſtetrices rudiores* cohibentur à penitiore tactus exploratione, vel opera ſua probe navanda: hanc *vaginæ procidentiam obſtetrices ruſticanæ in Friſia* vocant præcinctorium, (*het Vurſchot*) idque dicunt ante oſtium ſitum eſſe, quod ipſis melius *objectus* dicendum eſſet; prius enim vel primò oſtio objicitur: tum, quia aliud remedium neſciunt, illam vaginæ prolapſionem foventes intra corpus vel ad corpus retinere ſatagunt, patienter præſtolantes, dum omnia ſponte ſua ſuccedant; quòd niſi eveniat, conſilii expertes non habent quod agant, indies parturienti ſolùm aſſidentes, uſque dum immediato Dei auxilio infans excludatur, aut mater vitam finiat ſimul cum infante.

Obſtetrix à parturiente vocata, quam novit *vaginæ procidentia* laborare, vel ſi tactu id perceperit, protinus omni ſtudio pro-

prolapsam vaginam loco suo restituat, deinde maximopere curam gerat, ne os uteri nimis permittat delabi, sed illud suprà in vagina retineat, & quoad fieri potest, manibus sustentum servet, usque dum parturiens tam fœtum quàm secundinam enixa fuerit; quo facto uterum cum vagina omni studio, quoad potest restituat, omnibusque explanatis vaginæ plicas non sinat sibi ipsis superimponi, puerperam deinde demissiore capite in lecto collocet, adhibeatque (consilio *Medici* cujusdam vel *Chirurgi*) exsiccantia, confortantia & adstringentia fomenta, quibus vagina successu temporis in loco suo iterum confirmetur.

Vesica quoque & *rectum intestinum* nonnunquam *tumore* & *exulceratione* affliguntur, quibus itidem meatus coarctatur & excruciatur: iis ergo *Obstetrix* omnem lenitatem adhibeat, quantum potest, partes affectas vitando: nonnunquam & *calculi* in vesica ejusve cervice meatum dolorificum aut difficilem reddunt, tunc *Obstetrix* eundem, quantum potest, dilatabit os coccygis retrudendo, ut caput infantis facilius delabatur vesicam minus attingens: *Excrementa* in intestino recto *indurata* si meatum angustent, injecto uno vel altero clystere, sicut suprà traditum est, vel ad præscriptum *prudentis Medici* illud exonerare allaboret; qualicunque enim in intestino recto tumore seu exulceratione existente ante omnia sedulò cavendum est, ne excrementa indurata resideant, quia cruciatus inde ingravescerent.

CAPUT XXXI.

De partu difficili, à firma nimis membrana humores continente, vel à prævia ad exclusionem placenta.

IIs, quæ fœtus exclusionem remorari diximus, rebus hæc duo accenseri possunt impedimenta, *membrana* scilicet cum *soluta* & *delapsa placenta*: Si mihi sermo est de *membranis* & *placenta*, quæ revera unum tantùm sunt, eas distingui saltem volo, quate-

nus

nus in partu plerumque distinctæ obveniunt; nam *secundinæ tenuissimam partem*, si humoribus distenta instar vesicæ appareat, membranam lymphaticam (*het watervlies*) vocamus; *partem* verò *crassiorem* post fœtum excluſum, cui rupta membrana cum funiculo umbilicali adhæret, *secundinam* vel *placentam* dicimus: Tenuissima ista secundinæ pars, humoribus satis distenta, vel tandem rumpitur, unde humores repente plerumque, ac nonnunquam infans ipse, prodeunt: Quòd si istha membrana (potius membranæ, duplex enim est, ex duabus membranis composita) opportuno tempore, ore nimirum uteri satis jam dilatato, non rumpatur, ita ut partus exinde retardetur, tunc ad eum promovendum *obstetrici* sine periculo membranam rumpere licet, quod quidem efficere potest eam *unguibus divellendo*, ita ut membranam non attrahat, ne placenta seu secundina ab utero abrumpatur, quod mortem infanti inferret, nisi mox excluderetur: at verò summopere caveat *obstetrix*, ne membranam præmature rumpat, nam forte sibi persuadens, membranam partum remorari, eâdem intempestive diruptâ infantem aquis subductis in brevia quasi deponere potest, & partum maxime morari; humores enim multo commodius os uteri aperiunt, quam caput infantis: quapropter ante non rumpenda membrana est, quàm os uteri late satis apertum sit, & capitis magnitudinem latitudine peræquet, ut infans facilè penetrare queat.

At cogitabit fortè quispiam: quid refert, an membranam præmature rumpam? membranæ ab humoribus utique interdum rumpuntur ore uteri vix quidem semiaperto: & nihilominus infantes salvi in lucem eduntur: Equidem fateor hoc fieri, imò & intra uterum membranas rumpi contingit, ut humores guttatim effluant; quin & quibusdam gravidis duabus tribusve septimanis ante partum membranæ rumpuntur, & nihilominus vivos adhuc infantes enituntur: sed hoc semper Naturæ vitium est: humoribus præmature adeò & ante consuetum tempus effluxis partus tam facilè non succedit, quàm si ipsi humores prodeunti capiti os uteri satis aperuerint, simulque viam humidam fecerint

& lævem, qua infantes facilius delabuntur, quàm humoribus antea effluxis, meatuque jam exsiccato, quem postea illito oleo lævem lubricumque reddere opus est, ac defectum humorum hoc modo supplere: propterea *nisi necessitas urgeat*, antequam os uteri satis apertum sit, membrana non rumpenda: *nisi necessitas urgeat*, inquam: fieri enim potest: ut necessitas cogat *obstetricem* rumpere membranam, quò malum anticipet: *exempli gratia*, si *sagax & exercitata obstetrix* tactu experiatur, *funiculum umbilicalem ante caput in ostium prolapsum esse*, idque in *pelvi rotunda & arctiore*, ut metuendum sit, nisi post caput removeatur iste funiculus, ne à capite adeò premat, ut sanguinis transmissio impediatur aut omnino intercludatur, quod infanti mortem necessariò inferret; illa, omni studio ad removendum & retinendum post caput funiculum frustra collato, cogitur dirumpere membranam, nulla habita quantitatis ejus ratione; nam prolapsio venæ umbilicalis ante caput majus sane periculum infert quàm humorum effluvium, hoc enim exclusionem aliquatenus remoratur, illa verò infanti animam intercludit, medium ergo adhibendum est minus periculosum; in planis quidem pelvibus ista venæ umbilicalis prolapsio tam periculosa non est, quàm in minoribus rotundis, quamvis plana pelvis facilius importet pravam uteri & infantis versionem; in ea enim, nisi simul angusta nimis est, venæ umbilicalis locus quidem datur, ubi parum seposita minus permatur, tunc *obstetrix* huic rei intenta, quamprimum aquæ effluxerunt, protinus eandem post caput infantis removere poterit: Qua ratione autem *obstetrix* membranâ nondum diruptâ istam venæ umbilicalis prolapsionem ante caput dignoscere eamque removere queat, suo loco trademus, ubi de ista prolapsione funiculi umbilicalis sequentibus acturi sumus, tumque porro videbimus, qua occasione membranam dirumpere liceat.

Quemadmodum igitur *membrana firmior*; ita & *secundina* aut *placenta* infantis exclusionem præpedire vel eundem in meatu retinere potest, si scilicet ab utero dissoluta ac graviore sui

parte delapsa ante ostium deferatur, viamque infanti intercludat. Hoc *primò* dignoscitur *tactu*, quum ambobus digitis ori uteri immissis neque membrana neque nudum caput percipitur, è contra *crassa molliſque caro* sentitur, mollitie & lentitia non parum discrepans â carne infantuli, quæ semper solidioris est substantiæ vel per se, vel propter ossa, quæ eâ vestita sunt: adhæc sentitur, carnem istam *informem* esse & *exossem*, carni infantili prorsus dissimilem: istháec caro mollis *obstetrici* obest, ut partes infantis ostio proximas (ut assolet aliâs) sentire vel dignoscere non valeat: *Secundò*: iste casus semper conjunctus est cum *profluvio sanguinis* tanto nonnunquam, ut matri inde & infanti vitæ periculum immineat; quapropter *prudens obstetrix* omni mora rupta exclusionem infantis expediet hoc modo: Duobus prioribus digitis sive simul sive successive ori uteri immissis placentam, quoad potest, removeat, donec membranæ prodeant, quas digitis aut unguibus divellat: aut quum secundinam removere non potest, digitis in mollem ejus carnem intrusis inibique dilatatis ac hinc inde agitatis, eam ita dilaceret, ut tandem perforetur, & mox loco sanguinis antea continuò profluentis humores emanabunt, quo facto statim sanguinis profluvium minuetur, aut omnino cessabit; nam uteri acetabula avulsione secundinæ aperta, quæ durante omnimoda uteri extensione obstrui non poterant, effluxis jam humoribus adstringuntur, quia uterus jam seipsum contrahere potest, aut potius, illo ab intestinis vehementius coarctato acetabula magis comprimuntur, venarumque oscula strictius occluduntur: hæc est ratio tam profluvii quàm cessationis ejus: Quædam protinus placentam vel secundinam *acu crinali* perfodiunt, quod ego non probo, (si quidem digitis fieri potest) quia infans facilè læditur; ideoque potius commendo, ut *digitis* allaborent placentam perforare, deinde foramen, quoad per oris uteri apertionem licet, dilatent, atque placentam, quoad possunt, dispersim removeant, quo caput, si prævium fuerit, ostium occupet, doloribusque infans depressus excludatur, vel, si prave versus fuerit, *obste-*

trix

trix ſine mora pedibus eum protrahere ſtudeat, uti ſuo loco trademus de infantum verſione acturi; equidem in hoc caſu moras nectere non licet, quia infans hoc in ſtatu non diu ſuperſtes eſſe poterit, quare *ſagax obſtetrix*, quantum poteſt (*neque tamen præcipitanter*) excluſionem fœtus acceleret oportet, infanteque edito protinus & ſecundinam educat, quæ nonnunquam ſanguine congelato ori uteri aut vaginæ adeò agglutinatur, ut concreta vel unita eſſe putetur, tum digitis deglubenda eſt, ab ea ſemper parte, qua minus adhæret, primùm incipiendo, uti patebit, quum rationem omnium ſecundinarum excludendarum docebimus: Quòd ſi forte placenta eouſque prodierit, ut ægre removeatur, conſultius erit, eam primùm excludere; ſed præter hoc ſatius eſt eam in utero relinqui, donec infans excluſus ſit.

CAPUT XXXII.

De partu difficili ex emortuis infantibus.

INter partus difficiles ſeu non naturales numeranda quoque *fœtuum emortuorum excluſio*, ſive ſtato tempore eveniat, ſive inter enitendum defuncti ſint infantes, ſive aliquot antè diebus, etenim *fœtus emortui* enixus præter naturam certe & expectationem contingit, quum partus non ut *mortis* ſed *vitæ janua* conſideretur.

Quemadmodum Natura haud intendit mortuos gignere fœtus; ita eorum quoque tam facilis enixus non eſt ac vividorum: Quicquid enim vivit, movetur, & *vivi* infantes ſua jam magnitudine & vigore gaudentes in amplius ſpatium tendunt, itaque ſentientes, ſe à prementibus inteſtinis urgeri, ſe ipſos expedire conantur, iteratiſque doloribus moliuntur effringere carcerem, quà datur, in amplius ſemper ſpatium ruentes, quod *emortui* non ſolent, utpote qui inſtar ſacci arenâ impleti vel fruſti carnis exanimis immobiles jacent, nec niſi pondere ſuo huc illuc feruntur, per ſe omnis motus expertes; ac ſi fortè *emortui* infantes ſiti

fuerint in obliquo seu prave verso utero, in aut super obliqua planave pelvi, parturiente insuper ægrotante & infirma, multum incurvato osse coccygis, pudendoque coarctato, aut aliqua saltem horum incommodorum conjuncta sint, tum *obstetricantibus* maxime desudandum est: insuper sæpius accidit, ut infantes emortui prave versi prodeant, alterutrum latus vel ventrem, manus pedesve ostio obvertentes, vel quocunque modo oblique versi, uti clarius patebit, quum de male versis infantibus uteroque obliquato sermo erit: *omnia hæc incommoda laborem reddunt difficiliorem*, unde non immeritò partui non naturali seu difficili annumerantur: Ut verò confusionem evitemus. hîc nobis non erit sermo de ullo incommodo, præterquam quod ex morte infantis infertur, cætera suo loco reliquentes, hîc loci solummodo agimus *de fœtu vel infantibus emortuis in utero recte sito.*

Quemadmodum nemini indubium venit, *mortuos nasci infantes*; ita multum dubitationis habet, *dijudicare vivusne infans aut mortuus sit*, quamdiu intra ostium hæret adhuc excludendus, imprimis si capite prævio bene versus prodeat; etenim neque ex *obstetricis* sensu, quæ partem tantùm capitis tangere valet, neque ex testimonio parturientis, quæ intra longius aut brevius temporis spatium vivum adhuc infantem sensisse asserit, aliquid certi cognoscere licet, quoniam experientiâ satis superque docemur, ista indicia ut plurimùm fallere: Signum omnium certissimum est *cuticulæ capitis supremæ dissolutio*, quæ non nisi aliquandiu post obitum infantis contingit. Memini, me aliquando in pagum quendam non procul à domicilio meo vocatum fuisse, ubi parturiens quædam aliquot dies ad partum jam laboraverat: infans bene versus prodibat: & mater & *obstetrix* asseverabant coram me & uxore, quæ mecum erat, se intra bidui spatium nullum infantis motum percepisse, & proinde non dubitare, quin obierit; neque ipsimet nos ex omnibus perquisitis indiciis aliter poteramus colligere: quare omne studium conferebamus ad parturientem in vitæ periculo versantem servandam, infanti neu-

neutiquam parcentes: diuturno labore caput jam huc jam illuc prementes fasciâ linteâ instar exigui Frisii collaris post illud ingestâ utroque extremo non parum trahebamus, simul omni studio in id incumbentes, ut meatum arctissimum dilataremus, quo facto tandem parturiens infantem, ut putabamus, mortuum enixa est, nec quisquam præsentium ita esse dubitabat: sed miser infantulus paulo post præter expectationem vagitu aures implebat, paucos dies postea superstes: Ego ejus misericordiâ maxime tangebar ob duo vel tria tubera, quæ in capite ex nimia compressione acceperat: & fateor hunc errorem totidem inde annis documento mihi fuisse & fore posthac, dum spiritus hos reget artus, ne unquam infantem ut mortuum tractem, testimonio parturientis aut *obstetricis* persuasus; imò de proprio sensu diffido, nihil ratum habens præter *supremæ capitis cuticulæ dissolutionem*, quæ quidem ibidem haud facilè dissolvitur, quia mediantibus capillis adhæret, neque infantem ulterius sine maximo labore tangere licet: quapropter hîc addendum censeo, *obstetricantibus* graviorem casum non posse obvenire, quàm si fortè ad servandam matris vitam infantes tanquam emortui tractandi sint, quod nunquam contingit, *nisi quum infantes bene versi prodeunt, capite prægrandi meatuque nimis angusto, neque extensivo*, aut si *propter uterum obliquum* infans *in meatu instar cubiti incurvato* hæret, uti sequentibus patebit, ubi de utero obliquo agendum erit; ejus generis casus erat, cujus modò memoravi exemplum; & variis de causis non nisi rarissime opus est, infantem aliquem sola magnitudine in meatu detentum instar emortui tractari, modò, uti perneccessarium est, *obstetrix* ab initio statim cognitum habeat, uterusne bene vel prave versus sit, quò discernere possit, num infans doloribus deprimentibus solùm, vel manu adjutrice excludendus sit: siquidem istiusmodi infantes ex utero recte sito uncis ullisve vulnificis instrumentis extrahere mihi videtur iniquum; nam bene versi prodeuntes, capite nimis magno, aut meatu nimis angusto neque extensivo, si in pelvim jam delapsi sint, maturo auxilio

adhuc quidem ſervari poſſunt: quapropter iſtud hominum genus, quod hos infantes tanquam mortuos tractare parum adeò veretur, facilè noxam incurrere cenſeo, ſi minus coram hominibus, quibus non omnia perſpecta ſunt, coram Deo ſane, Cui & abſtruſa patent: Iſtiuſmodi igitur infantes, de quibus hic ſermo eſt, ſive vivi ſive mortui, *ſola manu obſtetricante*, non autem inſtrumentis vulnificis traducendi ſunt, quoniam ægre, uti dictum eſt, certò cognoſci poteſt, vivine an emortui ſint.

Quidam, num in utero recto vel obliquo ſiti ſint iſti infantes, neſcientes, iis extrahendis quoddam genus *uncinorum* adhibent, quos, quoad poſſunt, à latere capitis ſive auribus, ſive ubicunque datur, injiciunt, & ſi poſſunt, *binos* ingerunt, ſcilicet unum ab utroque capitis latere, quibus caput detrahunt, caventes, ſi forte elabatur uncinus, ne uterum lædat aut vaginam: Sed, ut verum fatear, uſus eorum cum maximo periculo conjunctus eſt, imprimis ſi *obſtetrix* aut *Chirurgus* minus cauti fuerint, aut prompti manibus, quia parturientem facilè lædere alicubi poſſunt, tum maxime, ſi fortè uncinulus elabatur, quod contingere facilè poteſt, etiamſi ſumma cum cautione res agatur; & infanti mortem ut plurimùm afferunt iſti uncini. Dominus *Mauriceau* aliud inſtrumentorum genus invenit, quod *Gallicè* vocat *la tire teſte*, quod verti poſſet: *Extractor* ſive *eductor capitis:* hoc ſane inſtrumentum accommodatius eſt, minuſque periculi parturienti quidem, quàm uncini, infanti autem nunquam non necem affert; quare eodem in hoc rerum ſtatu uti ſalvâ conſcientiâ non licet, ſed patefacto jam *uteri ſitu recto* vel *obliquo*, tanquam noxium rejiciendum eſt ab omnibus Bonis, niſi exploratum habeant, infantem jam obiiſſe, quod certò non conſtat niſi ex *diſſolutione ſupremæ capitis cuticulæ*, ut dictum ſuprà.

CAP.

CAPUT XXXIII.

De partu difficili ex præmatura fœtus excluſione.

NAtura intendit (ſi quidem ita loqui licet) maturos gratoſque fructus proferre; ſed actione ejus communi impedita fructus immaturi cadunt & intempeſtivi, gratia & ſuavitate expertes: infantes igitur *ante ſeptimum menſem* editi fructibus immaturis ſimiles æſtimandi, in vivis rarò manentes; quocirca partus iſtiuſmodi inter *non naturales* recenſetur, plerumque è pravis ſymptomatibus oriundus.

Per *partum immaturum* intelligo talem, *quo humanum aliquod corpus naſcitur, magnum* ſive *parvum, vivum* ſive *mortuum*; non autem, quem quidam *abortum* vocant, in quo membra humana nondum diſtincta apparent, *bullæ* potius ſimilem aut *ovo ſubventaneo*; neque eum voſo partum, quem vulgo *molam* dicunt, quæ nil niſi maſſa informis carnea eſt ſine ſecundina; neque diverſa alia excrementa intelligo, quæ uterus, tanquam ſibi noxia & moleſta ſolet rejicere: ſed fœmina vere prægnans ſi aut longe aut brevi *ante ſeptimum menſem* fœtum emittat vel minimum, is mihi dicitur *partus præmaturus* ſive *abortus*: hoc quotidiana experientia teſte plus nimis uſu venit, ejuſque cauſa varia eſt & multiplex; attamen mulieres *meticuloſæ, timidæ* & *iracundæ* ut plurimùm ei obnoxiæ ſunt, iſti enim animi affectus omnem ſanguinem vehementer exagitantes violenterque urgentes *hæmorrhagiæ* cauſam præbent, quam plerumque *abortus* conſequitur: Et in genere *quicquid fœtui in utero mortem affert*, id *abortus* quoque cauſa eſt, obitum enim infantis plerumque præmatura ſequitur excluſio, quippe fœtus emortuus citra corruptionem in utero diutius retineri nequit: & quanquam inſolita quædam dentur exempla fœtuum emortuorum ac multum temporis in utero detentorum, ibique omnino fere conſumptorum, inſolens tamen rarumque eſt; è contra infantes emortuos haud diu in utero morari compertum habemus, ſiquidem tanquam inutile

&

& moleſtum pondus præter naturam inibi verſantur: Sed cauſis abortus propriis ſuperſedebo, ne videar *Medicos* potius quàm *obſtetrices* inſtruere, quippe inſtituti mei non iiſdem pharmacorum formulas tradere, quibus iſtas removere poſſent, ſed *arti obſtetricantium* ſolùm inhærebo, &, quæ ad eam ſpectat, cognitioni generali.

Meticuloſas, *timidas* atque *iracundas* facilè abortum pati dictum eſt, præſertim ſiquæ ex angore & pavore hæmorrhagia facilè corripiantur, nihil enim facilius fœtum expellit quàm *hæmorrhagia*; & quamvis fortè eâdem fœtus non omnino excludatur, ſi tamen duraverit, uſque dum prægnans deliquia patiatur, & obſervetur, eandem poſt immodicum ſanguinis profluvium *ſpaſmo* tandem & *convulſionibus* corripi, tum neceſſitas urget fœtum excludere, niſi laborantem datâ operâ morti tradere velis, ita ut *hæmorrhagia* nunquam non cauſa ſit abortus, ſive dolores gravidam urgeant ad excluſionem, ſive fœtus ab *Obſtetricantibus* extrahendus ſit.

Profluvia hæc *immodica* & *continua* ex *avulſione ſecundinæ* oriuntur, ſi ſcilicet ea in prægnantibus vehementi *animi affectu*, vel *caſu*, *colliſione*, *nimia extenſione* aut quocunque motu vehementi omnino vel ex parte ſolvitur & ab utero ſeparatur; hoc facto profluvium ſiſti haud poteſt, ſed ſubinde durat, adeò ut ſanguis conglobatim deſtillans *deliquia* tandem inferat, & niſi tum fœtus excludatur, *convulſiones* ſequuntur, tandemque certiſſima mors; quocirca in hoc caſu extrema non expectanda, ſed in tempore fœtus extrahendus, imprimis ſi tactu *ſecundina ori uteri adjacens* deprehenditur, quia tum omnis ſpes obſtipandi profluvii decollavit, ad conſervandum infantem, ſiqua ſpes adhuc oſtenditur, protinus excluſio maturanda eſt: quo pacto quidem infans nonnunquam ſervatur, ſi circiter ſeptimeſtris fuerit.

Nonnunquam contingit, ut gravidis *menſtrua* ſtatuto tempore fluant uſque ad partum, vel alio quodam *fluore* laborent *extraordinario*, qui quidem in lecto acquieſcendo adhibitis me-

di-

dicamentis ſive internis ſive externis ſiſti poterit, tunc non opus eſt excluſione; at ſi fluor ortum trahat ex avulſione ſecundinæ, nullum illi ſiſtendo remedium relinquitur præter celerem fœtus excluſionem, quæ nimis diu non differenda, periculum enim foret, ne gravida ſub manibus exſpiraret: Hæc fœtus excluſio poſt ejmodi hæmorrhagiam non ſolùm ante ſeptimum prægnationis menſem, ſed etiam *quocunque tempore* ſive ante ſive poſt ſeptimum menſem præſtanda eſt, & ſi negotium poſt ſeptimum menſem prompte maturetur, id ſpem facit majorem quàm ante, matrem ſcilicet & infantem conſervatum iri; rarò enim fit, ut infantes ante ſeptimum menſem excludendi vivi prodeant, aut ſi vivi naſcantur, brevi tamen poſt plerumque moriuntur.

Modus iſtiuſmodi fœtum excludendi ita ſe habet: Fœminâ inferiore & ſuperiore corporis parte æqualiter fere in lecto poſitâ unum vel plures digitos ori uteri immittito, (prout ſcilicet plus minus apertum eſt) iiſdem illud eouſque dilatans, ut omnium digitorum apices intrudere poſſis, quò magis magiſque ampliatum ſatis tandem pateat; poſito nimirum, infantem jamjam quinque, ſex, ſeptem vel plurium menſium ætatem attigiſſe; aliâs ſi junior adhuc fuerit, excluſio nonnunquam uno vel duobus digitis efficitur, omnia igitur cum judicio peragenda ſunt: Ore uteri ita amplificato, membrana, ſi obvia ſit, digitis laceranda eſt, adhibitis quoque, ſi res poſtulat, unguibus, unde citum humorum effluvium; in ruptam iſtam membranam manus immittenda uſque ad pedes infantis, qui (niſi prævii ſe offerant) ſuo loco quærendi, nec ullum aliud infantis membrum apprehendendum ſive in oſtium primò producendum eſt, etiamſi ipſum caput prævium ſeſe offerat; gravida enim quum languida ſit & infirma, & plerumque pariendi doloribus deſtituatur fœtus excluſio nequaquam Naturæ committenda, ſed prorſus arte præſtanda erit, quem in finem pedes infantis inveſtigandi, & combinati (ſi quidem fieri poteſt) protrahendi, & hoc pacto infans vertendus eſt, quod facilè fit humoribus nondum omnino effluxis, uteroque laxo adhuc & lubrico: Quòd ſi pedes combinare non poteris,

ris, alterum saltem protrahere licet, dummodo curam adhibeas, ne ullibi irretitus hæreat, & bene succedet versio infantis: uno pede quodammodo jam attracto alterum addere studebis, combinatosque protrahes: dum autem in ostium protrahuntur, probe observandum est, quomodo versi sint; si digiti sursum versi sint aut in alterutrum latus, tum pedes combinatos tenens inter protrahendum sensim invertito hoc modo: una manu ambo pedes prehensi protrahuntur, dum altera (quoad fieri potest) genua versus vel nates intruditur, hacque manu superiore torquetur & invertitur corpus infantis, ita ut ventre, digitis pedum & facie pronum vergat ad intestinum rectum, & hoc modo penitus extrahitur infans, quo facto statim & secundina educitur, sive jam prorsus soluta & separata sit ab utero, sive quodammodo adhuc (licet plerumque levissime) illi cohæreat: tum porro uterus purgandus est ab omnibus sanguinis grumis, membranis, aut quicquid in illo residuum est, ut sequentibus ulterius docebitur.

CAPUT XXXIV.

De partu difficili, ex nimia infantum magnitudine.

Quemadmodum *partes muliebres* generationi inservientes nonnunquam *parvæ nimis*; ita *infantes* aliquando *magni nimis* sunt, quippe inter canalem, & quod illum permeare debet, justa exigitur proportio, alioqui transitus unius per alterum fieri non potest: utrum autem canalis nimis angustus sit, vel res transiens nimis magna, id non variat *obstetricantis* operam huic rei necessariam; quumque ossa pelvis, si transitum præpediant, dilatari non queant (excepto osse coccygis) omnis opera in infantibus figenda erit, qui quando dolorum efficaciâ expelli non possunt, *obstetricante manu* opus est, quâ commodius semper præviis pedibus quam capite educuntur, tutiusque hoc fit mature ab initio statim laborum; quàm postea, si jam

ad

ad incitas redacti sint: attamen in angustia pelvis jam pressi infantes juvandi sunt viam quadantenus infrà prope os coccygis dilatando, uti monstravimus Capite XXXII. quod hîc loci repetendum non est.

Casus nonnunquam incidere poterit, ut caput infantis inita proportione pelvis adeò excedat quantitate, ut integrum per pelvim prorsus non traduci queat, etiamsi bene versum prodeat, utero itidem recte locato, ut in casu ejusmodi extraordinario media etiam extraordinaria adhibenda forent ad servandam matri vitam; sed de his sub finem in *Appendice* sensa nostra explicabimus, quid scilicet in ejusmodi casu faciendum censeamus; siquidem sub prætextu capitum prægrandium non pauci misere perierunt infantes.

CAPUT XXXV.

De partu difficili, ex prava infantum versione in genere.

Hactenus ordinem propositum sequuti vidimus *partus difficilis causas, infantibus in utero recte locato bene versis:* jam progredientes *pravam infantum posituram in utero recte locato tanquam partus difficilis causam* contemplabimur, idque dupliciter: *primò* quidem & proprie juxta sententiam Auctorum antecedentium, qui de *arte obstetricandi* scripserunt, quorum sententia tanquam rationibus & experientiæ superstructa generaliter recepta est: *Secundò* ex additis *annotationibus* videbimus: ejusmodi pravam infantum versionem conjunctam cum *pravo uteri situ* partum longe difficiliorem reddere, & ex hac hypothesi vera rerum cognitione acquisita, omnem operam tali casui accommodandam esse, id quod per insciti am neglectum in causa est, quo minus parturiens fœtum excludat, aut quòd matri pariter ac infanti multi incassum infligantur dolores: Ad hujus rei clariorem uberioremque explicationem eo

magis obstringor, cùm quia censeo, *me primum* (quod sciam) *ejus Auctorem* esse, tum quia hujus veritatis demonstrationem maximi momenti esse arbitror; quare si ad clariorem illustrationem eandem rem in diversis locis repetere mihi opus fuerit, id fit solummodo, ut rei veritati & magnitudini plus adderem ponderis, utpote ad quam aliâs leviuscule attenditur.

Subsequentibus igitur Capitibus contemplabimur & exponemus *pravum infantum situm in utero recte locato*; statuentes: pravam istam versionem infantum *in utero male locato* nunquam non plus incommodi & impedimenti inferre, quàm *in bene sito*, id quod suo ubivis loco additis *annotationibus* demonstrabimus: Inter prave versos infantes quoque recensebimus, qui *capite quidem prævio, facie tamen supina, vel in alterutrum latus reflexa in ostium prodeunt*: aut; quorum *caput in transitu retardatur* hac vel illa re, *ante* vel *simul cum capite prodeunte, exempli gratia: manu, pede, vena umbilicali &c.* quæ partum præpediunt, eumque difficilem reddunt.

Si acquiescerem in proponenda sola infantem versione prava *in utero recte locato*, idem præstarem, quod omnes ante me Scriptores præstiterunt, qui aut sufficiente lumine destituti, aut mala fide in partu difficili *præcipuam obstetricandi cognitionem* neglexerunt aut reticuerunt: facilè mihi persuadeo, id factum esse ex defectu luminis, attentionis & distinctæ rerum comprehensionis potius quàm mala fide; vix enim credibile est, si res probe cognovissent, ipsos nobis *Figuras tam defectivas* tradituros fuisse. Inter omnes, quas unquam mihi contigit videre, Figuras, ne unicam quidem vidi exhibentem *uterum male locatum*, multo minus *prave versum infantem in male sito utero*: unde concludo, omnes Auctores certò sibi persuasum habuisse: ex sola infantum versione prava *in utero recte locato* omnem partum difficilem ortum trahere; quum è contra plurimi partus difficiles, imò plerique difficillimi proveniant *ex pravo uteri situ*, unde sæpius & ipsa prava versio infantum in utero oritur, quippe qui initio bene versi, propter pravum uteri situm in aut per

pel-

pelvim penetrare non valentes ex bene versis fiunt prave versi; id quod plurimùm fit maturi auxilii defectu, ut in sequentibus Capitibus demonstrabimus: Hæc quum ita sint, quis quæso mecum non asserat: *Cognitionem variæ uteri posituræ maximi momenti & summe necessariam esse Obstetricantibus* operam parturientibus fideliter navaturis?

Verùm si omnes & singulas uteri posituras pravas, pravasque in eo infantum versiones, quales contingere possunt, exhibuissem, hoc sane opus magnitudine & pretio impense exaggerassem, & res novitatem præ se ferentes propter impensas majoribus obnoxiæ sunt difficultatibus: quare contentus præcipuorum uteri & infantum situum Figuras exhibuisse, scilicet, quæ conceptibus nostris explicandis plurimùm inserviunt, earundem explicationi (quantum quidem fieri potest) cæterorum situum pravorum delineationem verbis adjungam, non dubitans, paucas hasce amplam satis materiam de diversis aliis differendi submministraturas, unde attentus Lector claram illarum ideam formare, hisque probe comprehensis & cæteras facilè mente sibi concipere poterit: Et primò quidem agemus de prava infantum versione, in utero bene locato, inde gradatim ad difficiliores progressuri.

CAPUT XXXVI.

De partu difficili, ab infante facie supina prodeunte.

AD confirmanda ea, quæ præcedenti quinto & trigesimo Capite statuimus *de summe necessaria cognitione variæ uteri posituræ*, hoc Capite demonstrabimus differentiam inter infantem *supina facie in ostium prodeuntem in utero bene locato*, interque eundem infantis situm *in utero prave locato.*

Utero bene locato infantis *facie sursum versa* prodeuntis enixus sane difficilior erit multumque discrepans ab infante bene verso, *facie* scilicet *prona* prodeunte: eum in finem inspiciamus 16. *Figuram*, talem nobis infantem exhibentem in *utero be-*

ne locato, qui vertice per os uteri delabitur in cavitatem pelvis, & consequenter omnibus fere, quibus infans bene versus, ad felicem partum prærogativis gaudet, quia membra eandem prorsus formam & magnitudinem habent, sive prona sint sive supina; attamen infans supinus tam commode non potest flecti & formæ pelvis adaptari ac pronus, seu facie deorsum versa delabens: *Obstetrix* tamen ex hoc prodeundi modo nequaquam debet turbari, sed infantis exclusionem eadem facilitate sperare, ac si aliter versus, prona scilicet facie, prodiret, dummodo curam gerat, ut caput rectà delabatur, neque illud lædat, dum studet promovere; quapropter ad ampliandum meatum omne studium conferat oportet, partibus muliebribus dilatandis, *osseque coccygis aversa manu retrudendo*, uti suprà dictum, adhibita cautione, ut ne manu digitisve (subter caput ad reprimendum os coccygis immissis) caput attollat, faciemque hoc pacto adversus ossa pubis apprimendo atterat sive infringat: Sed agite, jam videamus: an partus æque facilis sit futurus, si infans dicto modo versus versetur *in utero prave locato*, & patebit, magnam intercedere differentiam, in sequentibus consistentem.

Infans dicto modo versus *in utero bene locato* non aliter ac infans bene versus positus est, capite imminens cavitati pelvis, ita ut in neutrum latus impingat, ac nullibi retineatur: at verò in utero *prave locato* sive *ante* sive *pone*, sive *ad alterutrum latus* caput offendet, atque plus minus fixus quasi hærebit, prout scilicet uterus plus minus obliquatus fuerit; ex utero enim *ad dorsi vertebras plane supinato altiusque intra corpus suspenso* quid aliud resultabit? quàm ut infans *vertice impingat* & fixus quasi hæreat *in ossibus pubis*, id quod *sagax obstetrix* tactu explorare poterit; tum enim os uteri altius suspensum vel ossibus pubis impactum inveniet, ita ut non nisi multo labore parvam saltem infimæ oræ partem instar semicirculi tangere valeat, ut alibi docuimus, perinde ac si bene versus esset infans: sed caput hoc modo in pelvim delapsum *facie supinata* excludetur,

si

si quidem unquam ipsi contigerit excludi, quod impossibile fere, aut ad minimum valde periculosum est: at si uterus *pronus in ventre propendulo* situs sit in *muliere ventrem prominulum gestante*, infansque in illo *supinus* verticem ori uteri obvertat, tum *obstetrix* istud os uteri reperiet à tergo lumborum vertebris, vel superiori ossis sacri parti obversum, idemque non nisi multo labore instar semicirculi poterit tangere; quum è contra os uteri bene locati multo demissius illa reperiat, & sine negotio totam ejus rotunditatem & circumferentiam tangere possit & dimetiri.

Verùm hîc loci porro observatione dignum est, quo *obstetrices* horum uteri situum ignaræ maxime falluntur, scilicet, quòd ipsis ab initio videtur, sese sentire infantem longe aliter situm, quàm revera situs est: ab initio enim talis *imperita obstetrix* putabit, se distincte sentire, quòd infans *recte versus* in ostium prodeat, occipite infantis, quod intermediâ uteri substantiâ sensérat, pro vertice accepto: porro illa obstetrix in errore perseverat, quia idem infans ulterius in ostium progrediens non ut supinus in utero resupinato, sed instar infantis bene versi excluditur, ibi enim caput eadem, qua se primo obtulit, positura manet. Ratio autem istius versionis est, quòd scilicet infans dicto modo in ostium inclinatus in prono utero *capite præcipiti quodammodo debet provolvi*, ita ut tunc suprà reperiatur, quod prius infrà sentiebatur, id quod solummodo ex prava illa uteri positura resultat: *hunc nodum hactenus nemo solvit:* quis enim unquam hanc mutationem ante oculos posuit aut explicuit, scilicet solam diversam uteri posituram in causa esse, quòd ex duobus infantibus occipitio in pelvis cavitatem illabentibus, utriusque vertice ori uteri obverso, alter nascatur facie deorsum ad intestinum rectum conversa, alter verò facie sursum ad vesicam parturientis conversa?

Ita etiam infans *supinus* in utero non parum *dextrorsum* vel *sinistrorsum obliquato*, in muliere, cujus *venter in latitudinem panditur*, caput in adversam ossis pubis vel ossis ilium spinam impingit ibique retinetur, ita ut non nisi multo negotio in pelvim intro-

troquci queat: Talis uteri ſitus tactu poterit cognoſci, ſi ſcilicet os uteri alterutri lateri oſſis pubis aut ilium oppoſitum inveniatur, ita ut ex parte ſaltem, ſcilicet quoad inferiorem oram tangi poſſit. Hac porro ratione omnifariæ dignoſcuntur uteri poſituræ, ex quibus omnibus & ſingulis non niſi difficiles partus oriuntur, quorum hi poſteriorēs difficillimi ſunt, imprimis ſi *obſtetrices* pravæ hujus uteri poſituræ ſint ignaræ: quî autem iſtæ hanc ſcirent? quum hactenus ne ullus quidem Scriptorum eam cognoverit, vel ad minimum nihil perſpicuum, quod ego ſciam, de iſta tradiderit; quoniam igitur variam hanc uteri poſituram *obſtetrices* diſtinguere neſciunt, prægnantibus mature non proſpiciunt, & per hanc inſcitiam plurimarum parturientium ſalus negligitur, quibus ſcilicet utero hoc modo locato infantes ita prodeunt, unde auxilio ſufficiente deſtitutæ cum infantibus non excluſis intereunt, quæ à *cordata obſtetrice* vel *perito Chirurgo obſtetricante* mature adjutæ ſervari potuiſſent.

Jam quidem meritò monſtrandum eſſet, qua ratione ejuſmodi infantes in pelvim introducendi & in oſtium promovendi eſſent, quia verò ſequentibus Capitibus id præſtabimus, de utero iſtiuſmodi male locato acturi, ſilentio hîc præteribimus, eò Lectorem remittentes: Neque neceſſarium cenſemus hic loci monere, quibus indiciis dignoſci poſſit, an infans facie prona aut ſupina prodeat, quum ſupponamus, naſum, os, oculos & mentum diſtingui facile poſſe ab æquali, lævi & rotundo occipite; ab initio tamen infante ita verſo non facilè dignoſcuntur; manus tamen uſu valens unico ſaltem digito ſincipitis & occipitis diſcrimen ſenſu facilè percipiet, etiam antequam caput prodiens ad oculos & aures uſque denudatum ſit.

Explicatio 16. *Figuræ.*

aa Vertebræ.
bb Venter ſive circulus, locum ventris repræſentans.
cc Oſſa ilium.
dd Oſſa pubis.

ee U-


Fig. 16
a
a
b
b
c
c
k
h
c
c
f
f
g
g
d
d
f
f

e e Uterus, in quo infans situs est.
f f Ossa sedentaria.
g g Pyxides ossium coxendicis.
h Infans in utero.
j j Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

Sit jam penes modestum Lectorem judicium, *quàm vitiosè, imperfectè & damnosè nobis traditi sint situs infantum:* quisnam crederet, tot egregios *Viros Fœminasque obstetricantes* per tot annorum seriem huic operæ incubuisse, totosque observationum Libros de *arte Obstetricandi* scripsisse, neque tamen unquam observasse *diversum uteri situm cum incommodis* inde in partu oriundis? fateor, eapropter admiratione me captum fuisse quàm maxima: ecquid inde aliud colligendum, quàm istos homines minimo studio, meditatione aut attentione rem tractasse? quia non observarunt, quanti illa sit momenti, consequentiarum pondus non satis perpendentes: tanti enim momenti hæc res est, ut optima quidem data infantis versione, qua *utero bene locato* nullo negotio & sponte quasi excluditur, nihilominus *utero prave verso* partus sequatur difficillimus & periculosissimus, uti ex hoc Capite aliisque videre est.

Justina, Serenissimæ Electricis Brandenburgensis obstetrix, rebus non parum attenta, ut propterea aliis instituendis perquam convenienter scripserit de *arte obstetricandi*, in Libro suo etiam annotavit, se expertam esse, *quosdam infantes in fœminis ventrem crassiorem & propendulum gestantibus prono capite sublatis pedibus quodammodo prolabi*, quia (ut illa inquit) isti infantes in ventrem propendulum nimis delapsi erant; sed veram rei rationem cum consequentiis illa non penitus cognoverat.

Dominus *Mauriceau*, agens de causis sterilitatis in quibusdam fœminis, hanc inter præcipuas ponit, scilicet, quòd in quibusdam fœminis *os uteri oblique respondeat ostio vaginæ*, unde ipse putat, semen ad latus saltem ejaculari, neque rectà in illud immitti posse, quod, ut non penitus nego, ita multo minus

affirmo: præterea alio loco parturientium mentionem facit, quarum uterus oblique situs sit, neque tamen explicat, quid eo intellectum velit, tam paucis enim, obscuris, & mox abruptis verbis scribit, ut fatear, me rem non prius animadvertisse, nisi quum jam dudum experientiâ pravum uteri situm vere cognoveram, eumque literis mandaveram, Et hæc sunt, quæ memini me unquam de hac materia legisse, neque unquam cum ullo *obstetricante Viro* aut *fœmina* verba habui, qui pravum uteri situm ejusque consequentias observaverant.

Quid jam tibi videtur? cordate Lector, si illi, quorum officium est parturientibus succurrere, quorumque fidei vita matrum & infantum committitur, situm uteri & infantum perspectum non habent, nescientes, quibus obstaculis parturientium labores sufflaminentur, cur scilicet ejusmodi fœmina, quamvis vehementibus doloribus laborans, infantem non possit eniti, aut cur infans post varios ærumnosos labores in corpore maneat alte semper suspensus, & fixus hæreat, quid tibi, inquam, videtur? nonne infelix earum conditio est, quibus contingit à talibus juvari. Quapropter ego omnibus *obstetricibus novitiis* auctor sum, ut studiose perpendant, quam necessaria ipsis sit variæ uteri posituræ cognitio, ut jam inde ab initio laborum imminens periculum prævidentes, sine mora agant quod agendum est, quò matrem cum infante è periculo eripiant.

CAPUT XXXVII.

De partu difficili, infantibus facie in ostium prodeuntibus.

INfans prodit *bene versus, si mento pectori innixus vertice ad os uteri*, tum quodammodo jam apertum, *tendit*, & hoc sensu plerumque *obstetricantes* hoc termino *bene versus* utuntur, quem ego hîc loci omnibus ita perspicuum reddere volui, ut &

ob-

obſtetrices novitiæ genuinum ejus ſenſum intelligant: Quòd ſi fortè contingat, ut infans capite quidem ad os uteri tendente, attamen *in cervicem reſupinato*, verticis loco *faciem prævíam* in oſtio offerat, tunc *pravus ſitus* eſt, unde plerumque *partus difficilis:* ratio eſt; quia capite ita poſito oris uteri & reliqui meatus major requiritur dilatatio ad tranſeundum, quàm vertice in oſtium prodeunte; nam vertice prævio primò caput ſolum, deinde humeri per meatum penetrare poſſunt; at verò facie prodeunte caput in cervicem vel dorſum reſupinatum eſt, unde magnitudo augetur, ut prorſus non, aut ſummo cum labore penetrare poſſit.

Obſtetricis igitur eſt, quamprimum tactu ſenſerit, caput ita prave verſum prodire, protinus omne ſtudium conferre ad corrigendum pravum iſtum ſitum, quod commodiſſime fit *mox poſt effluvium humorum*, tum enim ſatis ſpatii ſuppetit ad caput vertendum, vel mentum in pectus reclinandum, quò vertex ad partum ſenſim promoveatur: ſed *caute* admodum & *leniter facies tractanda* erit ab *obſtetrice*, *naſoque* cum *oculis* maxime *parcendum*, utpote qui facilè læduntur: ut verò melius res ſuccedat, *parturiens capite demiſſo ſupinanda* erit & *prohibenda, ne cum doloribus cooperetur*, uſque dum caput verſum ſit: neque (ut caput cum mento in pectus demittatur) *facie* apprehendendus aut protrahendus eſt infans, ſicuti quidam videntur ſuadere; ſed parturiente ſupinata *obſtetrix palmam pectori proxime jugulum infantis opponens* eundem totum in fundum uteri reprimat, & caput ſponte prolabetur in brachium manus reprimentis, quo animadverſo *obſtetrix* manu ſubducta mox caput bene verſum reperiet, aut facili negotio recte locandum: At ſi fortè caput nimium retineatur, quia ipſa infantem non poteſt ſatis reprimere, tum *indice* vel *pollice in os intruſo* ſenſim protrahat, aut quatuor digitorum apices inter uterum & ſinciput intrudendo caput deprimere conetur: *utendum eſt judicio*, & ponderandum ex ſitus & ſpatii ratione, quomodo caput commodiſſime verti poſſit: Quamprimum caput bene in oſtium vergit, parturiens

ad enitendum commode ponenda, scilicet, ut *quodammodo sedeat*, *quodammodo cubet*, *cruribus distentis*, *genibus flexis* vel *ad ventrem elevatis*; tumque *nullum dolorem incassum prætermittat* parturiens, sed quantum potest, cum singulis doloribus cooperetur ad enitendum partum.

Pauca hæc forsan sufficerent ad ostendendum, quomodo infantibus facie prodeuntibus succurrendum sit; attamen his infantibus *in utero prave sito* contemplandis adhuc parumper immorandum est, & videndum, *quænam incommoda inde resultent*, *quomodo sciatur*, *ubi uterus*, *& quomodo infans in illo situs sit*. Quicunque concedunt, dari *in utero recte sito* infantes facie prodeuntes, iidem facilè concipere possunt, eandem infantum versionem dari in utero *prave locato*, unde & facilius concedent, *ex hac posteriore majora incommoda provenire*, quàm ex priore uteri positura, utque conceptum nostrum adjuvaremus in comprehendenda clarius hac positura, agite inspiciamus 17. & 18. *Figuram*.

Figura 17. exhibet nobis uterum *recte situm*, in quo infans positus est facie non rectà ad ostium, sed *mento ad ossa pubis converso*, *utraque manu brachiisque jam exclusis*: sed infantes ante effluvium humorum (neque mox post effluvium) hoc modo non versi sunt, contrà eo modo plerumque versi sunt, ut *Figura* 17. exhibet, quòd si tunc *obstetrix* statim post effluxos humores minus prompte manus retrudat, & caput in ostium promoveat, tunc manus præviæ excluduntur, caput verò resupinatur, ac infans *facie prope mentum ad ossa pubis impellitur*, ut deinde propter arctam contractionem sicci jam uteri inhabilis fere sit ad qualemcunque exclusionis promotionem, atque tum plerumque fero brachia iterum immittere, caputque in situm naturalem vertere moliuntur; nil enim tum supereſt agendum, quàm ut uno prius brachio, aut, si fieri potest, ambobus iterum immissis subter pectus manu intromissa *pedibus extrahatur* infans, quasi iidem prævii ad exclusionem prodiissent. Fieri quidem potest, ut infans faciem in ostio offerat *sine præeuntibus manibus*,

tunc

tunc eadem fere methodo procedendum eſt, quam ſuprà tradidimus, qua caput naturali modo, hoc eſt, vertice in oſtium producitur.

At verò infante *facie* prodeunte *in utero oblique poſito*, ſive manus ſimul prodeant, ſive non, difficultas ingraveſcit, neque tam facilè res ſuccedit, imò *ſæpe inconſultum eſt*, infantes capite prævio in oſtium producendo deſudare; ſiquidem hoc facto multo cum labore mater ſimul cum infante majori periculo expoſita foret quàm antea, quum oblique adhuc verſus erat: quia enim tutius eſt, infantem ita poſitum *pedibus ſine mora extrahere*, quàm vertice in oſtium converſo excluſionem per parturientis labores exſpectare, procul *dubio* facilius etiam erit, *infantem in primo ſuo ſitu pedibus vertere*, quàm poſtea, vertice in oſtium producto.

Longe ergo aliter tractandus eſt infans faciem prævíam offerens in *utero recte ſito*, quàm in *utero obliquato:* prioris *caput* vertendum & in oſtium dirigendum eſt: poſterior verò tutius *pedibus* quæſitis extrahitur: ut autem aſſertionis hujus fundamentum clarius pateat, attente inſpiciatur *Fig* 18. ea nobis repræſentat infantem *facie* & *ambabus manibus* ante os uteri poſitis in utero *ſiniſtrorſum obliquato*; quia verò uterî ita poſiti pars planior quodammodo in obliquum vergit, infans etiam aliquatenus in obliquum verſus eſt, (uti ex hac *Figura* patet) plurimùm ſupinus, propter hanc uteri poſituram. Os obliquati hujus uteri ſpinæ oſſis ilium oppoſitum eſt inter vertebras lumborum & ſiniſtrum os pubis, unde iſthoc os uteri *difficulter dextræ ſolùm digitis* poteſt tangi, quibus inferiorem oris uteri oram ſentire, neque tamen eoſdem ſine multo labore immittere poteris, aut ullum obvium membrum diſcernere, ſeu rupta ſit membrana (quod nonnunquam accidit) ſeu adhuc integra: Hæc poſitura uteri citra controverſiam exigit, *ut confeſtim infans, quocunque modo oblatus, non capite prævio, ſed neceſſariò pedibus extrahatur*; qui verò aliter faciunt, minime cum judicio agunt maturo, matrem pariter ac infantem ultimo exponentes pe-

riculo: Ad majorem hujus asserti evidentiam videamus, qua ratione hujus infantis caput rectà ad os uteri commodissime dirigendum sit; porro qua ratione & caput & os uteri simul in pelvim introducenda; denique qua ratione per angustiam pelvis promovenda sint.

Primò igitur omnium os uteri uno vel duobus digitis apprehensum, quantum fieri potest, ab osse ilium abstrahendum & rectius in pelvim dirigendum foret, ut, si res postulet, manus in uterum intromitti possit: membrana verò aut jam rupta est aut non: si non: aut unguibus confringenda erit, aut exspectandum, dum sponte rumpatur; hoc posterius forsan diutius protrahetur, quippe in tali situ dolores parum deprimunt; interim tempus labitur, & parturiens debilitatur: quod si membranam confringas utero nondum satis aperto, necesse erit idem manu aperire: humoribus enim effluxis non diu cessandum est, aliâs capitis vertendi occasio prætervolat: utero insuper ita obliquato nec oris ejus apertio facile succedit, parturiens eâ cruciatur, ut vires minuantur: pudenda etiam dilatanda sunt; nam oris uteri ampliatio & versio infantis non fit nisi manu per vaginam in uterum immissa: hoc facto tandem parturiens acerrimo dolore defuncta est, maximusque labor peractus: quum eousque ventum est, facilè ad pedes penetrare & pro lubitu infantem vertere poteris, quod nonnunquam æque prompte facileque fit, ac si caput recte disponeres, manusque secundum longitudinem corpori accommodares: Posito jam, caput recte versum ad os uteri tendere, ac brachia retrorsa secundùm longitudinem corporis sita esse, quid tum? quantus omni isto molimine profectus factus est? jamne plenissimis velis feremur? *uterusne jam recte locatus est*? ubinam corpus infantis? qua ratione dolore infantem istum excludent? aut *obstetrix* exclusionem conficiet? nequaquam: jam demum *maximus labor imminet*, mox *infantem exanimem, matrem in vitæ periculo, obstetricem omnis consilii expertem* videbimus, nî Deus mire ipsis prospiciat.

Sed dicet fortasse quispiam: *unde ista dictorum inconstantia*? mo-

modò dixisti, quum de capite infantis vertendo ageretur, maximum laborem peractum, & parturientem acerrimo dolore defunctam esse: cur ergo nunc dicis: maximum jam demum periculum instare, quum infans recte in ostio situs sit? sed quid istuc recte in ostio situm esse? caput quidem, fateor, aperturæ oris uteri oppositum est, & hoc sensu recte ostio imminet: attamen *non bene positum est, ut nasci possit:* scilicet inveteratus iste error est, quo hactenus totus orbis captus erat, unde omnes Libri de *Arte obstetricandi* conscripti *scatent erroneis institutionibus:* putant, bene rem habere, quamprimum infans vertice ostio immineat, neque porro quæritur, ubi corpus uteri & infantis positum sit, qua positura pelvi immineant, vel qua ratione eandem penetratura sint: inspice *Fig.* 18 & considera, num corpore uteri & infantis ita super pelvim obliquato infans per pelvim deprimi possit, etiamsi caput in vagina uteri aliquatenus vi protractum sit super cavitatem pelvis; minime: Caput equidem in pelvim illabi posset, quia ipsi imminet, & depressione solùm opus habet; sed quo impulsore promovebitur? dolores, ajunt, in istam propellent: verùm addendum esset, *forsitan*, si scilicet dolores sat efficaces suppetant: at capite jam in illam propulso quid tum? quomodo caput permeabit? quomodo corpus illabetur? an nescis capite illapso humeros ad idem os ilium impelli ibique fixos hæsuros esse, ubi prius os uteri hæserat? & qua ratione humeri inde depellentur? num manus juxta caput immitti poterit ad promovendos humeros? credo id neminem effecturum, nisi parturientis pelvis fuerit ampliſſima, ac *obstetricis* manus subtiliſſimæ, alioquin impossibile erit: & quid tum restat? præterquam ut ad conservandam matrem caput infantis apertum excerebretur, aut uncis, forcipe aut eductore capitis extrahatur, quod tamen haud prospere cedit, quia humeri adeò retinentur, ut ne succedat quidem, etiamsi quasi caput à corpore divulsurus omnibus viribus trahas; quare nonnunquam opus est manum juxta caput excerebratum immittere usque ad humeros, hoc modo ab osse coxendicis pubisque remo-

ven-

vendos, ut corpus capiti facilè possit succedere; atque tum omnia adhuc prospere evenere, dummodo post tot exantlatos labores matri vita servatur: nonne rebus illius bene consultum est more Scriptorum nostrorum? nunquam non suadentium, ut caput in ostium producatur, nullo habito discrimine uteri seu recti seu obliqui: ô deplorandam cæcitatem! qua tot homines deleti sunt, ac indies adhuc delentur! Spero, Mundum his meis Scriptis illuminatum *novam obstetricandi methodum* auspicaturum, eaque feliciſſime usurum esse. Satis igitur hîc loci dictum puto *ad demonstrandam differentiam, quæ intercedit inter uterum rectum & obliquum, infantibus facie prodeuntibus:* quòd si animus esset, eundem situm ulterius inspicere in utero *prono* vel *supino*, latissimus dicendi campus pateret; sed missis his pergemus ad contemplationem aliorum situum pravorum.

Explicatio 17. & 18. *Figuræ.*

Fig. 17.

aa Vertebræ.
bb Ambitus, referens locum ventris.
cc Ossa ilium.
dd Ossa pubis.
ee Ossa sedentaria.
ff Pyxides ossium coxendicis.
gg Uterus, in quo infans positus est.
h Infans in utero.
jj Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

Fig. 18.

aaaa Vertebræ lumborum.
bb Circumferentia ventris.
c Sinistrum os ilium.
dd Ossa pubis.
ee Ossa sedentaria.
f Acetabulum sinistri ossis coxendicis.

Fig: 17.
a
a
k
b
g
h
g
b
c
i
i
c
d
d
e
e

Fig: 18.
b
g
a
a
a
a
f
h
k
g
b
c
d
d
e
e
f

gg Uterus, in quo infans positus est.
h Infans in utero
jj Vena umbilicalis.
k Secundina.

CAPUT XXXVIII.

De partu difficili, ab infante prævia vena umbilicali prodeunte.

NUllus fere situs est infantum, quem non comitari posset *præmaturus venæ umbilicalis partus*, quo scilicet *funiculus ille prævius in ostium defertur*, sive *solus*, sive *cum alio quodam membro*, capite nimirum, manibus, pedibus, aliave corporis parte conjunctus; hoc autem plurimùm fit, si longior fuerit, neque uni vel alteri infantis membro circumvolutus. Varie *circumvolvitur funiculus umbilicalis*, scilicet *medio corpori*, *ventri*, *collo*, *brachiis* vel *cruribus*, unde multa proveniunt incommoda, laborque ingravescit.

Hîc loci in transitu memorabo, mirabundum me vidisse Figuras Domini *Peu* in Libro ejus de *Arte obstetricandi*, quem perlegi sub spe inveniendi nova experimenta, præter ea quæ ab aliis tradita sunt; sed mirabar, me nihil novi præter varias venæ umbilicalis circumvolutiones invenisse, quem in finem omnes ejus figuræ videntur elaboratæ: verùm, præterquam quòd ridiculum sit, Virum adeò expertum (qualis ille vult videri) tales uteros aquis repletos publice exhibere, insuper mirum est, illum nobis velle persuadere, quod ratio dictat impossibile esse, *exempli causa:* in tertia ejus figura exhibetur infans in medio aquarum suspensus, manibus, pedibus & capite deorsum conversis, qui ita suspensus hæret à vena umbilicali obiter saltem medio corpori circumvoluto: pari ratione alius exhibetur in quarta figura suspensus in superiore uteri parte ventre deorsum verso: duæ hæ figuræ falsæ sunt, utpote quæ nunquam eo mo-

do inveniri poſſunt, ſolùm ab ipſo confictæ, ut ſplendorem operi ſuo addat; idem dictum puta de quinta & ſexta ejus figura: & obligatum me teneo, errores iſtos indicare, ne *obſtetrices novitiæ* falſis ejuſmodi conceptibus onerentur.

Non quidem inficior, funiculum umbilicalem eo modo, quo iſtæ figuræ exhibent, circumvolvi poſſe; ſed nego infantem eo modo à funiculo ſuſpenſum manere poſſe, niſi nexu vel nodo aliquatenus adſtrictus ſit funiculus, ſed iſti in illis figuris non ſunt adſtricti, propterea infans gravitate corporis neceſſariò devolvitur; perinde ac fuſus non poteſt ſuſpenſus manere à filo inglomerato, ſine nodo vel nexu adſtricto; ita infans non poteſt ſuſpenſus manere à funiculo umbilicali, medio corpori ſaltem circumvoluto, niſi nexu aliquo vel nodo adſtrictus ſit. Sed forſan dicet iſte Auctor: infantem aquis innatantem, pondus non habere, tanquam undique preſſum, aquiſque quaſi ſuffultum, ita ut pondere ſuo non poſſit deprimi: ſed poſito, rem ita ſe habere, fallit tamen argumentum illius; iſtæ enim figuræ exhibentur ad docendum, quòd infantes iſta ſuſpenſione retineantur, ut ne in oſtium delabantur: ſi hoc verum eſt, utique gravitas ſupponenda erit, aliàs illa ſuſpenſio in cauſa non eſt, quòd infantes non delabantur; & poſito, in aquis ſtagnantibus gravitatem non habere locum, (quod falſum eſt) illa tamen ſtatim poſt effluvium aquarum locum haberet. Nona & decima ipſius figura etiam confictæ ſunt & falſæ, & nullus unquam infans hoc modo à funiculo umbilicali collo circumvoluto ſuſpenſus manere poteſt: aut enim funiculus illum ſuſpenſum tenet, aut non: ſi prius, crura ad minimum & nates infantis dependebunt, non autem tergum aut latus: ſi poſterius; infans non ſuſpenſus manebit, ſicut hac figura exhibetur, ſed gravitate ſua devolvetur ad os uteri; iſtæ ergo figuræ veritatis expertes mera ſunt figmenta: hoc pacto mundus completur libris & ingentibus voluminibus, in quibus, quæ bona ſunt, mera aliorum Auctorum apographa; quæ verò nova, adornata cerebri figmenta ſunt, quibus legendis homines nummos cum tempore perdunt. Quiſ-

nam

nam inſpectis hujus Auctoris figuris non diceret, nullam omnino rem faciliorem eſſe, quàm infantem vertere in utero tam ſpatioſo, qualis hic repræſentatur: nimirum infantes tam ſpatioſe poſiti, uti hæ figuræ exhibent, in utero æque facilè verti poſſent, ac in vaſculo ſive receptaculo butyri, ſed res tam facilè ſub manus non ſuccedit, nam multo minus ſpatii datur, ne dimidium quidem, imò ſi dicerem ne quarta pars, non multum errarem.

Sed redeamus ad incommoda, *ex procidentia funiculi umbilicalis oriunda*, quorum præcipue ſunt quatuor: *primum* eſt *anguſtia meatus*, unde infanti tranſire, & *obſtetrici funiculum* removere, vel eundem ſimul cum infante excludere difficilius eſt. *Secundò* inde oritur *retentio* in meatu, quia ſcilicet reliqua *funiculi* pars tanto brevior fit: vel *tertiò obitus infantis*, ſi ſcilicet *funiculus* frigore rigeſcit aut interpremitur, unde motus ſanguinis præpeditur vel penitus aboletur: vel tandem *quartò abruptio placentæ.*

Meatum (os uteri nimirum & vaginam) *à funiculo procidente obſideri* & *anguſtari* certum eſt: quicquid enim illuc illabitur citra ſummam neceſſitatem, non poteſt non præpedire tranſitum: non adeò craſſus quidem eſt *funiculus umbilicalis*, attamen ſemper duplicatus procidit, ac ſi diutius ita propendet, intumeſcendo craſſeſcit, tumque multum ſpatii occupat, unde infanti via anguſtatur, & *obſtetrix* impeditur, ut infanti promovendo operam tribuere non poſſit: *Funiculum umbilicalem procidentem brevitate ſua infantem retinere* poſſe intellectu facile eſt; nonnunquam enim procidit *funiculus*, quouſque per longitudinem ſuam licet: quòd ſi tum infans juxta penetret, *funiculus* ſubinde magis detrahitur, & quum longius non poteſt demitti, *aut ipſe rumpitur*, *aut placentam abrumpit*, unde infans retinetur: Nonnunquam etiam *funiculi procidentiam infanti mortem afferre* poſſe *obſtetrices* ſatis ſuperque experiuntur, imprimis quæ negligunt eundem protinus in locum ſuum redigere; *funiculo* enim diu excluſo infans non poteſt in vivis manere, quia motus ſanguinis aut frigore aut compreſſione ſufflaminatur, quippe frigus

funiculum prolapsum corripiens sanguinem facilè coagulat & sistit, potissimùm si compressus sit *funiculus* sive coarctatus, quod duplici modo fit: aut ori uteri solùm apprimitur, aut ossibus pelvis, idque cùm in bene tum male verso utero, diversimode tamen locum habet, uti sequentibus videbimus, quò *obstetrices novitiæ* instituantur, quomodo sese in ejusmodi casibus gerere debeant: eum in finem inspiciamus 19. & 20. *Figuram.*

Figura 19. exhibet infantem *bene versum* in utero *nimis adversus lumborum resupinato*, unde *caput* infantis *ossibus pubis impactum hæret*, & *funiculo eo facilius subterlabendi locus aperitur:* dum enim caput ossibus pubis impactum hæret, neque in os uteri impetum facere potest, *funiculus* cum aquis in ostium delabitur, & humoribus effluxis statim permeat prociditque, quod *obstetrix sagax* prævertat oportet, funiculum statim removendo humoribus modò effluxis, si quidem id facere ante effluvium aquarum minus potuerit; porro omni studio caput ab ossibus pubis removere, rectàque in ostium dirigere conetur, ut hoc pacto *funiculi iterata procidentia avertatur*, quod alio modo vix potest caveri; aut si consultius arbitretur, infantem versum pedibus extrahere, id statim efficiat.

Figura 20. exhibet infantem *bene versum* in utero *dextrorsum obliquato*, quare *os uteri* cum *capite* infantis *ad sinistrum os coxæ impingit*, unde si *funiculus* infrà ad ostium subterlabatur, humoribus deprimentibus aut effluentibus procidit: & hanc rem *obstetrix* sibi præ aliis præcipuam habeat, scilicet, ut *statim ab initio laboris* tactu percontetur, *funiculusne umbilicalis*, aut *aliud membrum juxta cum capite ostio immineat necne*; quo observato protinus omni nisu istud removeat, idque, si possibile est, ante aquas effluxas, vicibus post singulos dolorum impetus repetitis, si membrana remissa fuerit; simul omni studio adnitens, ut caput omni mora rupta bene versum in ostium penitus dirigatur, nisi res suadeat, infantem versum *pedibus* extrahere.

Quemadmodum autem *provida obstetrix* summopere studet cavere, ne *funiculus umbilicalis caput prævertat, aut juxta cum illo*

illo prodeat; ita etiam omni ſtudio caveat oportet, *ne funiculus interprematur*, quod plurimùm fit, quando is ante vel juxta cum capite prodit: poſito enim, *funiculum* ante vel juxta caput non laxe propendere, ſed circa vel ante illud intenſum eſſe, caputque eo, quo *Figurâ* 19. & 20. exhibetur, modo ſive obliquum in os coxendicis, ſive pronum in oſſa pubis impingere, quid aliud inde conſequetur, quàm ut infans, *funiculo inter caput & oſſa compreſſo*, brevi tradat ſpiritum, quia ſcilicet ſanguis non poteſt moveri? quod quum contingere poſſit, *obſtetrix* omni ratione & labore caveat oportet, ne funiculus iſto modo interprematur: vel ſi ſerò arceſſita infantem in illo ſtatu inveniat, protinus omni mora rupta funiculum ab iſta compreſſione liberet: quem in finem, funiculo oſſibus pubis appreſſo, parturientem capite demiſſo & inferiore corpore elevato reſupinet, ac infantis capite repreſſo *funiculum poſt illud, quoad poteſt, remittat*, caputque ſine mora prævium in pelvim inducat, quod ſi minus conſultum ſit vel poſſibile, *pedibus* inveſtigatis infantem verſum extrahat.

Quòd ſi *funiculus umbilicalis ſiniſtro oſſi ilium apprimatur*, parturientem inferiore corpore elevatam in ſiniſtrum latus declinet, & dextrâ caput removeat, funiculum extricatum in ordinem redigens, ſimul, ſi conſultum videtur & poſſibile, *caput* prævium in pelvim inducat, aut ſine mora verſum infantem *pedibus* extrahat: Contrà *funiculo dextro oſſi ilium appreſſo* parturiens in ſiniſtrum latus reclinanda, caput ſiniſtrâ removendum, & hac ratione *funiculus* expediendus eſt.

Similiter accidit ſed rarius, ut *funiculus* à capite retrorſum *vertebris* vel *oſſi ſacro apprimatur:* tunc caput alterutra manu removendum, prout ſcilicet plus minus in alterutrum latus vergit; parturienti (ſi vires ſuppetant) *in genua provolutæ* à tergo manum ſoſpitam admoveat *obſtetrix:* aut, ſi infirmior fuerit, *in alterutrum latus* declinetur, *uno pede ad ventrem attracto*, ut plus ſpatii ſuppetat: in omnibus hiſce caſibus *prompte* & omni mora rupta res peragenda eſt.

Unable to display this page

excluſum, *funiculo* quamprimum rurſus immiſſo, infantem *pedibus* extrahat oportet.

Denique *funiculus umbilicalis* ſine ullo alio membro *ſolus* in oſtium provolutus indicat plerumque, infantem *tranſverſim* ſitum in utero, atque manus pedeſque, tergum vel ventrem proventura eſſe; quapropter *obſtetrici* accurate obſervandum eſt momentum effluvii humorum, ut protinus *humoribus nondum omnino effluxis* manu immiſſa in ſitum infantis inquirat, ſecum dijudicans, an conſultius ſit *caput* in oſtium dirigere, aut infantem *pedibus* extrahere; & quod tutius cenſet & commodius, efficiendum: *præſtat* enim *infantem ſine mora pedibus extrahere, quàm capiti in oſtium dirigendo diutius immorari*, & nihilominus vel tandem ad *pedes* quærendos neceſſitate adigi.

Varios quidem *infantum ſitus* adhuc exhibere poſſem, & oſtender, qua ratione in ejuſmodi verſionibus *funiculus umbilicalis prævius* prodire poſſit: verùm qui probe comprehenderunt, quæ hactenus tradita ſunt, eos etiam ſatis ſcire opinor, quid in reliquis caſibus agendum ſit: contrà qui antecedentem inſtructionem non poſſunt capere, nec amplioribus ſatis inſtruentur, quapropter hoc Caput finiemus.

Si forte infans capite prævio *collo tenus* excluſus fuerit, *funiculo umbilicali* collo dupliciter aut tripliciter circumvoluto, ut hoc modo *decurtatus* non ſatis poſſit extendi, & proinde infantem retineat, tum *obſtetrix* ſubditis digitis tentet *funiculum* laxatum ſupra caput removere; quod plerumque factu non admodum difficile eſt, licet nonnunquam cum majore labore conjunctum: ego quidem hactenus ſemper hoc pacto illud effectum dare potui: attamen quum per arctiorem adſtrictionem non licuerit ſupra caput removere *funiculum*, quod plerique tradunt, faciendum erit, ſcilicet: *funiculus filo conſtringendus* duobus locis, duorum triumve digitorum latitudine diſtantibus, inter quæ ligamina diſſecandus eſt: ſed neceſſe eſt, tunc ſtatim ſubſequi excluſionem, aliâs infans exſpirabit.

Explicatio 19. & 20. *Figuræ.*

Fig. 19.

aa Vertebræ.
bb Ossa ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium femoris.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus,
h Infans, cujus caput in ossa pubis impingit.
j Funiculus umbilicalis, infrà propendens.
k Placenta.

Fig. 20.

aaa Vertebræ.
b Sinistrum os ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula, in quibus capita ossium coxendicis vertuntur.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus.
h Infans, cujus caput in sinistrum os ilium seu coxæ impingit.
jjj Funiculus umbilicalis, infrà propendens.
k Placenta.

CAPUT XXXIX.

De Infantibus, manu, cubito, aut humero prodeuntibus.

VArie infantes excludendi in ostium prodeunt, *manu* scilicet, *cubito*, aut *humero*; sed facilior partus est, si *manu*, quàm si *cubito*; itidem facilior, si *cubito*, quàm si *humero* infans pro-


Fig: 19.
a
a
k
f
g
h
g
f
b
b
c
c
e
e
d
d
i
Phi. Bouttats fecit


Fig 20
a
a
a
f
k
g
h
f
g
b
c
c
c
d
d
e
Phi: Boultats fun: fecit.

prodeat. *Manus* plerumque prope caput versatur, unde haud mirum est, si ante, aut simul cum capite in ostium penetret: membranâ nondum diruptâ *manus* ut plurimùm prævia prodit; quando autem humoribus jam effluxis *manus* non statim in ostium prorumpit, sed simul cum capite in alterutrum latus obliquatur, tunc *cubitus* facilè aut *humerus* in ostium prodit, subsequente sæpius *funiculo umbilicali*, uti videre est in 21. *Figura*.

Pravi hi infantum situs nonnunquam in utero *recte verso*, sed sæpius in *prave verso* inveniuntur: quemadmodum enim alienum non est ab utero *bene locato*, infantem dicto modo prave versum prodire; ita *utero obliquato* maxime proprium est continere infantes *obliquatos:* ratio est, quòd plerumque in hoc vel illud os pelvis impingant, *proni* aut *ad alterutrum latus tendentes*, unde mirum non est, si caput similiter pronum, supinum vel in alterutrum latus obliquum situm sit; quòd si hoc modo manui, cubito, aut humero via detur aperta, quid mirum, si prius proveniant.

In *recto* quidem utero caput etiam in alterutrum latus nonnunquam declinat, imprimis, si eo, quo *Figura* 23. exhibetur, modo positum sit; tunc enim, nisi manus tempestive removeas, & caput in ostium confestim penetret, in spinam ossis ilium vel pubis illud impingit, unde facilè in alterutrum latus obliquatur aut resupinatur in utero *recte sito:* Verùm si *cordata obstetrix membrana nondum rupta* manus infantis aliquatenus retrudat, sive digitos vellicando infantem lacessat, ut manus retrahat, tunc caput facilè in ostium prolabi poterit, quia tum temporis ossibus illis nondum firmiter appressum hæret, ideoque facilè delabi potest: sed aliter se res habet in utero *male*, verso ubi infantes *transversim* ossibus & ostio pelvis imponuntur: omnia cum majore difficultate & periculo conjuncta sunt: *obstetrix* infantis membra minus distincte sentire, minus commode tractare aut disponere potest, eaque multo difficilius attingi possunt in *hoc male verso*, quàm *illo bene sito* utero; hujus enim, nimirum bene siti os rectà

deorsum versum est; illius autem semper in alterutrum latus, anticam aut posticam deflectit: quare omnibus auctor sum, ut effluxis humoribus omni mora rupta *caput* in ostium inducant, *utero* scilicet *recte locato*, qualem *Fig.* 23. exhibet, ubi maxime convenit manus retrudere, & caput sponte delabetur; aut digitis secundùm faciem supra frontem immissis idem vertendum & in ostium deducendum est: infantibus autem in *obliquo utero* positis suadeo *sine mora pedes investigare*.

Et quamvis *brachium* in ostium propendens minus commode immitti aut retineri possit, penetrandum tamen est, & *pedes* quærendi: *sæpius non nisi tempus perditur brachio immittendo aut retinendo*; interdum enim experientia docet, facilius manum penetrare posse *brachio propendente*, quàm eodem rursum *immisso*: Ego quidem nonnunquam coactus eram brachium iterum emittere, donec *pedes* prius acceperam, quibus protractis infantem *brachio* sursum removi, *brachioque* tum facilè *immisso* infantem feliciter vertebam: hoc prospere quidem succedit in utero *recto*, sed idem tentantes in utero *obliquo* maximas inveniunt difficultates, imprimis si brachium ad humerum usque jam dudum excluſum fuerit, humores effluxerint, & dolorum impetu vehementi omnia arcte compressa sint.

Explicatio 21. 22. & 23. *Figuræ.*

Fig. 21.

aaa Vertebræ.
b Sinistrum os ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium coxendicis.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus, ore ad os ilium obliquato prope os pubis.
h Infans in utero, cujus caput in sinistrum os ilium impingit, brachiumque in ostium prodiit.
jj Vena umbilicalis.
k Secundina sive placenta.

Fig.

Fig 21.
a
a
a
g
f
f
k
l
h
g
b
c
c
e
e
d
d
i




Fig 22
a
a
a
g
f
k
f
g
b
h
l
c
c
c
d
d

Fig: 23.

Fig. 22.

a a a Vertebræ.
b Siniſtrum os ilium.
c c Oſſa pubis.
d d Oſſa ſedentaria.
e e Acetabula oſſium coxendicis.
f f Circulus ventris.
g g Uterus, ore ad dextrum os pubis & coxendicis obliquato.
h Infans, capite in oſſa pubis impingens, cujus humerus in oſtium inclinat.
j Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

Fig. 23.

a a Vertebræ.
b b Oſſa ilium.
c c Oſſa pubis.
d d Oſſa ſedentaria.
e e Pyxides ſeu acetabula, in quibus capita oſſium femoris vertuntur.
f f Circulus ventris.
g g Uterus bene ſitus.
h Infans, manibus in oſtium prævíis.
j j Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

Ulterior Figuræ 21. 22. & 23. *explicatio.*

Perſpectis jam, quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem *variæ funiculi umbilicalis procidentiæ*, & incommodorum inde reſultantium, è re erit, antequam ab *his Figuris* diſcedamus, quodammodo inquirere, *qua ratione infantes ita locati commode verti poſſint:* miſſo igitur funiculo umbilicali *has Figuras* inſpiciamus, quaſi eundem propendentem non exhibentes; ſiquidem infans & uterus hoc modo verſi nonnunquam inveniuntur, quo hîc loci exhibentur, ſine prodeunte funiculo umbilicali.

Fig. 21.

Figura 21. uterum exhibet *fundo dextrorsum*, *ore* autem *sinistrorsum* ad os coxendicis *obliquatum*; infans in illo ex parte in ventrem *pronus*, ex parte autem *in latus* inclinat, *capite ossi ilium impositio*, *brachioque in ostium prodeunte:* Infantes capite in os ilium ita impingere solent, quia statim ab initio ante vel mox post effluvium aquarum *inconvenienter tractati sunt*, quippe ante effluvium aquarum arcte adeò non comprimuntur in utero, sed satis spatii illis est, humoresque liberum concedunt motum: iis autem effluxis uterus arctius contrahitur, & infantes ita comprimuntur, ut situm porro mutare non valeant; membra verò ostio proxima in illud illabuntur, ibique quasi stabiliuntur: *obstetrix* ergo mox post humorum effluvium manum in uterum immittens infantem satis commode vertere potest, *caputque* in ostium dirigere, vel minore cum periculo infantem versum *pedibus* extrahere; quapropter *obstetrix* manum semper promptam habere debet, ut *humoribus jam profluentibus*, *eam protinus immittere*, & quantum potest, *eos obstruere* queat, quæ ad infantem disponendum vertendumque pertinent, porro expedite efficiens.

Obstetrix os uteri minus alte suspensum sentiens, ut spes sit, caput facilè in pelvim & ostium introducendi, id quidem efficere poterit retruso corpore infantis mediante brachio aut humero, quò caput pondere suo sponte in ostium deferatur, vel si hoc minus procedat, ipsamet *caput aliquantulum promoveat* seu *protrahat*, ut delabatur: quòd si hoc ipsum minus commode fiat propter uterum nimis in latus obliquatum, unde ipsius os alte nimis suspensum manet, ut caput, etiamsi in ostium promotum, nihilominus in os ilium adhuc impingat, tunc minime consultum judico, illud in ostium producere; sed potius *manu subter ventrem ad pedes immissa eosdem* (sive sigillatim sive conjunctim) *secundùm ventrem in ostium protrahere*, iis enim hoc modo in ostium protractis uteri fundus facilius elevatur, ejusque os in pelvim illabitur, ac denique excluso tutius & majore commodo & matris & infantis succedit. In

In hoc casu annotandum adhuc censeo: nimium plerosque metuere *ut infantes pedibus in ostium præmittantur*, quare Veteres tradunt, *infantem pedibus prodeuntem vertendum, caputque prævium in ostium dirigendum esse*, qui labor aut impossibilis, aut inutilis sane foret; quippe infantis pedibus prodeuntis exclusio interdum æque prospere, imò citius succedit, quàm capite prævio prodeuntis: & ut libere fatear, in ista periculum parum majus mihi apparet, quin ego asserere ausim, *cum minore sæpius periculo conjunctum esse istum Agrippparum enixum:* Et quamvis *ego* forsan *primus* hæc scribere ausus sim, tamen non possum, quin hæc mea sensa detegam, siquidem asseverare possum, me nunquam tantum periculi & laboris percepisse in exclusione infantum pedibus prævis prodeuntium, quàm caput offerentium; unde facilè suadeo pedes prehensos producere, *præsertim in obliquo utero*, qui, etiamsi res felicissime eveniat, nunquam non difficilis partus causa est.

Fig. 22.

Hæc 22. *Figura* æque ac præcedens *obliquum* exhibet uterum, in quo situs est infans *supinus*, *capite resupinato*, *humeroque ostio* seu ori uteri *proximo: hic situs infantis inter pessimos numerandus est:* humero quidem sursum repulso, corporeque remoto multo labore *caput* vel tandem in ostium inducitur; sed hoc facto quis inde rerum progressus? tum caput adhuc *supinum* vel facie sursum versa provenit, quod etiam difficilis partûs genus est, & quod malum aggravat, *vertex in sinistrum os ilium impactus hæret*, nec nisi multo labore in pelvim inducitur: quapropter nemini auctor esse vellem, ut hac data uteri & infantis positura caput prævium in ostium dirigat, sed potius *pedes quærat*, dextrâ scilicet inter caput & dextrum humerum immissâ ad *dextrum pedem* usque sive *genu*, quod aliquatenus prius attrahendum est, deinde & *inferior pes præmissis ejus digitis* attrahi potest; porro *sinister* pes quærendus & pariter attrahendus est; denique combinati in ostium sensim producendi, quo pacto infans facilè vertitur.

Hîc loci etiam notandum eſt, quòd mirum mihi viſum ſit, *Juſtinam obſtetricem Sereniſſimæ Electricis Brandenburgenſis* haud obſervaſſe, *infantes commodius verti, ſi digitis pedum prævios, quàm ſi calce protrahantur*; ipſa enim in ſuis Figuris exhibet modum infantes calcaneo plurimùm prævio protrahendi, quum tamen *infantis corpus digitis pedum ventrem verſus multo facilius, quàm calcaneis tergum verſus flectatur & invertatur*; *lumbi* enim atque *tergum* longe *commodius anticam quàm poſticam verſus incurvantur*: propter hanc præpoſteram inverſionem in quacunque fere difficili verſione *laqueis* illa opus habet ſeu *tendiculis*, ut ſcilicet ambas manus operi admovere queat: ego autem digitos pedum ventrem verſus agens infantem verto ſine laqueo, altera ſaltem manu, abſque violentia & periculo: Et *hoc ipſum tanquam magni momenti obſervationem obſtetricibus novitiis commendo*; vix enim credile eſt, quantum commodi afferat verſioni infantum, ad quam rite peragendam opus eſt, *ut diſtinctam ſitus infantis cognitionem habeas*, unde palam fit qua manu res tractanda, quaque via ad pedes penetrandum ſit.

Si infantem hoc modo ſitum vertere velis *attollendo pedem calcaneo ad tergum inflexo*, id ſine violentia non effectum dabis, niſi laqueo pedi injecto, quo altera manu trahas, dum altera caput humerumque ſurſum trudis, ut hoc pacto infans verſetur. Sed notandum, quòd difficile admodum ſit, laqueum pedi injicere propter *viæ anfractum*, unde laqueus ſive faſcia, etiamſi pedi feliciter immiſſa, detrahendo *vehementer atterit os uteri & vaginam*, quæ infante ita ſito *flexuoſum iter inſtar cubiti incurvati* conſtituunt eo loco, quo propter oram pelvis neque os uteri neque vagina eouſque remitti aut laxari poteſt, ut faſciam rectâ lineâ protrahere poſſis: quapropter ſiquis neceſſe habeat pedi laqueum injicere, non tenui utatur faſciola, ſed *latiore mitra* vel linteo leni & firmo quod pedi magis accommodum, ſed injectu difficilius erit, neque attritu os uteri adeò infringet ac tenuis faſciola: Infans hoc modo verſus ſine mora extrahendus eſt modo jam antea tradito.

Fig.

Fig 23.

Figura 23. *uterum rectè locatum* exhibet cum infante *manus prævias* in oſtium protendente, cujus *caput cordata obſtetrix* ante vel mox poſt effluvium aquarum facilè in oſtium dirigere poterit: Si verò *obſtetrix* manus in oſtium ita protentas tactu obſervet *ante effluvium aquarum*, eaſque ſentiat ſuo incremento os uteri ſatis aperuiſſe citra ultroneam membranæ diruptionem, eandem confringere quidem licet, & protinus manum immittere; tum enim difficile non erit, *caput* infantis ita poſiti in oſtium producere: Humoribus autem jam dudum effluxis, manibuſque in oſtio verſantibus, utero item jam arcte contracto ego ſuadeo, ut ſine mora *pedes* quærat, iiſdemque infantem extrahat.

Pedes infantis dicto modo poſiti facilè inveniuntur & protrahuntur, unica huic operi ſufficit dextra, via recta eſt, & genua ventri jam proxima: Neſcio, cur tanta papyri volumina literis obleverint Scriptores de *difficili infantum verſione*, quum tamen rectam tantum viam mente conciperent: tantæ molis & artis non eſſet vertere infantes, niſi hoc opus *in utero obliquo* cum majore difficultate conjunctum eſſet, quàm *in recto:* At verò ad verſionem infantum in utero obliquo & ſolida cognitione opus eſt, & ſano judicio, & manibus longo uſu exercitatis.

CAPUT XL.

De infantibus tranſverſim poſitis.

EXperientia docet, infantes in utero non ſemper rectà *in anticam prolabi*, neque ſemper rectà *in poſticam ſupinari*, aut ſi id factum fuerit; in eodem ſitu non manere, ſed interdum *loco moveri*; id quod magis commode aut incommode ſuccedit, prout ſcilicet humorum copia vel defectus majus minuſve ſpatium concedit.

Nobis jam ſermo erit de infantibus eo modo *tranſverſis*, quo

in

in 24. & 25. *Figura* exhibentur: prior *Figura* infantem exhibet *transversum in utero recto:* posterior *transversum* infantem exhibet in *obliquo utero*, cujus scilicet *fundus pronus in propendulum ventrem* inclinatus est, ore ad os ilium converso proxime vertebras lumborum. De 24 & 25. *Figura*, utpote maxime inter se convenientibus conjunctim dicemus, ut clarius pateat earum differentia: *Figura* 24. infantem exhibet *combinatos pedes ostium versus protendentem:* infans autem in 25. *Figura* sublimior sedet, necdum ad ostium usque delapsus, nisi sola altera manu, quæ ostio proxima est.

Infantibus ita prodeuntibus *obstetrix* initio laborum humoribus nondum effluxis *omnino nihil tactu sentire potest*, aut si modò aliquid sensit, mox tactu repetito nihil sentiet: quippe tales infantes sublime adhuc positi humorum mobilium copia adhuc gaudentes facilè versantur & potissimum manus pedesque movent, jam attrahentes, jam protendentes, ut circa os uteri modo manus pedemve, & paulo pòst nihil, quin jam partem capitis natiumve percipere liceat, quæ mox non sentientur, earundem loco manu, pede vel tergo sese offerente, id quod *obstetrici* probe observandum est; infantes enim isti *mobiles* rarò recte versi prodeunt: Quòd si in utero *recto* hoc incommodum contingat, in *obliquo* sane utero multo magis usu veniet, quoniam tum infans pondere suo ori uteri non apprimitur, imprimis in *prono* istiusmodi utero, qualem *Figura* 25. exhibet, ubi infans *sedere* potius quàm *cubare* videtur, manibus pedibusque quasi ludibundus, liberrime & nullo negotio membra movens, unde haud mirum, si modò hoc, modò illud membrum in ostio tactu sentiatur.

In ejusmodi posituris humores plerumque *in oblongam formam coguntur*; ostium *vacuum* est, sive solis aquis obsessum, in quibus modò hoc, modò illud membrum (uti dictum) sentire licet; quo observato partum difficilem exspectabit *obstetrix*, quapropter rebus suis attenta ad munus egregie obeundum accingetur, & omnia ad rationem probe perpendet, ut cognoscat, quid sibi agen-

agendum sit. Aquæ in *acuminatam* seu *oblongam formam coguntur*, quia scilicet *eæ solæ cum membrana impetum faciunt in os uteri*, ossi ilium objacens; contrà si caput liberum in ostio situm esset, crassa ejus rotunditas os uteri amplius dilataret, membranamque latius distenderet, unde aquæ non tam in longitudinem quàm latitudinem expanderentur: Notandum autem: *ex forma aquarum oblonga non* semper posse *concludi* tanquam ex firmo argumento, *quòd caput ante sive in ostio non versetur*, ut plerique putant, errantes, quia differentiam recti & obliqui uteri non intelligunt: *utero recte posito* hoc argumentum satis firmum quidem est, sed non item in *obliquo*; nam quando caput infantis in oram pelvis impactum hæret, aquæ in latitudinem non possunt expandi, sed in longitudinem semper coarctantur, unde judicio suo falluntur exinde arguentes, caput ante vel in ostio non versari.

Obstetrix igitur ante omnia studiose perpendat oportet, *uterusne recte* positus sit, an *oblique*; nam secundùm id ipsius actio instituenda erit: Si invenerit uterum *recte positum*, & humores *in longitudinem* expansos esse; si modò manum, modò pedem. aut etiam caput aliquatenus tangere poterit, tunc opportunum tempus non negligat, judicans satis protuberare aquas, & tactu caput aliquatenus sentiens, ocyus *membranam unguibus confringat*, & protinus *digitis caput in ostium dirigat*, obstaculis quibuscunque, manus scilicet, pedis, funiculi umbilicalis remotis, quod tum facilè fieri potest, quia satis spatii suppetit: capite hoc pacto in ostium inducto non est quod *obstetrix* metuat, idem inde recessurum esse; humoribus enim effluxis infanti in utero recto spatium non est sese huc illuc vertendi, quia uterus statim contractus infantem undique comprimit.

Quòd si *obstetrix* observaverit, uterum *oblique* situm esse, ore alterutri pelvis lateri objacente, tum rem longe alia via debet aggredi: primò tentabit os uteri in pelvim inducere eo, quem sequentibus trademus, modo; quod si bene successerit, rem porro tractabit sicut in utero recto: Sin autem id minus efficere

& scopum ex parte saltem attingere poterit, ita ut parvus uteri situs quodammodo quidem corrigatur, neque tamen eousque restituatur, ut caput commode in pelvim illabens felicem partum promittat, tunc de confringenda membrana nequaquam cogitet, sed *effluvium aquarum spontaneum exspectet*, quibus prorumpentibus *adverso quasi flumini manum illico immittat*, non quidem capitis in ostium producendi gratia, (nisi jam præsto adsit) sed *pedum quærendorum ergo*, iis infantem extractura. Tutius sane infans, utero ita posito, pedibus extrahitur, quàm capite prævio doloribus expellitur; maximus enim hîc labor est, infantis caput in pelvim dirigere, quod si vel tandem illuc illapsum sit *in propendulo ejusmodi utero*, vehementer adeò in ossis sacri curvamen tum impingit, ut difficillime inde dimoveatur, quapropter cum majore & matris & infantis commodo ac securitate fœtus *pedibus præviis*, quàm *capite* in lucem editur.

Verùm si fortè neglecta sint, quæ mature facienda fuissent, aut *obstetrix* serò arcessita observaverit, humores jam effluxisse, manusque aut pedes in ostium jam protendi, *utero recte posito* non opus est, quærere & in ostium producere caput; contrà parturientem resupinet superiore corpore demisso, clunibus autem elevatis, ne scilicet uterus ilium pondere in manum deprimatur, sed potius recedens manui *obstetricis* locum det: tum ipsamet sua manu vel digitis *infantis manus in uterum removeat*, *relictis in ostio pedibus*, aut si ambo in ostio non versentur, *utrumque producat*, & infantem hoc modo extrahat, adhibitâ curâ, si digiti pedum sursum tendant, ut infantem sensim versando producat, modo jam antea tradito: Utero autem *obligue* posito, manibus pedibusque in ostium protentis, & humoribus jam effluxis, *Obstetrix* omne studium conferat *ados uteri aliquatenus loco movendum*, & quoad potest, in patulam pelvim dirigendum: ideoque parturientem tali situ disponat, quo utero spatium suppetat, nec ille cum infante in manum *obstetricis* delabatur; nimirum *utero propendulo* convenit parturientem *procumbere genibus*, aut *in dextrum latus inclinare*, posteriore corpore

Fig: 24.

Fig: 25.
f
a
a
a
a
a
g
i
k
h
b
g
f
c
c
e
d
d
Phi: Bouttats fecit

pore aliquatenus elevato, & ut plurimùm prono, tunc *obstetrix* manibus infantis remotis pedes in ostium producat: pedibus verò solis convenienter in ostio versantibus parturiens situ *priori prorsus contrario* disponenda erit, ut pondus uteri pariter & infantis in ostium impressionem faciant, tumque *obstetrix* infantem bene versum sensim detrahat, aut prave versum sensim versando penitus extrahat, modo alibi tradito.

Explicatio 24. & 25. *Figuræ.*

Fig. 24.

aa Vertebræ.
bb Ossa ilium.
cc Ossa pubis,
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium coxendicis.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus bene locatus.
h Infans transversim in utero positus.
jj Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

Fig. 25.

aaaaa Vertebræ.
b Sinistrum os ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
e Acetabulum sinistri ossis coxendicis.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus propendulus, & in sinistrum latus obliquatus.
h Infans, manibus in utero positus.
j Funiculus umbilicalis.
k Secundina.

CAPUT XLI.

De infantibus, natibus prodeuntibus.

MAnus quidem prope caput plerumque inveniuntur, sed nonnunquam longe adeò distant ab illo, ut manum sentiens nequaquam certus esse possis de capitis pedumve loco vel situ: Evidens hujus rei argumentum nobis exhibet *Figura* 27. ubi *dextram infantis in ostium protentam* videmus, dum *sinistra* cum utroque pede *prope caput in uteri fundo* versatur, *podice* sive *natibus ante ostium* positis: nonnunquam sensi alterum brachium ad humerum usque excluſum, dum alterius brachii manum suprà in fundo uteri adhuc inveniebam, quantum quidem intervallum impossibile fere videbatur; quapropter summa attentione probe discernenda sunt, quæ tactu sentiuntur. *NB. In hac Figura* 27. *connivendum est: infans magis dextrorsum inclinare debuisset; jam verò illud brachium reliquam corporis proportionem longitudine excedit.*

Figura 26 & 27. duos nobis infantes exhibent, quorum uterque *complicatus* in ostium tendit, alter dorsum, alter autem latus nobis obvertit: Infantes in *recto* utero ita complicati prodeuntes, sive tergum nobis obvertant, sive ventrem, eadem fere facilitate excluduntur, qua capite prævio prodeuntes, (imprimis *si tergum nobis obvertant*) præterquam quòd labor plerumque difficilior sit, quia clunes item complicatæ caput crassitie superant, ore autem uteri à natibus prius dilatato & caput deinde facilè permeabit, juxta proverbium: *clunibus præeuntibus capiti non officit obex:* quapropter *obstetrix* operam non consumat in ejusmodi infantibus complicatis vertendis, sed eosdem libere patiatur prodire, enixum tantummodo, quoad potest, secundet *os uteri cum vagina dilatando*, & *os coccygis reprimendo*, quò commodior via pateat, id maxime curans, si masculus fuerit, *ne scrotum nimis premendo lædat*, quod facilè qui-

quidem evenire poteſt. At verò infantibus *ventre ſurſum verſo* prodeuntibus non omnia tam commode cadunt, tunc majus periculum eſt: ne caput *oſſibus pubis*, ad quæ converſum eſt, *mento adunco adhæreat:* ad quod præcavendum natibus aliquatenus excluſis pedes extrahendi & infans protinus invertendus eſt ventre deorſum flexo, quod fit altera manu ſubter dorſum, quouſque fieri poteſt, altera verò ſuper ventrem immittenda, ambabus ſimul infantem verſando, pariterque extrahendo, æque ac ſi pedes prævii prodiiſſent.

Si verò infantes complicati præviis clunibus prodeuntes *alterutri ſuo lateri incumbant*, ſive altera manus ſimul prodeat, ſive non, uti *Figura* 27. exhibet, tunc longe difficilior eſt enixus, quippe tum infans tota ſua latitudine obvertitur pelvi, qua maxime anguſtata eſt: *obſtetrix* igitur, ſi ante vel poſt effluvium aquarum obſervaverit, infantem hoc modo prodire, eundem ita verſum in oſtium progredi prohibeat, & ante effluvium etiam aquarum, quotieſcunque dolores ceſſarunt, quantum quidem poteſt, ſtudeat infantem ita verſare, ut ventre deorſum verſo prodeat: quod ſi *obſtetrix* ante effluvium aquarum infantem ita verſare non poterit, id efficere non negligat, *quamprimum aquæ effluxerunt*, dum affatim ſpatii adhuc ſuppetit: humoribus enim omninò effluxis, & infante undique compreſſo idem ægre efficiet, quin parturientem pariter & infantem magnis affligat doloribus, propterea tum ſatius foret, *prehenſis pedibus* infantem extrahere; quid quæſo juvat hîc longas nectere moras? ſiquidem infans, ſive complicatus prodeat, ſive ſimplex pedes protendat, vel tandem capite *poſtremo* excluditur; cur ergo gravaretur *obſtetrix*, quamprimum pedes protrahere? modo conveniente ſolertia id ſciat efficere.

Obſtetrix infantem *verſare*, pedeſque *prævios* producere cupiens, parturientem reſupinet oportet, capite demiſſo, tum infans non adeò deprimitur: porro manu juxta nates & femora uſque ad pedes immiſſa calcaneo eos attrahat ad clunes uſque, tum eadem manu nates ſurſum reprimat, aut in alterutrum latus re-

removeat, pedesque porro attrahat: sin autem satis spatii non suppetat, tunc pedes tenui fascia injecta teneat, usque dum nates sursum repressérit: at infans unica manu interdum facilè versatur.

Si vero infans complicatus podice prævio in ostium prodeat in *utero obliquo*, sive prono, sive supino, sive in alterutrum latus obliquato, tunc maxime accommodatum erit, mox post effluvium aquarum *pedes investigare*; scilicet parturiente prius ita dispositа, ne uterus in manum prolabi queat, infans quousque potest, sursum removeatur, tum manu ad pedes usque immissa ii prehensi primò natibus apponantur, quo facto infans iterum sursum removendus, porro bini pedes in ostium producendi, denique infans hoc modo omnino extrahendus est: & hæc sane methodus convenientior prorsus & tutior est, quàm si permittas infantem complicatum prodire, quippe difficillimum & intensissimis doloribus conjunctum foret, infantem hoc modo complicatum eniti.

Ex his modesto Lectori liquet, *quanti usus sit uteri recte vel oblique siti cognitio*, unde facile colligere est, quantis olim erroribus obnoxii fuerint & adhuc sint *Obstetricantes nescientes, uterusne oblique an recte positus sit:* venia quidem & impunitas concedenda iis, quibus nunquam alius nisi rectus uteri situs innotuit, quòd qualicunque data positura eodem semper modo exclusionem efficere studeant, equidem uno omnes calceant calopodio: quanta autem incommoda parientes inde senserint hactenus, & adhuc dum sentiant, quotidiana testatur experientia: Quilibet propriam scrutetur conscientiam, & delicta sua confiteatur Deo, qui peccata temporibus tolerantiæ commissa dissimulat: Quisquis autem *patefacto hoc novo Lumine* sciens prudens cæcutit, crimine difficulter se expediet rationem redditurus.

Ex-



Fig: 26.

Fig: 27.
a
a
k
i
f
g
g
f
b
b
h
c
c
c
c
l

Explicatio 26. & 27. *Figuræ.*

Fig. 26.

aa Vertebræ.
bb Ossa ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium coxendicis.
ff Ventris circulus.
gg Uterus.
h Infans, complicatus in ostio.
jj Vena umbilicalis.
k Secundina.
l Infantis podex.

Fig. 27.

aa Vertebræ.
bb Ossa ilium.
cc Ossa pubis sive pectinis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium coxendicis.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus.
h Infans transversim sedens, podice & altera manu in ostium prodiens.
jj Vena umbilicalis.
k Secundina.
l Manus infantis in ostium protenta.

Sicubi tanquam regulam generalem tradidimus, infantum pedes non nisi digitis sursum versis extrahendos esse, id minime obstat, quin in hoc vel consimili casu (pedibus nimirum ostio tam prope imminentibus) eos calcaneo nonnunquam protrahere liceret; istud enim dictum volumus de pedibus suprà in fundo uteri positis, & quum infans omnino inverteudus est, non autem in ejusmodi casibus, ubi nullo negotio pedes aliquatenus attractos calcaneo in ostium statim inducere licet.

CAP.

CAPUT XLII.

De infante, ventrem in ostio cum vena umbilicali offerente.

INfantibus ventre prævio prodeuntibus non rarò contingit, *venam umbilicalem præviam in ostio propendere*, quæ si sola in ostio versetur, & eandem nullo alio membro comitatam sentias sive mobili sive firme ostio inhærente, tunc metuendum est, ne fœtus *ventre* aut *dorso prævio* seu prodierit jam, seu proditurus sit.

In 24. & 25. *Figura* vidimus, infantes nonnunquam *transversim* in utero sitos esse, *capite* scilicet in hoc, in altero autem latere *podice* posito, alter infans *manum*, alter *pedes* in ostium protendit: nonnunquam autem neque manus, neque pedes sese offerunt in ostio, sed infans capite resupinato delabitur *ventre prævio*, quod plurimùm fit *post effluvium aquarum*, tunc uterus contrahitur, vel concidit potius, siquidem constringentibus doloribus coarctatus deprimitur; unde & infans cogitur delabi, ac sicubi caput pedesque firmius detinentur, tum tergo retrorsum incurvato venter in ostium delabitur: ad quam rem præcavendam *obstetrix* diligenter attenta parturiente convenienter posita, *quamprimum aquæ effluxerunt*, *manu in uterum immissa removeat venam umbilicalem*, uteroque recte sito studeat *caput in ostium producere*, si facili negotio potest, uti nonnunquam solet, infante scilicet adhuc alte suspenso, ac tergo nondum nimis incurvato, tum enim manus leniter induci poterit usque ad sinciput infantis, caputque lente detractum sensim in ostium produci.

Si verò *lumbi infantis* eousque jam delapsi sint, ut *Figura* hæc 28. repræsentat, quod plerumque fit post effluxos dudum humores, tum *non suaderem caput infantis in ostium producere*, sed consultum judicarem, *pedes prius protrahere*, quod quidem *medita-*

ditate agendum est: etenim non sufficit, manu ad pedes usque penetrare, quod infante ita verso satis difficulter quidem succedit; sed etiam sciendum est, *qua ratione deorsum ducendi sint*, quippe haud perinde est, quomodo id effectum detur, & recte quidem & prave id fieri potest: Posito, quòd quispiam infantem ita versum, qualem *Figura* 28. exhibet, *pedibus* extrahere velit, qui propterea manu infrà prope ventrem secundùm latus infantis immissa usque ad pedes alterum aut binos prehensos *rectà deorsum* traheret, pedes quidem manum trahentem sequerentur, ac si *satis spatii* in utero ad versandum suppeteret, infans quidem *hoc modo* commode servari posset: at verò *humoribus omnino effluxis*, *infanteque* in utero *arcte compresso* facile *ejus lumbi prorsus distorquerentur*, unde infans, tum forsan nondum exanimis, exspiraret; ideoque non probarem rem ita tractari: manu etiam inter duos pedes immissa si quis prehensum pedem sinistrum malleolo interiore detrahat, potius *genu* aut *coxa luxata* pedem *claudum* reddet, aut infantem extinguet, quàm auxilium subministrabit.

Commodissime autem talis infans vertitur hac duplici ratione: Aut *dextra* ad sinistrum infantis femur immissa id *proxime genu prehensum pollice* (qui coxæ propior est) *sursum trudito*, simulque *posterioribus digitis deorsum trahito*, infantis genibus tuaque aversa manu uterum quodammodo removens, caute tamen & lente, ne scilicet laedatur aut laceretur uterus, atque hoc pacto *prius alterum genu* ad ostium producito, *pede adhuc dum suprà relicto*; tum eodem modo & *alterum genu* proferto ad ostium: quo facto manum mutato, & *sinistra* ad ventrem usque & pectus infantis immissa corpus ejusdem superius sursum trudito, & mox spatium suppetet, ut *altero* vel *binis genibus comprehensis* infantem altius removere, *pedesque* commodius in ostium *successive* proferre possis, si binos simul non liceat: aut dextrâ cruribus inflexis, genibusque in ostium productis, uti prius dictum, porro eadem genua *sub poplite prehensa ostium eousque præterducenda*, *donec pedes ante ostium ponantur*, quod factu haud difficile est, tum infans *pedibus* potest extrahi, sicut alibi

traditum est. Aut dextra immitti potest secundùm ventrem ad femur usque sive alterutrum genu, simulque *apicibus digitorum introduci fascia tenuis duplicata*, oleo largiter inuncta, quæ alterutri genu injicienda, ita ut duo fasciæ extrema extra corpus dependeant, quibus leniter trahere possis; tum dextra iterum extrahi potest, dum sinistra extrema fasciæ tenet, ne loco moveantur, deinde dextrâ fasciæ extrema tenente sinistra immittitur, quæ ventrem infantis sursum trudat, simul dextrâ leniter fasciam attrahente, quo pacto superius corpus sursum, pedesque deorsum moventur, & infantis genua propius ad ostium promoventur.

Verùm si forsan *transversus* hic infantum situs inveniatur in utero *prono nimis* vel *supino*, vel *in alterutrum latus obliquato*, jam inde ab initio nequaquam censeo cogitandum de capite in ostium producendo, sed quamprimum fieri potest, ab effluvio statim aquarum ad pedes tendendum, eosque, uti dictum, prævios ad ostium producendos judico: humoribus autem aliquandiu jam effluxis, & ventre infantis ad os uteri delapso eadem cura adhibenda est ad infantem commode vertendum, ne distorqueatur aut vim patiatur, quod multo difficilius succedit, quàm utero recte posito.

Plerisque *obstetricibus* alienum forsan videbitur, quòd ipsis suadeam, *prompte utero manum immittere*; plerisque etiam fœminis magis forsan insolens videretur, si consilio meo *obstetrices* uterentur, quippe iisdem tantam corporis sui copiam facere non solent, timentes, ne mali quiddam ab ipsis inferatur; neque semper ab re est, quòd timeant, siquidem paucæ admodum notitia gaudent & dexteritate, qua parturientem convenienter scirent tractare: neque hujus generis *obstetricibus* ego illius rei faciendæ auctor sum, sed *quæ ingenio & longo rerum usu pollent, & penitus noverunt partes muliebres generationi inservientes*, secundùm ea, quæ suprà tradidimus: Cæteris verò, si sentiant, partum difficilem instare, consulo, ut *prudentiorem* sibi adjungant *obstetricem*, sive mature arcessant *prudentem Chirurgum obstetricantem*, qui *tempestivo celerique* sciat parturienti adesse auxilio.

Ex-


Fig: 28
a
a
k
f
g
g
f
h
b
b
c
c
e
e
d
d
l

Explicatio 28. *Figuræ.*

a a Vertebræ.
b b Ossa ilium.
c c Ossa pubis.
d d Ossa sedentaria.
e e Acetabula ossium coxendicis.
f f Circumferentia ventris.
g g Uterus.
h Infans, ventre ori uteri imminente.
j Funiculus umbilicalis.
k Placenta.

CAPUT XLIII.

De infante, tergo prodeunte.

TAm rarum non est, infantes *tergo prævio* in ostium prodire, quàm *ventre*; *prona* enim incurvatio naturalis est, *supina* autem infanti molesta, unde plurimi etiam infantes inflexione plus minus prona prodeunt. In hac infantis positura sæpius etiam *vena umbilicalis* in ostium prolabitur; attamen nonnunquam *tergum* ostio imminet, ac *vena umbilicalis* non sentitur: & hæc quidem infantis positura datur tam in utero *obliquo* quàm *recto:* in utroque uteri situ in ore nihil sentitur præter *funiculum umbilicalem*, qui in ostium prolabitur, *aquis eadem forma* ac in præcedenti positura *desidentibus:* etenim sive venter prævius sit, sive tergum, neque hoc tamen neque ille aquis nondum effluxis adeò incurvatur, quin satis adhuc distent ab ostio, quòd si contingat alterum eorum sentiri posse, infans erit, qui tergo prævio prodit.

In hoc casu *obstetricis* est, probe observato aquarum effluvio protinus in *pedes* inquirere, *iisque infantem extrahere*, siquidem hæc in hoc rerum statu proxima ad exclusionem via est tam

in utero *recto* quàm *obliquo*; ac nequaquam hîc in producendo ad oſtium capite prævio cura ponenda, incaſſum enim laborares, quoniam infans ita poſitus capite multo difficilius verſari poteſt quàm pedibus, & ſatis quidem adhuc difficultatis habet ad pedes penetrare, latum enim infantis dorſum omnem locum occupat, ut ſolerti & exercitata manu opus ſit, quæ à latere viam ad pedes aperire noverit, præſertim in utero *obliquato*, in quo talem infantem vertere quantæ molis ſit, multis vix credibile eſt. Ante omnia tactu explorandum eſt, an infantis *ſpina dorſi ſurſum* magis vel *deorſum vergat*, ut inde dignoſcas, an manus ſupra vel infra infantem immittenda ſit: deinde explorandum eſt, *quo loco caput* poſitum ſit, & *quo loco pedes*, ut inde ſcias, *dextrane* potius an *ſiniſtra* verſioni applicanda ſit, quo cognito, ſi infans *dextro lateri* magis incumbat, ut hæc 29. *Figura* exhibet, manus *infrà poſt tergum prope ventrem* immittenda, & quæſitum ibi ſiniſtrum genu ſive pes deorſum ferendus eſt, eoque infans aliquatenus verſandus, tum & altero pede attracto ambo conjunctim in oſtium producendi ſunt. At, ſi *binos pedes ſupra caput* invenias, (capite ſcilicet & podice æquali circiter altitudine poſitis) tum ambos pedes prehenſos, & juxta caput poſitos, porro impune in oſtium proferre licet *infantem gyrato:* atque ut plurimùm quidem experior, infantes hoc modo *in gyrum* tractos facilius verſari, ſcilicet digitis pedum ad caput directis, quàm contrà calcaneis ad podicem converſis, uti ſæpius dictum.

Humoribus jam dudum effluxis, infanteque arctiſſime compreſſo, ut non poſſit verſari, *faſciam alteri* vel *ambobus pedibus injicere* convenit, *nexu non adſtricto*, ſed faſciâ *duplicata* ſolùm pedibus immiſſâ, atque duobus extremis parum contortâ, ne abſtergatur; hanc altera manu detrahito, dum alterâ corpus infantis ſuperius ſurſum removes; hoc modo pedes in oſtium productos, quamprimum potes, *manu* prehendito, eaque infantem omnino extrahito, *manu* inquam, quippe qua multo lenius membra tractare potes, quàm qualicunque faſcia, licet leni ſatis & lata: Ego ne ullas quidem faſcias tenuiores uti-

les


Fig: 29
a
a
k
f
g
g
f
h
b
b
c
c
e
e
d
d
Phi Bouttats fecit

les esse censeo pedibus injectas, multo minus nexu aliquo adstrictas; nam isti laquei adstricti pedes nimium illaqueant, & nutrimentum iis intercludunt: idcirco potius *mitra* utere, vel *tenuilinteolo*, vel *cingulo quodam serico leniſſimo*. Pedibus hoc modo in ostium productis infans omnino extrahendus, ac porro agenda sunt, quæ suprà tradidimus.

Explicatio 29. Figuræ.

a a Vertebræ.
b b Ossa ilium.
c c Ossa pubis.
d d Ossa sedentaria.
e e Acetabula ossium coxendicis.
f f Ventris circulus.
g g Uterus.
h Infans, tergo ostium obsidens.
i Vena umbilicalis.
k Secundina.

CAPUT XLIV.

De Geminis prave versis.

Si difficilis est versio *unius infantis tergo prævio prodeuntis*, non minus difficilis erit *ejusmodi gemellorum versio* in uno eodemque utero; & difficilior, si gemini *unica* saltem contineantur *secundina*, aut *unica* videantur contineri, laceratis scilicet membranis, aut interfinio, quo separantur rupto. Difficilis illorum versio non tam oritur ab exiguo spatio, semper enim spatium respondet magnitudini infantum; sed potius, quia *manibus pedibusque adeò intricatis quasi connectuntur, ut difficulter à se invicem extricari queant.*

Difficile nonnunquam est dignoscere aut dijudicare, *unusne an plures exstent infantes*, præsertim ab initio, quum superiora

uteri tactu nondum exploraveris: nonnunquam unicus infans in utero manibus pedibusque ita intricari potest, ut videantur gemini inesse: quocunque manum vertas, brachium obvium habes, aut crus, aut manum, aut pedem, ut nonnunquam dixerim; *perinde est, ac si totus infans ex meris brachiis, cruribusque aut manibus pedibusque compositus esset.* Equidem non ignoro, hæc quæ dicta sunt, aliena videri *inexpertis*, cogitantibus: nil facilius esse, quàm res tactu discernere, & facillime manum à pede dignosci, siquis animum parum saltem attendere velit: Sed sine offensione accipiendum est, quod istiusmodi hominum genus dicit: *in tranquillo* (sicut proverbium habet) *quilibet gubernator est:* si, quæ latent, membra *intra uterum* æque clare distingui possent, ac *extra*, plumbeus sane rusticus aut Bœotica mulier istam operam facillime præstaret: quoniam verò uteri, ac imprimis oris ejus angustiâ manus arcte adeò comprimitur, vix quicquam difficilius factu est, quàm quæ manu comprehenderis, *tactu dignoscere*, præsertim post humores diutius effluxos manu altius immissa: ex unius quidem membri contrectatione de altero judicari posse concedo, *exempli gratia*, ex clunibus & femore, id quod annexum sentitur, necessariò crus, non autem brachium esse judicandum; ita etiam ab humeris & brachio descendenti satis cognitum est, subsequens membrum cubitum esse, non autem tibiam: interim sciendum est, non semper tam amplum dari spatium, ut ab uno membro distinctim ad aliud progredi manu liceret, aut eam tam libere movere; ægre nonnunquam manus promovetur aut removetur, & tum ex quoquo membro primùm obvio judicium ferendum est: posito te manum primùm, eâque relictâ pedem obvium habere; deinde manu dextrorsum aut siniſtrorsum flexa brachium sentis sive crus, unde certus es, te hoc vel illud membrum sentire? aut si quidem distinguere possis, quî scis, unius ejusdemque corporis membra esse? forsan ita se res habet, forsan non; neque certior eris, etiamsi quarta vel quinta vice tactu repetito brachia vel crura sensisse tibi persuadeas, quî scis, num eadem sint, quæ

antea

antea ſenſiſti? mihi quidem exploratum eſt, plures per hunc errorem lapſos eſſe. Certiſſimum *gemellorum* indicium eſt, ſi *duo capita* aut *duo terga* ſentias: nunquam in uno eodemque corpore duplex caput invenitur, niſi monſtrum fuerit; & tum errore adhuc facilè capi poteris, niſi accurate tactu inquiſiveris, num duplex illud caput uni eidemque corpori annexum ſit.

Quærenti cuipiam: Si metuendum ſit, ne *gemini pluresve infantes* in utero verſantes *prave verſi* in oſtium prodeant, quid agendum ſit? reſpondemus: eodem fere modo rem tractandam eſſe, ac ſi unicus ſaltem excludendus foret, hac tamen adhibita cura, *ne alium alio impedias aut premas:* igitur hac in re eadem, quæ ſemper in vertendis infantibus, cautio adhibenda, ſcilicet, inquirendum eſt, *an membra quæ protrahere velis, libera ſint*, aliâs omnis ad vertendum infantem conatus irritus foret, & citius membra mutilares, aut à corpore avelleres, quàm trahendo ſolùm infantem verteres: *poſito*, quòd infantis dorſum deorſum inflectatur, & porro incurvetur, ſicut in *Figura* 30. *inferior infans* exhibetur: *poſito porro*, quòd dextrum crus ſiniſtro femori impoſitum ſit, inferiore pede ſiniſtro brachio ſuppoſito, uti id facilè poſſet contingere ſecundùm poſituram *hac Figura* expreſſam: *poſito deinde*, quòd *obſtetrix* manu prope oſſa pubis juxta dorſum penetrans prope ſiniſtrum cubitum inveniat dextrum pedem, & rata, rem bene habere, ſine ulteriore inveſtigatione tentet trahendo pedem in oſtium producere: *poſito denique*, quòd ipſa ſentiens, pedem retineri, laqueum illi aut tenuem faſciam injiciat, eâ pedem attracturа, dum altera manu infantem ſurſum trudit: quæritur: quidnam *obſtetrici* eventurum ſit? quid putas, hunc laborem ſequi poſſe, quàm *claudicationem pedis* & *ſtuporem*, ac denique *fruſtrationem laboris*, quo parturiens incaſſum excruciatur? neque tamen ſcopus attingitur; omni iſta opera *infans magis magiſque ante oſtium conſtipatur*, hac ratione infantis inverſio non ſuccedet, detractione illa quacunque & repreſſione nihil efficiet, niſi

si ut infans nonnihil à dextro latere in sinistrum inflectatur, neque latum unguem tum ad exclusionem promotus est; siquidem haud intenditur versio infantis ab alterutro latere in alterum, sed *pedum in ostium productio*, *capitisque in altum erectio*, quæ prava ista detractione neutiquam succedet.

Pari ratione *geminorum crura* inter se invicem implicari possunt, plus minus dissipata; unde nonnunquam *superioris infantis alterum pedem* invenies haud procul ab ostio *inferioris infantis pedibus* transversim incumbentem: num jam satis erit pedem istum detrahere? minime: citius enim pedes à tibiis, aut crura à corpore trahendo avelleres, quàm hoc modo pedes in ostium protraheres. Nonnunquam etiam *caput inferioris infantis positum est inter crura superioris*, ita ut *crura superioris*, infantis circa *collum inferioris* constringantur, uti in hac 30. *Figura* exhibetur; unde nonnunquam contingit, *superioris* infantis alterum vel binos *pedes* proxime ostium invenire. An tum sine ulteriore investigatione isti pedes protrahendi sunt? nequaquam: quamdiu enim *alterius* infantis *caput* ex *alterius cruribus* expeditum non fuerit, neuter illorum poterit excludi. Itidem *superior* infans nonnunquam *inferioris corpori pedibus divaricatis* imponitur, tum facilè quoque alteruter pes attingi poterit, sed tentans pedes successive in ostium producere, frustra laborabit, nisi prius *infantes à se invicem expediverit*, & ad exclusionem disposuerit. Et hac ratione *infantes multifariàm sibi invicem involvi possunt*, quorum omnes situs pravos sigillatim explicare nimium nos detineret; quare id ipsum proprio cujusvis judicio committentes paucis trademus *modum*, *dictos jam situs corrigendi.*

Primam quod attinet posituram, inferioris scilicet infantis, *Fig.* 30. exhibiti, ea corrigitur si parturiente prius resupinata capite demisso, clunibus elatis, manu subter infantem secundùm matris intestinum rectum immissa (quia ibi amplius datur spatium) investiges, num ibidem *hujus infantis pedes* invenire possis; non autem invenies, si dextrum crus probe sinistrum cubi-

bitum ſiniſtrum fortè femur tranſgreſſum fuerit; at verò ſi bini pedes conjuncti ſint, eo loco invenies. Uno igitur vel pluribus pedibus inventis inveſtigandum eſt, an corporis *oſtio ſupine objacentis pedes* ſint, hoc modo: cognito, utrò pedes ſenſeris, manus retrahenda eſt, eâque juxta latus & ventrem uſque ad femur inferioris infantis inveſtigandum, tum manu ulterius ſubinde juxta femur immiſſa ad genu uſque inter progrediendum accurate obſervandum eſt, num *brachia*, aut *crura*, aut *alia membra inter hujus infantis crura poſita*, ſive *an hujus crura alterius cuidam membro implexa ſint*: id ſi invenias, verſione inferioris infantis dilata, *crura ſuperioris infantis unà cum pedibus ejus prius expedienda ſunt*; & tum demum hic inferior vertendus eſt; quouſque enim inferior infans oſtio objectus manet, ſatis ſpatii non ſuppetit ad ſuperiorem extrahendum; inferior ergo prius vertendus pedibuſque extrahendus erit: Sin autem manu dicto modo immiſſa nihil obvium invenias, tum *inferioris infantis dextrum crus* prope genu aliquatenus *protrahendum*, & undiquaque expediendum eſt, dextrum ejuſdem infantis genu ad ipſius pectus apprimendo, & crure ſimul cum pede à femore remoto porro uterque pes componendus eſt.

Pedibus inferioris infantis jam extricatis accurate inveſtigandum eſt, num *ſuperioris infantis crura inferioris corpori tranſverſim alicubi adhuc imponantur*, quod ſi ita ſit, ea prius removenda ſunt, ne verſionem inferioris infantis denuo impediant: inferiore infante hoc pacto undique extricato, animo revolvendum eſt, an tutius ille *prorſum* vel *retrorſum* verſari poſſit: Hoc rerum ſtatu plures videres paratiſſimos ad *laqueum* ſiniſtro pedi injiciendum, quo dum pedem detrahunt, altera manu corpus retrudunt: *ego* verò *laqueos iſtos parum accommodos æſtimaus*, ad eorum uſum non adeò promptus ſum, potius longe aliam agendi rationem ſuadeo: nimirum ſuprà monſtravi, qua ratione dextrum inferioris infantis genu pectori applicandum ſit; quo facto conarer & *ſiniſtrum addere*, quod facile fit manu ſuper dextrum crus ad genu uſque porrecta; & utroque genu jam ad

ejuſdem infantis pectus applicito (ita ut nihil interpoſitum ſit) manu, uti dictum, ſuper dextrum genu porrecta arreptum proxime genu *ſiniſtrum crus* rectà in oſtium deferrem; ſic *infans neceſſariò* ventre deorſum & genu orificium verſus *verſabitur*: quo facto facilè pedes ſucceſſive aut ſimul in oſtium producere poſſum; tunc nullo opus eſt *laqueo*, nulla *faſcia*: altera ſaltem manus toti ſufficit operi: infans denique ita verſus & pedibus in oſtium productus porro tractandus eſt, quaſi pedes in oſtio prævios obtuliſſet, ſicut alibi traditum eſt.

Inferiore infante excluſo *funiculus umbilicalis duobus locis conſtringendus eſt*, ut ſupra & infra inciſionem tam ex parte ſecundinæ quàm umbilici conſtrictus maneat ad evitandum ſanguinis effluvium: quo facto *obſtetrix* mox iterum immiſſa manu in *pedes* protinus infantis inquirat, iis eundem protractura; *neque hoc conſilium mutet, etiamſi caput percommode ad excluſionem prodire videatur*, quà enim priori patuit infanti, & alteri via patebit: quòd ſi fortè (ſed rarò id fit) unicuique infanti, *peculiaris & diſtincta ſit ſecundina*, & ipſa infantis jam excluſi ſecundinam ſegregatam & ſolutam inveniat, eam mox poterit excludere, deinde & alterum infantem *pedibus* extrahere: Aut: ſi binæ ſecundinæ utero adhucdum cohæreant, miſſis iis utriuſque prius infantis excluſionem atque venarum umbilicalium abſciſſionem omnino abſolvat; tum manu ocyus immiſſa inquirat, num tertius adhuc infans lateat: ſi non, ſecundinam ſimplicem aut duplicem excludat, ſi libera ſit, lente attrahendo educat, ſin utero adhuc cohæreat, eam deglubat ſicut tradidimus. *NB. Hîc loci de prolapſa vena umbilicali non diximus: quoniam ſuprà ejus tractatio ſufficienter tradita eſt.*

Quicquid ſuprà dictum eſt de *prave ſitis infantibus in utero recto*, idem dictum puta de iiſdem in utero *prono nimis* aut *reſupinato*, aut *in alterutrum latus obliquato:* facilè foret demonſtrare, ſi luberet, quantum inde dolores & pericula parturientis infantiſque, ſimul & *obſtetricis* opera laboreſque ingraveſcant & adaugeantur; ſed iſtud ex jam allatis partûs difficilis

ge-

Fig: 30.
a
a
k
k
k
f
f
g
g
i
h
h
j
b
b
c
c
e
e
d
d
i

generibus, (quæ scilicet ex *obliquo utero* resultant) & ex sequentibus Capitibus adhuc afferendis cordato Lectori colligendum committimus. Hunc insuper Librum amplificare possemus *varias exhibendo Figuras, repræsentantes duorum triumve infantum in utero posituras, addita singulis figuris informatione, qua scilicet ratione isti infantes vertendi sint*; sed & nos & alios molestiam capturos existimamus, quoniam cæteras infantum posituras perspicax ingenium facilè sibi concepturum esse confidimus, ideoque hac vice his acquiescemus.

Explicatio 30. *Figuræ.*

aa Vertebræ.
bb Sinistrum os ilium.
cc Ossa pubis.
dd Ossa sedentaria.
ee Acetabula ossium coxendicis.
ff Circumferentia ventris.
gg Uterus.
h Infans in utero.
iji Bini funiculi umbilicales.
kk Binæ secundinæ.

CAPUT XLV.

De Agrippis seu Infantibus, pedibus præviis prodeuntibus.

EXorsi ab infantibus *prave versis, qui prævio capite in utero recto prodeunt*, perspectis porro diversis aliis pravis posituris, tandem finiemus *Agrippar um partu*, seu infantibus *pedibus præviis* prodeuntbus. Etsi *duabus his Figuris* postremum locum tribuerimus, eas tamen propterea *nequaquam difficillimas aut periculosissimas* judicamus; contrà post naturalem partum

hunc facillimum, minimoque periculo conjunctum censemus ; verùm hunc ipsi locum ordinis gratia assignavimus, de partu ex integro quasi iteratò dicturi.

Ad singulas infantum versiones pravas viam monstravimus, aut *prævio capite* infantes in ostium deducendi, aut *pedibus* eos extrahendi, judicantes, *convenientius medium non dari maturæ ac securæ exclusionis, quàm si pedibus vertantur infantes & extrahantur*: ideoque de eo coronidis loco iterum perspicue dicturi *duplicem hanc Figuram* proposuimus: *Figura* 31. infantem exhibet *dextro pede excluso, siniſtrum genu pectori admotum est, & pes inferior paulo altius quàm nates elevatus:* Hic situs sæpius occurrit, imprimis si *obstetrices* rei minus attentæ sint, alterum pedem in ostium prodeuntem elabi patientes, *quod ne unquam quidem admittendum* est: quamvis enim ab initio laborum bini pedes ostio proxime immineant, altero tamen pede in ostium prolabente, alter à latere retentus retrorsum truditur, unde plerumque ejusmodi situs existit: quod ut præoccupet *obstetrix*, observato, *alterum pedem in ostium prodire*, quamprimum aquæ effluxerunt, eundem *retineat* oportet, neque permittat perlabi; sed protinus alterum pedem quærat, sive dextrâ sive siniſtrâ, prout scilicet sentit, hallum situm esse, à cujus latere & alter pes quærendus, est eumque in finem vola manus super malleolo interiore prope hallum immittenda, & altero pede circa ostium non invento manu progrediendum erit juxta alterum crus usque ad ventrem, ubi necessariò alterum femur obvium dabitur, & mox sentiet manu applicita ad genu, illud crus sursum ne tendat an deorsum, consequenter juxta tibiam ad pedem usque pergendum erit, qui suprà adhuc situs (uti *hac Figura* quodammodo repræsentatur) lente detrahendus, & juxta alterum in ostium producendus est.

At *Obstetrix* serò arcessita vel adveniens, si invenerit alterum crus eousque jam perlapsum, ut nates angustiore loco coarctentur, parturientem resupinare debet capite demisso, quò uterus cum infante parum retrocedat; tum *dextra* crus dextrum prehen-

hendens eo *infantem retrudat*, donec pes totus, vel ad minimum genù intra os uteri reducatur, ut in utero inferiore plus ſpatii ſuppetat, quà *manum juxta crus immittat*, alterumque pedem prehenſum & in oſtium protractum cum priore conjungat, ut bini ſimul excludantur, tunc hæc 31. *Figura* ſimilis eſt *Figuræ* 32. exhibenti infantem binis pedibus conjunctim excluſis, *qui ne unquam quidem retrudendi ſunt*, ſed iis, tanquam in poſitura conveniente, tranſitus omnino concedendus eſt, quippe *minime conſultum eſt, pedibus in uterum retruſis caput in oſtium dirigere*, ſicuti ſuadent, qui merâ *theoria potius quàm experientia ducti de Arte obſtetricandi ſcripſerunt*; verùm pedibus prævis liberrimus exitus concedendus eſt, tum maxime ſi caput & ſuperior corporis pars ſupremum uteri locum tenent: ſin verò caput unà cum pedibus prope oſtium ſitum ſit, uti *Figura* 24. & 25. vidimus, tunc ſi libet, utique licet caput in oſtium producere, imprimis in *utero rectè poſito*; at verò in *utero obliquo* contrarium commendatum velim, utpote in quo *pedes potius quàm caput* vellem produci, hac tamen conditione, ut ſtudeat *obſtetrix* infantem minus bene verſum ab initio *verſare*: nimirum *minus bene verſos* dico, *ſi digiti pedum ſurſum, calcanei autem deorſum vergant*, ut *hiſce duabus Figuris* exhibetur, etenim ſi hoc modo pergant prolabi infantes, *mento oſſibus pubis facile inuncantur*, ad quod præcavendum iſtos invertere convenit, *calcaneis clunibuſque ſurſum, digitis autem pedem & ventre deorſum directis.*

Veruntamen minime cogitandum eſt, *infantem uno ſubito actu tanquam undique liberum quaſi in vaſculo ligneo poſſe verſari*, nequaquam, ſiquidem utero nimium agglutinatur, quare ſi tam ſubitò prorſus verſare velis: uterum facilè læderes aut infantem. *Lente* igitur *verſandi* ſunt infantes, dum ſimul extrahuntur, applicitis ambabus manibus, alterâ ſcilicet, quouſque poteſt, ſubter corpus immiſſâ, dum altera pedes antè combinatos tenet, ne pedes tantùm, iiſque mediantibus crura, ſed ſimul etiam corpus invertatur; hoc pacto infans ſenſim verſando pro-

ducitur, usque dum pronus in ventrem procumbat, & ultra ventrem exclusus sit: *tum demum opportunum tempus illuxit, quo parturienti laborandum est*, sicuti alibi demonstravimus, quippe jam *caput & brachia conjunctim* plerumque *trajicienda sunt:* Et quamvis omnes (quod sciam) Auctores contrarium doceant, postulantes, ut *brachia prius successive producta juxta corpus ponantur*; ego tamen *contrarium & sentio & expertus sum* in hac aliisque rebus plurimis, quapropter *brachia juxta caput relinquenda esse confidenter suadeo, simul cum capite excludenda:* parturiens quidem, fateor, infantem omni nisu propellere tenetur, sed *nubecula est citò transitura:* Ego quidem ut plurimùm ab omnibus laboribus parturientem detineo, donec infantes hucusque processerint; tum parum cessans, addito ipsi animo pro certo polliceor, si officio strenue satisfecerit, partum mox absolutum iri, modò eum in finem omnes nervos intendat ad enitendum infantem, *sese gerendo, quasi dolores urgerent*; siquidem *tum temporis non exspectandi sunt naturales dolores*, si desint, sed parturiens se gerat, quasi iis urgeretur, omni nisu deprimens: quòd si observaveris, parturientem id ipsum præstare, fideliter etiam adjuvanda est, infantem *valide*, attamen *caute*, *deorsum trahendo*, *deorsum* inquam, *non sursum*, non secundùm longitudinem parturientis, ut *pleræque* solent *obstetrices*, sed *deorsum versus intestinum rectum*, alias infans coarctatus ægre transmittitur: parturiens monenda est, ut *sine intermissione* depressionem faciat, addito, vitam inde infantis dependere, propterea ultimas vires intendendas esse, brevi momento omnia peracta fore; atque hoc pacto mox infans omnino excluditur: Mihi sane hoc modo res semper prospere successit; huic ergo praxi porro inhærebo, qua periculum non est *caput ab humeris avellendi*, quod *Paulo Portaal* aliisque (uti ultro ipsi fatentur) sæpius contigit: neque mirum hoc est: brachiis enim juxta corpus detractis *os uteri instar laquei vel tendiculæ contractum* & conclusum non rarò *præfocat infantem*, aut si jam defunctus sit & tenellus, *caput facilè avellitur*, quod in utero remanens uncis deinde ferreis extrahendum est. Hi

Hi ſunt fructus illam brachiorum detractionem conſequentes, & provenientes ex miſerrima iſta ceſſatione iſtiuſmodi hominum, qui nihil non faciunt ad *Veterum exempla*, inhærentes *inſtitutis Majorum*, non attendentes, an probata ſint, necne, aut, annon convenientior ſit praxis contraria iſtis traditionibus, quibus Veterum rationes & experimenta exponuntur; hinc corruptio & pernicies Artium & Scientiarum, niſi enim novarum & meliorum rerum inventione Majores ſuperemus, præſtantiſſimum certe artium illarum & ſcientiarum intercidit, quum noſtra memoria continuis obſervationibus ſubinde non renovatur, unde ſenſim excidunt hæ & illæ minutiæ, ſcientiæque temporis decurſu ita hebetantur & obſoleſcunt, ut de integro reformandæ ſint, ſi nova claritate & ſplendore effulgere debeant.

Satis cognitum habeo, *non defore Zoilum aut Momum*, quibus minus arridebit, *quòd auſim libere adeò animi ſenſa eloqui, tot Capitibus tanto egregiorum Scriptorum tam Veterum quàm Recentiorum numero contraria:* ſed quid agam? *captatio benevolentiæ aut gloriæ me non movit ad Librum hunc ſcribendum: nec livor aut invidia deterrebunt ſcribentem*, quod verum eſſe non dubito, experientiâ confirmatus: Aliorum Scriptis ad acquirendam rerum cognitionem uſus ſum, & ſuſpicio omnes, qui *experientia ducti* ſcripſere, grato animo agnoſcens, quicquid boni à Deo T. O. M. Supremo omnium Doctore mediantibus iſtis Scriptis mihi conceſſum eſt: Sed ubi illos erraſſe invenio, errorum poſteros præmonere fas eſt, ut ab illis ſibi cavere ſciant; iſte mos apud Majores obtinuerat, idem & mihi receptus eſt, idem & à poſteris obſervabitur; & hic eſt genuinæ charitatis genius, non, ut nos invicem contemptu, convitiis aut obtrectationibus laceſſamus; (ut plerique ſoliti ſunt) ſed ſcientias ab errorum ſordibus emundemus, ut hoc pacto viâ poſteris præparatâ multorum annorum ſerie *à pluribus* ſucceſſive efficiatur, quod per brevitatem vitæ & experientiæ raritatem *unicus* effectum dare non valet.

Evolutione Auctorum ſiquis quodammodo occupatus fuit,

cun-

eundem non fugiet, quantum ſplendoris paucis abhinc annis *obſtetricantium artificio* acceſſerit, poſtquam Dominus *Mauriceau* & *Portaal* in *Gallia*, *Juſtina* in *Germania*, aliique in aliis regionibus ſua hac de re *Experimenta* in lucem ediderunt: quantum inſuper fulgoris *hoc Novum Lumen*, meis *Experimentis* radians, iſti Scientiæ allaturum ſit, ſucceſſu temporis patebit: Si cui non omnino caligent oculi, facilè intelliget, quæ hoc Libro *novitiis obſtetricibus* propoſui, non niſi ex attenta experientia potuiſſe provenire: orbi autem oculis, aut quorum oculi lumen non capiunt, exoculati porro manebunt, & ex oculi lumen non capiunt, exoculati porro manebunt, & ex caligine rapientur in caliginem, proprio ſuo damno pedes ſubinde offendentes.

Explicatio 31. & 32. *Figuræ.*

Fig. 31.

a a Vertebræ.
b b Oſſa ilium.
c c Oſſa pubis.
d d Oſſa ſedentaria.
e e Acetabula oſſium coxendicis.
f f Circumferentia ventris.
g g Uterus.
h Infans in utero, cujus alter pes excluſus eſt.
j Vena umbilicalis.
k Secundina.

Fig. 32.

b b Oſſa ilium.
c c Oſſa pubis.
d d Oſſa ſedentaria.
e e Acetabula oſſium coxendicis.
f f Circumferentia ventris.
g g Uterus.
h Infans ambobus pedibus excluſis.
j j Vena umbilicalis.

k Se-

Fig: 31.
a
a
i
f
g
g
f
h
b
b
c
c
e
e
d
d



Fig: 32



k Secundina.
ll Pedes infantis.

CAPUT XLVI.

De partu difficili, ex prave ſito utero, nimium ſcilicet propendulo.

PRavis *infantum poſituris in recte ſito utero* tam generatim quàm ſpeciatim jam perſpectis, additis ſimul in tranſcurſu *obſervationibus* de iiſdem pravis poſituris *in obliquo utero*, jam progrediendum erit, & ſpeciatim dicendum de *utero oblique poſito*, ut pateat, quænam inde difficilis partûs genera oriantur, ſive bene verſi ſint in illo infantes, ſive prave. *Primò* igitur inquirendum eſt: *Cur ex utero nimium propendulo* partus difficilis proveniat. *Secundò: unde cognoſci poſſit*, uterùm nimis propendere. Denique *tertiò: quid agendum ſit* ad impedienda ſeu prævertenda mala inde conſequentia.

Ratio, *cur uterus nimium propendulus partum afferat difficilem*, hæc eſt: quia ſcilicet utero ita poſito (imprimis in muliere ventroſa, uterum nimis demiſſum in abdomine geſtante) inter labores infans neceſſariò aut ad vertebras incurvas, aut ad os ſacrum impingit, unde caput retardatur, ne in pelvim delabi valeat. Quò hæc magis pateant, neque tamen interea confundamur contemplatione multiplicis pravæ poſituræ infantum in utero ita propendulo, hîc loci primò ſolùm agemus de infante aliquo, qui *bene verſus prodit* in utero hac ratione *obliquato* vel *nimium propendente*.

Infans *reſpectu uteri bene verſus* hîc & alibi mîhi dicitur, cujus ſuperior pars capitis ſive vertex oſtio, id eſt, ori uteri objacet: talis infans plerumque dicitur *bene verſus*; & *reſpectu uteri* revera talis eſt, imò hoc reſpectu melius verſus eſſe nequit: Quamvis autem infans ita poſitus in utero nimium propendulo recte verſus ſit, egoque prioribus Scriptoribus in hac re aſſentiar;

tantum tamen abeſt, me talem infantem in tali utero *reſpectu pelvis & vaginæ* (ſive viæ, quà tranſeundum eſt) bene verſum dicere, ut potius hoc reſpectu talem infantem *prave verſum* dictum velim, utpote qui propter pravum hunc ſitum *tranſverſus* in oſſa pelvis & poſtremas maxime vertebras ſive os ſacrum impingit, uti ex 33. *Figura* patet.

Explicatio 33. *Figuræ.*

aaaaa Vertebræ.
b Siniſtrum os coxendicis.
c Siniſtri oſſis pubis pars.
dd Oſſa ſedentaria.
e Acetabulum ſiniſtri oſſis coxendicis.
ff Circulus exhibens locum ventris.
gg Uterus, ore ſuo vertebris oppoſito.
h Infans in utero *bene verſus*.
j Caput infantis, ori uteri imminens.
k Secundina, ſive placenta uteri.
l Locus umbilici.
mm Vena umbilicalis.

Infantes in utero ita poſito interdum (haud ſine ratione) *facie prona ſeu deorſum verſa* prodeunt, ac nihilominus non niſi *facie ſupina* ſeu *ſurſum verſa* excluduntur, quia ſcilicet inter tranſeundum *prono capite ſublatiſque pedibus corpus ex parte in orbem convolvere* coguntur inſtar petauriſtæ. Admiratione dignum eſt, quoſdam hominum potuiſſe obſervare ejuſmodi *præcipitationem* horum infantum, neque tamen clare animo ſibi concepiſſe *obliquum uteri ſitum!* animadvertebant quidem, infantes iſtos *petauriſtas* prodire ex fœminis *ventroſis*, uterum demiſſum geſtantibus; quoniam autem haud perſpicue noverant *rectum* & *obliquum uteri ſitum*, aliud pro alio accipientes veram rationem non comprehenderunt, cur infantes iſti præcipiti jactu ita provolverentur, cujus vera ratio non niſi *obliquus iſte uteri ſitus* eſt.

No-


Fig. 33.
a
a
a
a
a
c
f
f
g
m
h
l
k
b
m
g
e
Philibertus Bouttats. d fecit:

Notandum autem est: præcipitem hunc jactum infantum *nequaquam fieri in utero*, quippe recti ex utero prodeunt; sed ex ore uteri progressi in pelvim, aut collo uteri adhuc operti, quamprimum in anfractum (quem transire debent) feruntur, se ipsos inflectere coguntur & ad viæ flexum incurvare, quo facto facies modò deorsum flexa jam sursum vertitur: quod ut clarius comprehendere possis, animo tibi concipe *æneum* vel *ligneum tubum* ea amplitudine, ut nudus perlabi possit infantulus; tubum hunc tibi propone curvatum instar cubiti parum inflexi, ita ut in superius foramen inspicere, & in inferius manum immittere possis: finge jam, te per superius foramen injicere infantem facie pectoreque deorsum versis, vertice item prævio: infante jam ad angulum usque cubiti injecto, si manum in inferius tubi foramen immiseris, senties infantis verticem ex adverso tubi fixum quasi hærere, *facie* adhuc, sicut antea *deorsum versa*, ut difficulter verti, nec nisi multo cum labore traduci possit: quòd si tandem infantem traduxeris, invenies eum in curvamine cubiti *præcipiti jactu necessariò inverti*, unde facies ejus in superiore cubiti parte deorsum flexa, in inferiore parte jam sursum versa reperitur: hoc modo fit *præceps illa inversio* infantum, qui in utero nimis prono vel propendulo bene versi, hoc est, capite prævio prodeunt.

Hîc loci notandum: quòd uterus simul cum vagina *longiorem tubum* constituant: deinde quòd conjunctim *formam cubiti efficiant plus minus incurvati*, prout scilicet uterus plus minus propendet, & quòd istud cubiti curvamen detur *circa confinium uteri & vaginæ* proxime os uteri: denique notandum: quamprimum caput infantis in os uteri penetrare cœperit, quòd tum statim impingat & fixum quasi hæreat à prominentibus vertebris lumborum postremis sive ab osse sacro, unde consequenter progredi non valet, nisi cernuum deorsum flectatur, collo totoque corpore isti curvamini accommodato, unde *posituram infantis priorem mutari necesse est*, ita ut qui modò in ventrem *pronus* in utero situs erat, jam vaginam transeundo in tergum *supinus* re-

clinetur; unde patet, inversionem istam proprie *non fieri in utero*, antequam infans delabatur, sed in *vagina uteri*, aut, si magis arrideat, *in utriusque confinio:* Et hoc pacto perspicue satis demonstrasse puto, quòd scilicet *uterus nimium propendulus* infantem cogat sese præcipiti jactu invertere, quæ præceps inversio non nisi lente & difficilime procedit, unde talis enixus nequaquam inter *facillimos*, sed potius inter *difficillimos partus* recensendus est.

At quærat fortasse quispiam: *num partus istiusmodi difficilis omnibus ventrosis contingat?* earumque uterus nunquam non ita propendeat? cui respondeo: licet huic pravæ uteri posituræ ventrosæ magis obnoxiæ sint quàm aliæ, non tamen necessariò tantam semper in iis dari uteri prominentiam: contrarium nonnunquam obtinet; & ego quidem *obstetricans* adfui *ventrosis* difficillime parientibus, quia scilicet earum uterus nimium ad *lumbos* aut *spinam dorsi resupinatus* fuerat; qualis uteri situs à priore tantum fere differebat, quantum oriens ab occidente.

Quòd siquis ex me quærat: num unius ejusdemque prægnantis uterus gravidus *hac vice propendere*, & iterata prægnatione *alia vice resupinari possit?* & quænam diversæ hujus, imò contrariæ, posituræ causa sit? illi respondeo hoc quidem fieri posse, tum maxime, quum intestina uterum deprimant, eum huc vel illuc compellentia, unde situs sequitur mutatio pro ratione pravæ depressionis, cujus causa esse poterit, quòd gravidæ huic vel illi corporis posituræ nimium indulgeant, nimium sedentes, vel alterutri lateri plus minus incumbentes, corpore etiam aut nimis elato aut demisso, vel denique equo aut curru vectæ, aut alio corporis exercitio usæ, quo isti depressioni locum faciunt. Omissis jam remotioribus causis, quibus uterus loco movetur, solummodo dicemus: intestina uterum in alterutrum latus compellere posse, æque ac ab iis prorsum aut retrorsum deprimitur, unde varia pravæ posituræ genera existunt: Quum igitur aqualiculus propendulus argumentum infallibile non sit uteri nimium propenden-

dentis, & nihilominus è re ſit, ſtatim ab initio laborum noſſe, an parturientis uterus ita ſitus ſit necne, quò ſcilicet auxilium maturetur, res poſtulat, ut *obſtetrices novitiæ* informentur, *quibus indiciis* pravam hanc uteri poſituram cognoſcere poſſint, & quid ipſis hoc rerum ſtatu agendum ſit.

Obſtetrix ergo ex *craſſitie & propendentia ventris* hanc uteri poſituram colligere poteſt, nec minus eam confirmabit, ſi ex parturiente cognoverit, *quo loco vivum illa infantem maxime ſenſerit moventem*, infans enim non poteſt moveri, niſi ubi verſatur: inſuper *ventrem poteſt contrectare*; quæ omnia conjecturam certiorem reddere poſſunt; verùm certiſſimum rei indicium *tactus* præbebit; quapropter *obſtetrix minime tarda* ſit aut *cunctabunda ad tangendam parturientem*, uti pleræque maximo prægnantium incommodo ſolent earundem querelas gemituſque, quoad libet, negligere, eaſdem tactu non prius explorantes quàm infantem jamjam ſatis progreſſum putant, qua ratione vera non ſolùm negligunt indicia, quibus genuina uteri poſitio ipſis innoteſceret, ſed etiam (ſi res nondum omnino deſperata aliquatenus bene ceciderit) multis parturientes fruſtra divexant cruciatibus, tempus laborum prolongantes, dum deſunt ipſis conveniente auxilio, quod ferre quidem poſſent, ſi prudentes eſſent atque benignæ. Uterum autem nimis pronum propendere *obſtetrix mediante tactu* ex hiſce ſignis poterit colligere:

1. Os uteri altius quàm plerumque ſolet, ſuſpenſum inveniet.
2. Idem non niſi multo negotio poterit tangere.
3. Idem poſtremarum vertebrarum curvamini ſive oſſi ſacro obverſum erit.
4. Obſtetrix non niſi inferiorem oram oris uteri tangere poterit plus minus, prout ſcilicet uterus plus minus propendet, nequaquam autem ſuperiorem oram, niſi os uteri jamjam cœperit delabi.
5. Aut omnino non, aut ægre in aperturam oris uteri *obſtetrix* poterit ingerere digitum, eundemque non niſi inflexum aut incurvatum.

6. Quolibet irruente dolore os uteri dictis vertebris valide apprimi sentiet *obstetrix*, ita ut non possit delabi.

7. Aquæ, si ostio immineant, forma sentientur tenui & exili.

Obstetrix omnibus hisce signis inventis plane persuasum habere poterit, uterum nimis propendere, & auxilio opus esse ad corrigendum pravum hunc uteri situm partumque promovendum: Omnia ista signa intelligimus reperiri *ab initio laborum*, antequam dolores omnia constipaverint sive ut plurimùm depresserint, imò *antequam os uteri jam latius pateat:* postea enim singula ista signa magis subinde mutantur, donec tandem omnino fere evanescant: quamobrem probe notandum est, ne unquam quidem certius per tactum explorari posse veram uteri posituram, quam *initio statim laborum*, quamvis tum temporis os uteri ægre nonunquam attingi queat, utpote alte nimis suspensum: necessarium tamen est attingi, ideoque eousque penetrandum, donec attigeris: quòd si digiti minus sufficiant, manus etiam immittenda; & siqua parturiens hoc detrectet, *obstetrici* genuinum adimit medium cognoscendi veram uteri posituram: heu noxiam & deplorandam cæcitatem! qua devitantur quasi parturientium dolores & læsio, dum interim matres cum infantibus vitæ exponuntur periculo: hem egregiam imperitarum Gubernatricum providentiam! qua leges sanciunt rationi contrarias, docentes alias, quæ ipsæ non intelligunt! certo enim certius est, parturienti nequaquam operam convenienter navare posse, quæ tactu non exploratam habet pravam uteri posituram: quapropter *obstetricibus* tempus neutiquam negligendum, sed ejusdem accurata ratio habenda est, quò mature veri rerum statûs fiant certiores.

Obstetrix jam certa, *uterum nimis propendulum in prominulo ventre altius depressum esse*, ponderare secum debet, qua ratione hunc uteri situm corrigere velit, matrique simul cum infante auxilio esse; quem in finem *duo gradus* supponendi sunt: *primò* efficiat, ut caput infantis in pelvim possit illabi usque in ossis coc-

cy-

cygis curvamen: *secundò* caput exinde promoveat, ut infantis excluſio omnino abſolvatur; quippe non acquieſcendum eſt capite jam in pelvim promoto: nondum tunc extra aleam res poſita eſt; quin potius tum demum ſudandum eſt, nondum enim dimidium facti abſolutum: hic loci plurimi infantes hæſerunt nunquam excluſi: plurimæ matres periere ſimul cum infantibus vertice jamjam in curvamen oſſis coccygis delapſis, ubi deſederunt, quoaduſque & mater & infans exſpiraverant, nec ſane inficiandum eſt, hunc locum infantibus eſſe inſtar ſcopuli quavis Malea periculoſioris, in quem plurimi impingentes naufragium faciunt: interim difficilem hunc ſcopulum præterire neceſſum eſt, neque eum ſubterfugere licet, ſine auxilio autem haud facilè penetrare poſſunt, quatenus ſcilicet rem rationis & ſtatus præſentis regulâ metimur.

Auxilium, quod requiritur, in eo conſiſtit, ut ante omnia *caput infantis cum ore uteri in pelvim promoveatur*: quem infinem parturiens parte corporis ſuperiore demiſſius quàm inferiore ponatur, quod percommode fit in *ſella noſtra parturientium perforata*, ejuſdem poſteriore parte, fulcimento ſcilicet, demiſſo, & culcitra binis anterioribus extremis eouſque elevata, ut fulcrum cum culcitra *rectam lineam* efficiat, ita tamen, ut caput cum humeris ſupinis deorſum vergant, clunibus elatis: hoc pacto propendens uteri fundus attollitur, præbetque ori occaſionem, qua commodius in pelvim introduci poteſt, *primò*, quia uterus ita erectus proprio pondere defertur, dummodo os ejus loco moveatur. *Secundò*: uterus ita erectus non adeò deprimitur ab ingruentium inteſtinorum pondere, à quibus aliâs in abdomen depellitur, parturiente ut plurimùm abſque judicio laborante, ſicut plerumque monetur nulla habita ſitûs uteri aut infantis ratione: iſthoc ſitu uterus magis magiſque retrorſum reprimi poteſt, quoniam inteſtina pondere ſuo deorſum feruntur verſus demiſſiorem jam corporis partem. Parturiente jam dicto modo diſpoſita *obſtetrix* ambabus utens manibus uterum cum capite infantis expediant, *immiſſa* ſcilicet, *altera* quouſque

opus

opus eſt, *in vaginam*, *altera abdomini parturientis impoſita*: hic loci perinde eſt, ſive dextra utatur ſive ſiniſtra; uterus enim rectà propendens utramque æque commode admittit: utero verò magis in alterutrum latus obliquato opus eſſet ſive dextra uti ſive ſiniſtra, prout ſcilicet os uteri verſum fuerit: nimirum, ſi fundus uteri plurimùm ſiniſtrorſum inclinetur, *ſiniſtra* in vaginam immittenda erit; ſin ille dextrorſum vergat, *dextra* interne adhibenda erit ad diſponendum os uteri & caput infantis.

Opera manu *obſtetricis* in vagina præſtanda, proprie hæc eſt: ſcilicet duorum triumve digitorum extremitatibus ad ſuperiorem oris uteri oram adhibitis adverſus vel ultra caput infantis idem aliquatenus loco movendum, & in oſtium pelvis dirigendum eſt, ut illabi queat; Sed hic loci *obſtetricem* monitam volo, *ne culpam committat, verticem infantis nimium premendo*; capitè enim infantis, qua patet parte, nimium preſſo ſive tracto, facilè mors illi infertur, proinde *obſtetrix* iſtud caute tractare debet. Si fortè os uteri vertebris vel ſuperiori oſſis ſacri parti jamjam nimis firmiter appreſſum fuerit, ita ut non niſi violenter digiti ibidem prætermitti queant, tum parturiens non, uti ſuprà dictum, ſed alio modo ponenda erit.

Datur quoddam *artis opus*, quo in hac uteri poſitura caput infantis in pelvim dirigitur: ſcilicet ſellâ parturientium modo ſuprà dicto ad reſupinandum diſpoſitâ, parturiens culcitræ perforatæ (quæ antè ſatius patet) *parti anteriori leviſſime inſidet*, corpore quodammodo *cernuo*, ut uterus, quoad poteſt, in abdomen deferatur; tunc manus in vaginam immittitur, ut digitorum ſummitates in os uteri non ſolùm tendant, ſed etiam *id parum præter eant*, uſque dum poſt ſuperiorem oris uteri oram pervenerint: *NB. non intra, ſed poſt oris uteri labia*, ita ut os uteri cum vertice infantis & *interior* digitorum pars ſe invicem tangant, manu ſive digitis ad rotunditatem oris uteri vel capitis infantis formatis; *exterior* autem manûs ſeu digitorum *pars* tangat prominens oſſis ſacri curvamen, ſive vertebras inferiores: Altera

tera manu hoc modo posita, altera *extrà* imponitur, ut anteà dictum, atque tum *parturiens sensim resupinatur*, usque dum superior corporis pars demissior cubet quàm inferior: hoc facto *manu interea intra vaginam dicto loco immobili semper manente, exterior manus uterum solerter à se propellit*, ut in rectum situm, quoad potest, restituatur: dum fit iste repulsus uteri, simul *manus interior* jam coarctata *leniter movenda erit*, summitatibus maxime digitorum tremulis, ut leni vacillatione os uteri cum capite infantis deorsum feratur: quamprimum interior hæc manus senserit, os uteri cœpisse delabi, *ipsamet simul debet delabi*, singulis vicibus parum priorsum tendens: hoc ipsum diversis vicibus repetendum est, donec vel tandem os uteri (à difficili isto offendiculo liberatum) & cavitas pelvis sibi invicem respondeant, quo facto omnia ad ulteriorem infantis depressionem conveniunt.

Ist hoc *artis opus* exercitatæ manui maxime accommodum & tutissimum est; siquidem os uteri & vagina ita se habent, ut vel *latum digitum*, imò nonnunquam quidem *latum pollicem* post os uteri pertingere liceat: verùm *imperita manus sibi caveat* oportet, ne lædat *vaginam*, aut eandem ab ore uteri abrumpat, spatium quærendo ubi non datur. Repulsus iste uteri, manu abdomen premente factus, *sano* itidem *judicio* efficiendus est, manu *non desuper deorsum ducta*, inde enim uterus infrà firmius apprimitur; sed *obstetrix*, quantum parturiens ferre potest, *inferne sursum* debet premere, ut, si possibile sit, uterus resupinetur: At verò *obstetrici* observandum est, hanc uteri repressionem una manu ante non esse tentandam, quàm altera debito loco infrà convenienter locata fuerit; tum demum enim *utraque manu* opus opportune perficitur: quod si prima vice ex voto manus successerit, *aliquoties repetendum erit*, donec iteratis vicibus eò perventum sit, ut infrà infantis *caput coronatum* sentiat, hoc est, oris uteri oram circum circa contrectare queat ostio pelvis imminentem; atque tunc de egregio succesu certa esse poterit ac sperare, dolorum deprimentium impetum non fore frustraneum.

Hactenus nihil dictum est de *labore parturientium*, quoniam, huc usque opportunum non erat, parturientem ad laborem hortari, utpote non solùm frustraneum, sed & maxime obstantem *obstetrici*, cui soli hactenus omnis labor competit: Sed quæret fortasse quispiam: *quid parturienti agendum est, sentienti se doloribus ad laborem urgeri? an tum non licet laborare? aut anne poterit illa à labore sibi temperare?* respondeo: ipsam quidem non posse cohibere, quin doloribus corripiatur; posse tamen cum iisdem *non cooperari*, aut ad minimum quodammodo abstinere à nimia depressione, id quod eidem injungere summopere debet *obstetrix*, quæ si sentiat irruentem dolorem, (quem, quum attenta est, plerumque citius quàm ipsa parturiens observare poterit, manu scilicet ori uteri applicita) tum quiescere debet, nec quicquam tentare, sed commoditatem ad agendum arripere, quamprimum transiit dolor, *reprimendo*, *attrahendo* & *propulsando*, uti suprà monstravimus, priusquam alius irruat dolor.

Alienum forsan plerisque videbitur: *prius peritum obstetricantem Chirurgum aut obstetricem quàm ipsam parturientem irruentes dolores posse sentire:* at verò quàm mirum etiam videatur, verum tamen est, nec exiguam commoditatem *prudentibus* confert *obstetricantibus*, qui hac observatione quacunque ratione uti scientes, opportunitatem idoneorum ad agendum temporum arripiunt, suaque tempori officia cum Natura conjungunt, ut pariter cum illa efficiant, quod neutra sigillatim valeret; aut contrà alternis vicibus jam hoc jam illud agant: quemadmodum enim hic loci *obstetricanti* cessandum est, dum Naturam sentit per dolores operantem, & operandum, si dolores præteriere; ita alia vice simul cum doloribus illi laborandum est, istisque præteritis cessandum: Ab *obstetrice* igitur dolorem irruentem sentiente parturiens præmonenda est, ut *patienter potius ferat sinatque præterlabi dolorem, quàm cooperetur*, ne infans uterusque magis subinde coarctentur.

Quæret fortasse quispiam: *qua ratione obstetricans sentire possit*

ſit, adventare dolorem? cui reſpondeo: me iſtud ſenſu quidem cognoſcere poſſe, quin & parturienti prædicere ſolitum, officiique ſui admonere, ſive laborandum ſit illi, ſive non, prout res poſtulat; ſed fateor, me neſcire, quodnam nomen rei imponendum ſit: *Exoritur in ore uteri ſubtilis quidam motus, contractio ſive compreſſio, quam ſolùm licet obſervare, quotieſcunque afficiuntur muſculi novo ſenſu, quo illi excitati novo ſpirituum influxu novum in uterum faciunt impetum*, id quod *dolorem* vocare ſolemus: quiſquis igitur motum hunc ab aliis novit diſtinguere, is irruentem dolorem præſentire poteſt.

Hic loci *obſtetrices* monendæ ſunt: quòd ſi manu circa os uteri occupatæ ſint, dicto modo ejus oram digitis probe apprehenſuræ, *ut ſibi temperent à nimia digitorum motione*, illos hinc atque hinc non ducentes, dum interiorem oris uteri oram contrectant; hoc enim dolorum irritamentum eſt, quumque parturiens tum doloribus non opus habeat, juſſa labores inhibere, *obſtetrici* utique cura habenda eſt, ne ipſamet dolores provocet: Ego quidem experientiâ edoctus ſum, *diverſam rerum tractationem diverſos etiam ſenſus commovere*, & medium eſſe excitandi dolores parturientium, aut eos profligandi, uti ſequentibus fuſius dicemus.

Quando jam *obſtetrix* feliciter rem eò perduxit, ut os uteri cum capite infantis in cavitatem pelvis cœperit illabi, infanti porro ſubvenire ſtudeat, omnemque, quam poteſt, operam conferat, qua facilem reddat infanti tranſitum: Ante omnia parturientem *ſuperiori corporis parte curabit aliquatenus elevari*, imprimis aliquandiu morata, antequam os uteri in pelvim inducere potuerit, quippe incommoditatem affert parturienti & angorem, *diutius ita capite ſupinato retrorſum inclinari*, omnibus enim inteſtinis pondere ſuo diaphragma prementibus reſpiratio quodammodo præcluditur, unde maximus angor: ſin autem minus diu reſupinata fuerit parturiens, neque incommoda inde duriora ſentiat, (alii enim homines in hac re firmiores aliis) eâdem poſiturâ aliquandiu adhuc maneat, & obſtetrix il-

li injungat, *ut ſingulis poſthac doloribus intenta, quantum poteſt, cum iis cooperetur*; jam enim dolores mediante capite infantis os uteri magis ſubinde ampliare, caputque ſenſim propellere debent.

Verùm *obſtetrix* hîc jam curam ac diligentiam adhibeat oportet in *ore uteri ſuſtinendo*, ne ſimul cum infantis vertice in ſinum oſſis ſacri delabatur; quod ſi factum fuerit, miſerrima carnificina erit, caput porro deorſum promovere: plurimum enim intereſt, an *caput ſolum* infantis in hunc ſinum immiſeris & traduxeris, an verò *caput & os uteri pariter* inibi concluſa & compreſſa inveneris, imprimis ſi prava adeò ſit poſitura uteri, qualis hæc eſt, quæ maximam affert difficultatem capiti inde producendo: hæc enim uteri poſitura neceſſariò infert, nimirum *citius uterum & infantem pariter delapſuros eſſe, quàm infantem ſolum*, eundemque citius vertice in immobili illo oſſis ſacri curvamine conſtipatum iri, quàm præterlapſurum fore: *obſtetrices* igitur hoc non intelligentes *omnia patiuntur ſimul delabi*, ut ubique fere locorum uſu venit, earumque vix milleſimam quamque hanc rem penitus perceptam habere cenſeo, quapropter *tot egregiis fœminis pleno adhuc ventre moriendum eſt:* Aliæ infantes ſuos morti victimas mactant, qui non poſſunt excludi, niſi aperto prius & excerebrato capite forcipe tandem extrahantur: Alius quidem maximi Arcani ſe inventorem putat, quòd noverit infantem eductore capitis (*tire teſte*) extrahere, ita ut non opus habeat caput omnino excerebrare: id quod correcturus alius *binis* utitur *uncis* oculis, auribus aliiſque capitis partibus injectis, quibus violenter extrahit infantem, cui, ſi vivus adhuc educitur, tamen paucis poſt horis aut diebus moriendum eſt: ne dicam, quæ præterea matri incommoda inferantur: *ecce egregiam obſtetricandi artem!* & hæc quidem omnia percommode fiunt *ſub nomine & prætextu infantis jam defuncti! obſtetrix* ait: *omnem meam curam atque operam contuli, malo mederi non poteram, quamdiu infans alte adeò ſuſpenſus erat:* at rei conſulere neſcia ore uteri adhuc ſuſpenſo, mul-

multo minus expediet, illo jam infrà curvamini ossis sacri affixo; nec *ipsemet Chirurgus obstetricans* melius fœtus producendi consilium adferri novit, præterquam uncis, cultris, forcipibus seu eductore capitis (*tire teste*) infanti vitam adimere, mortuumque sive integrum sive frustulatim extrahere: Et quidnam aliud relinquitur eligendum, quàm quod in usu observari solet? scilicet: *satius esse, unum saltem mori, quàm duos, ideoque infantem, si nondum exspiraverit, occidere & extrahere, ut hoc modo Matri vita servetur:* heu miseram optionem, ubi morte infantis vita matri redimenda est! vah negligentiam! vah noxium *obstetricum* inscitiam! quæ nesciunt parturienti & infanti maturo adesse auxilio: Verùm enim verò quisnam illas accusaret à nullo unquam meliora doctas? *hactenus utique nemo firmis & Mathematicis fundamentis demonstrationibusque hanc Artem ipsis explanavit*; quid igitur mirum, tam crassis eas inscitiæ tenebris involutas mansisse.

Verùm ut triste hoc malum præcaveat *obstetrix, omni studio in id incumbat* oportet, ut *os uteri sustineat*, neque id patiatur delabi, quò solum infantis caput denudatum, nec utero obvolutum deferatur, quod longe facilius postea expeditur & traducitur, quàm si utero adhuc circumvestitum sit, & in sinu ossis sacri fixum hæreat: Quòd si membrana interim loco capitis validius deprimat, eodem modo ac caput illa tractanda nimirum humorum formatura non impedienda; sed os uteri solùm sustinendum est, quod non sinat delabi obstetrix, adhibita cautione, ne membranam dirumpat: propterea semper late satis distendat digitos, oræ saltem oris uteri, non autem membranæ applicitos, idque perseveret agendo, usque dum membrana rumpatur, quo facto caput tractet, ut jam diximus.

Sed videor mihi opponentes audire *obstetrices: quicquid scribas, plurimum tamen interest inter dictum & factum; non semper ad conceptum nostrum res succedit: quisnam omnia accurate adeò internosceret? & licet possemus internoscere, gravidæ tamen nostrates id non ferunt, nolunt illæ tangi præterquam unico,*

vel ad ſummum duobus digitis, ita quidem, ut ne dolorem affe-ras, nolunt enim incommoda pati, opulentæ præſertim, quæ non niſi tactu molliſſimo volunt tractari. Reſpondeo: me non ignorare, quod multum interſit inter dictum & factum, & quòd facilius ſit de hac re literas facere, quàm eam probe perficere: ſatis etiam cognitum habeo: *obſtetrices* hæc mea præcepta ſine accurata attentione & indefeſſo ſtudio non peracturas eſſe: neque me fugit: gravidas molliculas ſatis eſſe, nec placide ferre dolorem, ſibi ipſis parcentes, ſibique ab *obſtetricibus* parci petentes: charitas etiam & æquitas poſtulat, ut *obſtetrices* caveant, ne ſupervacaneis parturientes afficiant doloribus: inſuper certus ſum: me *obſtetricantibus* nihil præcipere agendum, quàm quod fieri poſſe experientia me docuit: denique non ignoro: gravidas, tenerrimas licet, & quantum poſſunt, fugitantes dolorum, plurimas tamen, eaſque præcipue, quæ rationi & ſano judicio locum dare conſueverunt, animo tam æquo eſſe, ſi monſtraveris, in quo verſentur periculo, ut non recuſent tractari modo maxime neceſſario; hac enim ſola ratione ſupervacuos licet effugere dolores: quibus neceſſariò fiunt obnoxiæ, quæ tempore opportuno modoque convenienti auxilium non admittunt: quæ verò operam neceſſariam non admittunt, in eas ipſas damni culpa conferetur, nequaquam autem in eas, quæ operam ſuam pollicitæ ſunt.

Quando jam *obſtetrix* eò rem perduxit, ut membrana rupta, caputque infantis vertice maxime excluſum ſit, tum non opus eſt, ut os uteri, velut antea, ſuprà ſuſtineat, ſed caput ſimul cum ore uteri ſinat delabi ultra oſſis ſacri curvamen, quod facilius jam præterire poterit maxima parte denudatum, quàm ore uteri adhuc veſtitum: ut verò infans porro educatur, obſtetrix rurſum ambabus, ut ab initio, manibus utatur, alterâ ſcilicet intrinſecus, alterâ extrinſecus applicatâ; huic operæ iterum, adhibeat *judicium*; non quidem, ut antea tradidi, præteritis ſingulis doloribus laborando, ſed *contrario prorſus modo*, quippe *jam cum laboribus cooperandum eſt, atque ceſſandum, maxi-*

ma-

ma dolorum efficacia ceſſante: quare non ſolùm ipſamet *obſtetrix* dolores obſervare; ſed & parturientem ad idem cohortari debet, ut non ſolùm cooperetur, ſed & omni niſu, quoad poterit, in cooperando perſeveret: eum in finem ſingulis vicibus obſtetrix, quamprimum irruentem ſentit novum dolorem, parturientem ejus commonefaciat, ut conjunctis viribus infans promoveatur, idque ſequenti modo: *Obſtetrix altera manu in vaginam uteri immiſſa* dorſo ſeu averſa ejus parte ad inteſtinum rectum converſa, digitorum apices, quouſque poteſt, ſubter caput infantis intrudat, (caute tamen, ne caput nimium prematur) tum manum ibi teneat immotam, donec dolor irrruat: *alteram manum extrinſecus abdomini* parturientis imponat, eo circiter loco, quo fundus uteri latet; & quando jam dolor irruere incipit; ipſa ſimul incipiat utraque manu cooperari, manu ſcilicet intra corpus leniter deprimat, nimirum contra oſſis ſacri acumen, quod retrorſum premendum eſt; altera manu extrinſecus uterum leniter reſupinet, ſimulque deorſum premat; *leniter* inquam, ad proportionem nempe doloris ab initio paulatim vigeſcentis, qui uti parturientem ad laborandum ſucceſſive fortius incitat, ita & *obſtetrix* fortius ſubinde deprimere debet.

Sed notandum: quòd hæc *depreſſio externa* nunquam debeat eſſe *vehemens aut violenta*, ſed ſemper *moderatiſſima*; depreſſio autem altera manu *intrinſecus* facta *cum robore* fieri debet, adeò ut *obſtetricem* quidem omnes nervos in eam depreſſionem contendere oporteat, his tamen conditionibus: *primò:* ut depreſſio illa vehemens ſolummodo adhibeatur, quamdiu parturiens ſummo doloris vigore ad laborandum concitatur: dolore verò ceſſante ceſſet & depreſſio: *ſecundò:* depreſſio illa fiat æqualiter manu averſa, non autem nodoſis manus articulis prominentibus: *tertiò:* manum, quàm poteſt, latiſſime diſpandat, ut æqualiter ubique apprimatur: his probe obſervatis omnes quidem vires adhibere poteſt *obſtetrix*, nequaquam ſollicita, ſe parturienti nocituram, quinimo rem gratiſſimam ipſi afferet.

At

At verò secum forsan quis cogitabit: *Nonne obstetrix hac ratione parturientem dilacerando læderet? aut intestinum rectum adeo comprimeret, ut illud vel tandem emoriatur?* siquidem plura testantur exempla, sive muliebria parturientium ad intestinum rectum usque, sive os uteri dirupta esse: sed respondeo: modo suprà dicto id fieri non posse: dirumpuntur autem muliebria aut os uteri, si obstetricantes intruso in os uteri aut muliebria utriusque manus digito omnibus viribus incaute distrahunt, & ita partes illas dilacerant: sed in ejusmodi depressione generali id non est, quòd timeas.

Porro *obstetricibus* probe observandum est: non satis esse, dicto modo os coccygis omnibus viribus retrorsum premere, sed simul *inter deprimendum manum attrahere debent*, & sentiet, caput infantis singulis doloribus validis aliquatenus promotum iri, & successive prodituram: manum ita attrahentes, eandem simul quidem incumbenti infantis capiti subducunt; sed hoc nihil refert, modò eandem, quamprimum vigor doloris tranfiit, mox iterum immittant, digitosque capiti rursum supponant, *singulis vicibus simul cum dolore depressionem & attractionem reiterantes:* hoc rite facto experiuntur, quantum inde spatium suppeditetur, quàmque januam quasi aperuerint capiti infantis ad delabendum; cui rei etiam non minus inserviet manus *extrinsecus* deprimens, abdomini imposita, infantemque cum utero fortiter propellens: etenim ratio observatu digna, cur scilicet infans tarde adeò progreditur, hîc loci non sita est in angustia oris uteri, neque pelvis, sed in eo potius, *quòd dolores non commode impressionem facere valeant*, infansque in superiore uteri parte adeò coarctetur, unde tardus ille progressus durat, usque dum superius infantis corpus superius illud sinuosum curvamen præterierit, quo facto infans facilè prorumpit & excluditur.

Quamprimum jam obstetrix infantem gremio excepit, venam umbilicalem aut ipsamet debet præligare & abscindere, aut alii id faciendum committere; *ipsa* verò *ocyus manu in uterum immissa secundinam extrahat, uterumque in locum genuinum redigat;*

digat, adhibitâ curâ, ut *is rite contractus probe claudatur*; quo non bene procurato puerperæ uterus ſanguine ſæpe impletur, qui demum conglobatur & concluditur, unde facilè *delirium*, *inſomnia*, *continua febris*, *immodicus ſanguinis fluxus*, & *denique mors infertur*, quæ plerumque ingenti labori imputatur, quum revera ſæpius *ex neglecta uteri purgatione & minus curata conſtrictione* provenerit: equidem non ignoro, & alias dari mortis cauſas, ſed ſatis cognitum etiam habeo, ex dicta ſæpius cauſa illam originem trahere, quam mortis cauſam *prudentes obſtetrices* circumſpecta rerum tractatione facilè poſſunt auferre.

Obſtetricis eſt, ut poſt extractam ſecundinam manu denuo immiſſa *uterum lente reſupinet*, & *deorſum quodammodo ferat*, tam diu morata, donec circa manum conſtringatur uterus, niſi inſtar afferis nimium rigeat, uti nonnunquam, ſed rarò, contingit: tunc non morandum eſt, donec uterus claudatur; ſed *puerpera ſtudioſe obſervanda*, an mala forſan ſymptomata poſtea indicent, uterum conglobato ſanguine exonerandum eſſe: at ſi vulgari craſſitie ſit uterus, facilè & ſine mora imò commodius contrahitur, quàm *extreme tenuis*, *qui circa manum inſtar madidi lintei vel mille plicis concidit:* utero circa manum clauſo ea extrahenda, ſimulque egerendum eſt, quicquid alieni adhuc reſiduum eſt, ut omnino purgatus ſine impedimento plane claudatur.

Hactenus *obſtetricibus novitiis* tradidimus: quid agendum ſit, ſi ab initio ſtatim vocentur ad parturientem, *cujus uterus pronus in abdomine propendet*, ut, quantum quidem poſſunt, infantem *more conſueto ſine verſione* excludant: At ſi fortè *obſtetrix* per ignorantiam omnia hæc præcepta neglexerit, & inter multas cunctationes titubationeſque eò res pervenerit, ut uteri pars acuminata ſeu inferior in pelvim illapſa ſit, atque os uteri cum capite infantis in curvum oſſis ſacri ſinum perruperit, ibique conſtipetur, ſi in hoc rerum ſtatu membrana rupta ſit capite infantis parum adhuc denudato, ſi parturiens inter multas cunctationes

jam defatigata sit; tum quæritur: *quidnam obstetrici arcessitæ in hoc rerum statu agendum sit*? Ego respondeo: quòd ad partum ejumodi parturientis absolvendum *Viri* potius quam fœminæ auxilium requiratur; quapropter eam *perito cuidam obstetricanti Chirurgo* tradi præstaret; etiamsi non diffitear, *expertam etiam obstetricem* nonnunquam huic operæ parem esse posse.

Jamjam suppositimus: *infantis caput parum adhuc denudatum esse:* præterea suppositimus: *infantis caput in curvo ossis coccygis sinu fixum quasi hærere:* exinde concludendum est: infantem hîc loci in os uteri aperiendum impetum facere non posse; *situs* igitur *uteri mutandus erit:* quapropter parturiens disponenda cubitu *obstetricanti* non incommodo, sed apposito & conveniente: eum in finem parturientem *obstetricans* in grabato seu lecto humili, aut super aliquot pulvinos humi stratos collocet, *ut procumbat genibus prono & demisso capite*; cubiti suffulciantur tot pulvinis, quot ad sustinendum & immobiliter innitendum exiguntur: convenienter id fit, si innitatur *fulcro sedilis inversi*, pedibus sedilis (jam sursum tendentibus) parieti aut spondæ cuipiam oppositis, ut parturiens corpus obfirmare valeat, ne moveatur, quòd facilè contingeret, nisi ejusmodi fulcro instructa foret.

Parturientem ita capite prono & demisso genibus provolutam collocamus, ut mediante hoc cubitu *uterus proprio pondere in imum ventrem deferatur*, & consquenter *se ipsum è curvo isto ossis coccygis sinu propipiat*; quod ut eo citius & commodius fiat, *obstetricans* manu seu digitis in vaginam *pone* inter intestinum rectum & caput infantis immissis uterum deprimat, donec os uteri eousque repellatur, ut spatium suppetat idem os manu sustinendi, ne delabatur, utque capiti infantis locus detur faciendi depressionem in os uteri, ejusque aperiendi, quò tandem magna parte denudetur, neque tamen permittatur, ut os uteri iterum in sinum ossis coccygis delabatur: utero tandem cum infante eousque repulso *obstetricans Chirurgus* porro infantis plenam exclusionem eo modo perficere potest, uti supra *obstetricibus* tra-

tradidimus, id quod temporis redimendi gratia hoc loco non repetemus.

Quamvis autem infantis excluſio hoc modo concipiatur, & nonunquam à *perito Chirurgo obſtetricante* perficiatur, ſi nimirum parturienti ſufficientes adhuc vires & dolores ſuppetant; eam tamen & alia ratione experiri licet, ſi metuendum ſit, ut parturiens ad abſolvendum proſpere partum viribus & doloribus deſtituatur: idcirco parturiente ut antea collocata, uterum (uti dictum) depreſſum *obſtetricans* porro, quantum poteſt, repellat, donec os uteri ſurſum in amplius pelvis ſpatium reductum commodius aperire manu, eamque immittere poſſit, *qua capite infantis ſemoto pedes quærendi*, neque ceſſandum eſt, donec eos invenerit, verſoque infante in oſtium produxerit, digitis pedum, quantum poteſt, deorſum ad matris inteſtinum rectum converſis: Pedibus jam in oſtium productis non opus eſt, ut parturiens porro capite & ſuperiore corpore prono decumbat; ſed verſa & reſupinata ſe præparet ad valide deprimendum, quum res poſtulaverit: *Obſtetricans manu interea intra corpus ſemper infantis pedes tenens*, jam eos attrahere debet, quoad clunes venterque excluſi ſint; tum *infante probe apprehenſo*, *altera manu ventri ſuppoſita*, *altera autem tergo injecta* parturientem, ſi dolorem non ſentiat, jubeat, ut ſe gerat, quaſi dolore concitaretur, ſcilicet *omnibus viribus deprimat*, *quaſi infantem enixura*, quod dum illa præſtat, *obſtetricans* continue (attamen lente) trahere debet, ut hoc modo caput pariter cum brachiis excludatur.

Cognito jam, qua ratione parturiens adjuvanda ſit, cujus uterus *pronus nimium propendet*, cujuſque infans *recte*, id eſt, *capite prævio* in oſtium tendit; porro videndum quoque erit: qua ratione uterus ejuſmodi propendulus tractandus ſit *infantibus in eo prave poſitis:* Quemadmodum enim prava infantis verſio in qualicunque uteri poſitura locum habet; ita etiam in hac locum habere poterit, ſiquidem manus, pes, cubitum, vena umbilicalis, mentum, aut facies, clunes, aut aliud membrum

prævium prodire nonnunquam poterit; quare neceſſe eſt, *novitias obſtetrices* noſſe, *quibus indiciis pravi iſti infantum ſitus internoſcendi ſint:* præterea: *quid ad tales infantes oblique praveque ſitos expediendos agendum ſit.*

Ne verò in hac materia nimis prolixus ſim, paucis dicam: varios iſtos infantum ſitus *tactu* dignoſci poſſe, ſicut alibi traditum eſt: eodem enim modo ſitus infantum internoſcitur in *obliquo*, ac in *recto* utero: neque etiam in hac uteri poſitura diu hæſitando opus eſt, quodnam præciſe membrum in oſtio prævium exhibeatur, ſatis eſt, ſi *obſtetrix* obſervaverit, caput non exhiberi, ut ſciat, *pedibus* infantem extrahendum, & proinde tempus non otioſe terendum eſſe, ſi ſe ipſam huic operi parem judicare auſit; alioqui *expertus Chirurgus obſtetricans in auxilium vocandus eſt*, qui hoc effectum reddat, dum vires matris & infantis adhuc vigent, membranâ nondum ruptâ, uteroque adhuc in ſuperiore pelvis parte ſuſpenſo: fœminâ igitur in ſella parturientium collocatâ, ita ut in anteriore parte culcitræ ante latius patentis erecta ſedeat, ipſe manu in vaginam immiſſa os uteri ita diſponat, ut ad aperiendum aptum ſit, quod jam multo commodius aperitur, quàm ſi caput infantis prævium ſit: quo facto unum primò aut duos, deinde tres & ſucceſſive quinque pariter digitos in os uteri ingerat, eoque ampliato in uterum penetret: tum membranam dirumpat, aut, ſi ſatius cenſeat, moretur, dum ſua ſponte rumpatur, porro quæſitos pedes in oſtium producat, curans ut digiti pedum ad matris inteſtinum rectum converſi ſint, & ita tandem infantem extrahat modo ſuprà dicto de hac poſitura uteri obliqua.

Sed quæret forſan quiſpiam: *Cur in hac obliqua uteri poſitura mox ſuadeam infantes pedibus potius extrahere? & cur infantes caput prævium exhibentes non item mox pedibus extraham?* quum talium infantum excluſio in ejuſmodi prave ſito utero tam difficilis & periculoſa ſit? ad quæ reſpondeo: in hac prava uteri & infantum poſitura facilius infantis verſionem ſuccedere, quàm ſi caput prævium fuerit, infanti item, ſi caput aut pedes præbeat,

beat, commodiſſimum concedi tranſitum; præterea quamvis (ſecundùm novas haſce demonſtrationes meas obliquæ uteri poſituræ) verum & infallibile ſit, *tutius ſcilicet & facilius ab initio ſtatim laborum infantem verſum pedibus extrahi*, (etiam caput prævium prodeat) quàm permitti, ut capite prævio prodeat; ſuprà tamen etiam propoſui, infanti capite prævio prodeunti progreſſum concedi poſſe, *ne ſtatim ab uno extremo ad aliud tranſeam, aut uno quaſi ictu omnem Veterum ſtructuram deturbarem*; præſertim quum hic ipſe obliquus uteri ſitus inter quatuor poſituras maxime inconvenientes commodiſſimus adhuc ſit, & infans concurrente fideli auxilio vivus adhuc excludi poſſit, licet plurimi auxilio deſtituti pereant.

Verùm enim verò ut plane & aperte profitear, quod res eſt, uti ingenue verum dicere decet, *etiam ſi propriæ praxi id diſſentiat*, præclare eloquar cogitata mentis: ſcilicet, *quòd in quacunque uteri obliqua poſitura tutiſſimum, promptiſſimum minuſque dolorificum cenſeam partum accelerare infantes pedibus extrahendo, idque in principio ſtatim laborum, ante vel mox poſt effluvium aquarum, quamprimum certus ſis, parturientem genuinis pariendi doloribus laborare:* quòd ſi hac methodo procederetur, uti vel tandem aliquando factum iri confido, incredibilis ſane multitudo mulierum & infantum, aliter pereuntium, ſervaretur: Denique addendum eſt: obliquam hancce uteri poſituram commodius adhuc admittere excluſionem infantis, *prævio capite prodeuntis*, quàm ſequentes, ubi uterus in alterutro latere ſitus eſt, aut ad lumbos apprimitur.

CAPUT XLVII.

De partu difficili, ex utero ſpinæ dorſi nimis appreſſo.

EXperientiâ ego edoctus ſum, & eâdem magiſtrâ omnes veritatis ſtudioſi *obſtetricantes* erudientur: *uterum loco nativo emotum nimium ſæpe reſupinari, aut ad ſpinam dorſi adigi,*

unde os vel oſtium ejus non ſolum alte nimis in ventrem elevatur, ſed & adeò obliquatur, ut *vaginæ recto tractu non amplius reſpondeat*; ſed contrà ſuperior vaginæ pars eouſque inflectitur & incurvatur, ut potius figuram *normæ triquetræ*, quàm *lineæ rectæ* referat plus minus, prout ſcilicet uterus ſpinæ dorſi plus minus apprimitur, lumbique parturientis plus minus ſinuoſi ſunt.

Prava hæc uteri poſitura præternaturalem & difficilem partum neceſſariò inducit, niſi *prompta ſolertique manu ſtatim ab initio* parturiens & infans in integrum reſtituantur: quapropter *obſtetricem* ſummo ſtudio & attentione *primo ſtatim tactu* oportet percontari, num pravam hujuſmodi poſituram uteri ſentiat, ut *primo ſtatim laborum impetu* matri & infanti auxilio ſit, nec longas nectat moras, uti plures *imprudentes* ſolent *obſtetrices*, quarum culpà, quòd hujus incommodi ignaræ ſint, mater & infans non rarò occumbunt.

Id ſcire volo *obſtetrices novitias*, quòd ſcilicet è poſitura uteri prius monſtrata neceſſariò ſequatur, *caput infantis*, *quàm quidem poteſt*, *optime verſi in oſſa pubis impingere*, dum enim egredi infans allaborat, tam à propriis conatibus,, quàm doloribus valde deprimentibus in hoc rerum ſtatu ad oſſa pubis violenter adigitur, ubi mollius capitulum hærens quodammodo infringitur, & magis ſubinde imprimitur, unde, quia non poteſt in cavitatem pelvis delabi, etiam mater infantem eniti nequaquam poteſt, niſi caput prius inde remotum in cavitatem pelvis inducatur.

Non rarò parturientem biduum triduumve, quin & quatriduum laborare, neque tamen partum eniti contingit, & quod plus eſt; primis nonnunquam diebus *dolores maxime vigent*, ita ut irritis defatigata laboribus *infanti animam inſcienter extinguat*, cujus rei culpa in inſcitiam *obſtetricis* conferenda eſt: denique *nullo fere aut languido doloris impulſu infans mortuus ſponte quaſi excluditur*, ſed ſingulari Dei providentia id fit ad conſervationem matris, quæ aliàs plerumque ſimul occumbit, & moribunda ſæpe fœtum edit exanimem.

Quò

Quò verò *obſtetricibus novitiis* innoteſcat hujus rei cauſa, & qua ratione præcavere poſſint, diligentius ea explananda erit: *Imperitæ Obſtetrices* parturientem tactu explorantes, quando capitulum infantis, utpote oſſibus pubis impactum, non ſentiunt, parturienti ejuſque cognatis præſentibus dicere ſolent: *infans nimis adhuc ſuſpenditur, ut tactu aſſequi non valeam, opus eſt, ut prius delabatur:* ſicque infantis deſcenſum præſtolantur, qui tamen delabi nequit: Vel: Situm infantis tactu percontantes, ſi per intermedium uterum rotunditatem quandam & duritiem ſenſerint obviam, quam non male pro capite habent, tum dicunt: *infans bene verſus eſt:* tumque dolores ſolùm efficaces exſpectant, quibus infans propellatur; ſed ſpes illas fruſtratur, ignorantes, caput infantis ad oſſa pubis hærere, unde neque matri neque infanti ſunt auxilio, quare non rarò ob iſtam inſcitiam utrique occumbendum: Hæc inſcitia inde potiſſimùm originem trahit, quòd tactu non poſſunt clare internoſcere uterum & vaginam, neque os uteri probe diſtinguere à partibus infantis ad excluſionem præviis, ſive à membrana humores continente; quum tamen *obſtetricis* ſit, ſingulas partes rite dijudicare poſſe; tum certe non ignoraret, ubi & quomodo infans ſitus ſit, ac conſequenter prompte & omni mora rupta auxilium ſubminiſtraret.

In hoc pravo uteri ſitu, de quo nobis hîc ſermo eſt, *obſtetrix probe attenta os uteri aut omnino non aut parum ſaltem tangere poterit*, niſi jam late ſatis pateat, atque tum adhuc aliquam ſaltem circuli partem attingere licebit; capite enim infantis ſuprà in oſſa pubis impactum erit: tota ergo ſuperior oris uteri ora prorſus non poterit tangi digitis, utpote qui inferiorem ſolùm oris aperti partem aſſequi valent: atque tum ii *prudenter* adhuc & *caute* inter cervicem veſicæ & os uteri immittendi ſunt: *obſtetrix* enim digitos poſticam verſus ad inteſtinum rectum intrudens nil niſi *ſaccnlum clauſum* offendit, & parum validius premens præ inſcitia facilè ſibi perſuadet, infantis ſe capitulum ſentire, non dijudicans, utero adhuc tectum eſſe, ac ſe fruſtra ejus deſcenſum

præ-

præſtolari: *Obſtetrix ſagax* in hoc rerum ſtatu *proxime cervicem veſicæ ſentiet oram aliquam lunatam*, quæ oris uteri eſt, quòd ſi digitis illac penetraverit, etiam *capitis partem duram, globoſam, lævemque* ſive *verticis aperturam* ſentiet, unde certo colligere poteſt: *infantem pariter cum utero ſpinæ dorſi nimis apprimi:* quum igitur certo certius ſit, quo magis infans ad hæc oſſa à doloribus apprimitur & conſtipatur, eo difficilius inde removeri, imò cerebrum quidem infringi poſſe, ut ſubita morte pereundum ſit ipſi, abjecta omni cunctatione infanti ſuccurrendum erit, hiſce ſequentibus obſervatis:

Primò: Quamprimum *obſtetrix* pravum hunc ſitum obſervaverit, parturientem prohibeat, *ne valide cum doloribus allaboret*, ſed iſtos potius ſuſtinendo prætermittat, uſque dum ſitus infantis correctus ſit, obſtetrixque denuo laboris commonefaciat.

Secundò: Jubeat *obſtetrix* parturientem (ſi quidem poteſt) è veſtigio mejere, ut veſica exoneretur, nec periculum ſit preſſione ejus lædendæ: (ſive illa preſſio fiat à capite infantis, ſive *obſtetricantis* manu, dum capite infantis extricando occupatur) quòd ſi pauciores adhuc & minores dolores parturientem urgeant, ac membrana nondum rupta ſit, *leni* etiam *clyſtere alvum ciere licet*, ut omnia prius obſtacula, quantum fieri poteſt, removeantur.

Tertiò: Parturientem *obſtetrix* convenienti poſitura collocet, quò auxilium commode ſubminiſtrare queat: nimirum *in ſella perforata plane primùm reſupinetur*, in principio ſcilicet, ſi infans oſſibus pubis nondum valide appreſſus fuerit: aliâs conducibilius foret, ſuperiorem corporis partem demiſſius collocare, quàm inferiorem, quò uterus cum infante facilius retrocedat.

Quartò: Obſtetrix digitis alterius manû (ejus ſcilicet, quæ rei maxime accommoda foret) *oram oris uteri caute prehenſam poſticam verſus ad inteſtinum rectum premat ſive trahat:* attamen hoc non prius aggrediatur, quàm alteram manum abdomini parum ſupra oſſa pubis oppoſuerit, tunc facilius ſuccedet opus

opus ambabus simul manibus operanti: externa scilicet manu caput infantis parum retrudat primò, & mox deprimat; interna verò manu os uteri retrahat ad intestinum rectum itidem deorsum: quum jam senserit, caput infantis cum utero aliquatenus loco moveri & delabi, moneat parturientem, ut erigat corpus superius, ita tamen, ut ne inferius moveatur; id est, se ipsam incurvet, & pronam, quoad potest, inflectat, *quasi se erigeret, & ad dejiciendum conquiniscere:* interea *obstetrix* curam intendat, ut manûs dicto jam modo probe locatas contineat: parata (dum parturiens inflexu corporis infantem cum utero à tergo levat & propellit) ad caput antè deprimendum, quò rectà in cavitatem pelvis delabatur.

Quintò: Capite jam expedito, & ab offendiculo vindicato *Obstetrix parturientem moneat, ut jam doloribus intenta, quantum potest, cum illis allaboret* ad propellendum porro infantem penituque excludendum; quapropter eandem sinat laborare corpore ut plurimum ad sedendum composito, aut in genua etiam provolutam cubitis commode suffultis.

Sextò: quòd si verò infans jam dudum ossibus pubis impactus hæserit, antequam *obstetrix* advenerit, vel: si illa parturientem cum infante insciti alius *obstetricis* neglectam in misero hoc statu inveniat, *supinam retrorsum omnino inclinet, capite demisso, & corpore aliquatenus elevato, tentetque modo suprà dicto caput infantis deprimere*; sed curam intendat oportet, ut non solùm superne deprimat, sed *prius parum retrudendum & tum simul deprimendum est*, nam ossa pubis nonnunquam impressionem seu strigam in caput infantuli faciunt, qua de causa id non deprimi potest, quin lædatur, nisi prius parum retrudatur.

Septimò: Si forsan in hoc situ membrana jam rupta, & ore uteri latius ampliato caput infantis non parum denudatum sit, *obstetrix* missâ uteri orâ *digitos inter caput & ossa pubis intrudere*, & quodammodo superiori capitis parti, seu altius superiori oris uteri oræ applicare, & hoc modo caput simul cum ore uteri deorsum trahere studeat.

Duo potiſſimùm hîc & in quovis partu difficili requiruntur: *Sanum ſcilicet judicium, & conveniens rerum leniter prompteque tractandarum actio:* ubi hæc inveniuntur, ibi & Benedictio Divina præſto eſt; Deus enim dona ſua coronat: quicunque autem ſine genuina rerum cognitione & ſine actionibus convenientibus omnia à Benedictione Divina præſtolantur, negligentes, quæ facienda erant, ii Deum tentant, & officio ſuo deſunt: Equidem fateor, nos partum naturalem efficere non poſſe, Deus dolores vireſque ſuggerit, cui etiam pro omnibus debetur gloria: quemadmodum Ipſe nobis victum & amictum ſuppeditat, fruges ac muſtum producit maturatque: At verò Agricola & Hortulanus, qui tempore ſementis dormiens ſerere negligit & plantare, poſtea non habet, unde meſſem faciat: aut qui, quod ſevit & plantavit, non ſarrit, nec putat, nec rigat, nec alia neceſſaria ſuppeditat, eidem & nulla emolumenti vel benedictionis divinæ ſpes eſt: ita etiam parturiens ſive opera & adminiculo humano interdum eniti non poteſt: is namque effectus eſt maledictionis divinæ; hæ pœnæ mulierum, ob tranſgreſſionem illis à Deo conſtitutæ: neque hoc ipſo Potentiæ Divinæ derogatur, Qui omnia poteſt, quæ vult, ſed non omnia vult, quæ poteſt: & Qui dignatus eſt nobis iſtiuſmodi moleſta negotia injungere, ut hoc modo hujus patientiam, illius verò induſtriam charitatemque, in quoſdam item judicia ſua ſimul exerceat, quibus omnibus ſuam ſibi gloriam vendicare novit.

Verùm ſi forſitan infans nimium comprimatur, caputque prægrande fuerit, ita ut ſine multo labore in cavitatem pelvis induci nequeat, ac diutina potius carnificina expectanda ſit, quàm exoptatus enixus, uti hoc rerum ſtatu fieri ſolet, ego ſuaderem *allaborare*, (antequam extremum imminet periculum) *ut pedes aſſequi valeat*; ſed iſte labor *Viris* potius competit, quàm mulieribus; quapropter, niſi *obſtetrix* alacriore judicio ac prompta validaque manu gaudeat, hoc opus *perito Chirurgo obſtetricanti* committat oportet, qui partes mulierum internas penitius no-

novit, quàm plerumque *obſtetrices* ſolent: dixi, quòd *ſuaderem allaborare:* in ejuſmodi enim infantis poſitura excluſio non niſi cum labore, eoque difficili ac moleſto perficitur, idque ob tres haſce rationes.

Primò: Quia in hoc caſu *os uteri* plerumque *minus apertum eſt*, lenta vi demum aperiendum; *lenta vi* inquam: nimia enim feſtinatione parturiens excruciatur, proinde *manus probe inungenda eſt*, unuſque primò, deinde plures digiti in os uteri intrudendi, ac inibi ſenſim diſtendendi, ut plus ſpatii acquiratur: porro quinque pariter digiti immittendi, itidemque diſtendendi ſunt; denique ad brachiale uſque intrudenda manus, eamque diſpandendo & reſtringendo orificium uteri magis ſubinde dilatandum eſt, prout ſcilicet id commodius effici ſentitur: caput infantuli, quoad poteſt, ſubinde retrudendum ac ſemovendum, tum ulterius in uterum ſenſim penetrandum eſt, adhibitâ curâ, ne infans uteruſve lædatur: digitorum etiam ſenſu internoſcendum eſt, *an inter membranas ſecundinæ & uterum manus verſetur*, an inter infantem & ſecundinæ membranas; nam *ſi inter ſecundinam & uterum verſetur, cave ulterius promoveas illam*, ſed parum retractam inter ſecundinæ membranas & infantem immittito, quando nimirum in fundo uteri pedes quærendi ſunt: & diligenter advertendum, ut *ab uteri orificio uſque in ipſius fundum manus proxime infantuli corpus inſeratur*, ſic enim uteri lædendi minus periculum eſt, & per commoda occaſio datur partes infantis dignoſcendi, ut pedes certius invenire poſſis: membranam etiam ab initio hujus inſtituti (ſi nondum rupta ſit, ac nihilominus veri dolores urgeant) digitis dirumpere non dubitet *obſtetricans*, ſi nimirum tempeſtivum ſit: equidem humores augeri convenit, quoaduſque os uteri iis dilatari percipiatur; interim ad quemvis doloris impetum caput, quoad poteſt, ſemovendum; tum ſtatim poſt ruptam membranam manus immitti poteſt: ſin percipiatur, quòd humores impreſſionem non valeant facere ad aperiendum os uteri, tunc illud *obſtetricante manu* aperiendum eſt, eoque ſatis aperto membranarum diruptione aquis pro-

rumpendi locus dandus, ac ſtatim exadverſo, uti dictum, manu juxta corpus infantuli immiſſa pedes quærendi ſunt.

Secundò: Quemadmodum multi laboris opus eſt, anguſtum os uteri, quod nondum ſatis patet, aperire; ita ſane haud minus negotii faceſſit anguſtum uteri *capite inſuper infantis obſeſſum*, ſi per illud in fundum uſque penetrare velis; unde non eſt, quòd mireris, quum non niſi multo labore & patientia pedes invenire noveris.

Tertiò: Experieris, *longitudinem viæ* ejuſque *flexum obliquum* à pudendo muliebri in fundum uſque uteri (in ejuſmodi vaſe occluſo ubi exiguum adeò ſpatium datur, & vehemens compreſſio urget) laborem perdifficilem reddere: anguſtum enim & flexuoſum iter difficilem concedit tranſitum.

Quartò: Adde & hanc difficultatem, quòd ſcilicet *brachium*, cujus manus operam hanc præſtat, *junctturam ſeu flexuram non habeat*, & propterea circa medium viæ flexuoſæ ad ejus curvamen ſe minus accommodare poſſit, item, quòd *oſſa pelvis brachio* etiam *non cedant* aut flectantur, unde brachium ſæpius adeò comprimitur, ut obſtupeſcat ſenſuque deſtituatur, aut adeò cruciatur, ut aliquandiu ab opere abſtinendum ſit, brachiumque alio loco ponendum; quare hæc opera non immeritò *labor* appellatur; *validiſſimus* enim *Chirurgus obſtetricans* in hac uteri infantiſque poſitura leviter etiam veſtitus frigore hyemis intenſiſſimo ita laborare poteſt, ut capilli madeant ſudore.

Quòd ſi jam ad alterutrum aut ambos pedes perveneris, ii detrahendi ſunt, niſi brachiis impliciti, aut crura tranſverſim ſibi invicem impoſita ſint; iſta igitur membra diligenter perſcrutanda ſunt, quæ niſi diſtingueres, brachium nonnunquam aut crus facilè frangeres, uti hoc infortunium nonnulli habuere. Maxime conveniens eſt *ambos pedes ſimul detrahere*, (ſi conjunctos invenias) ſemperque, ſi poſſibile ſit, *digitos eorum faciem verſus convertere:* at nonnunquam alterum ſaltem pedem invenire & detrahere licet, quod utique faciendum eſt, quia tum ſpes eſt, & alterum (ut plerumque fit) eò facilius inveniendi;

endi: Sin verò difficulter eum invenire poſſis, *prior pes alligandus eſt injecto poſt calcem linteo quatuor digitos lato*, quod manu extra corpus contortum tenetur: tum iterum manus ſecundùm ductum cruris inventi aſcendit, probe ſcilicet obſervato, *dextrumne an ſiniſtrum pedem prium acceperis*, hac enim ratione cognitum habebis, an dextrâ an ſiniſtrâ alter pes commodius protrahi, aut qua ratione perſcrutans manus aptius dirigi poſſit. Si pedem jam inventum (ſive rectum ſive inflexum) examinaveris *digitis ſuis*, facilè dignoſcere poteris, an dexter adhuc quærendus ſit, an ſiniſter, is enim *halli* latus neceſſariò claudet, ſeu interiorem pedis partem: ideoque *dorſum* (ſeu exterior pars) *manûs* ad inquirendum alterum pedem adhibendæ inter immittendum *debet converſum eſſe ad interiorem pedis partem*, & hoc modo aſcendat ad clunes uſque aut ventrem infantuli, ubi neceſſariò alterius pedis principium datur; inde porro ductu femoris ad crus, & denique ad inferiorem pedem deſcendendum eſt, qui acceptus quamprimum in oſtium deducatur modo poſituræ infantuli maxime accommodo: *nec quicquam violenter, ſed omnia via naturali caute peragenda ſunt.*

Quòd ſi jam binis pedibus in oſtium productis invenias, *illos prave ſitos* eſſe, digitis ſcilicet ſurſum, calcaneiſque deorſum verſis, ab eo tempore cogitandum eſt *de lenta inverſione infantis*, quæ fit, dum pedes ſenſim extrahuntur; altera ſcilicet manus ſubter infantis corpus, quoad poteſt, in altum promota inter extrahendum *torquendo* adjuvat, donec vel tandem infantis venter digitique pedum deorſum vergant, tunc enim caput infantis in tanto periculo non verſatur, ut *mento adunco* in oſſibus pubis hæreat, quin potius facilius tranſire poteſt: pedibus infantis ventreque ad uſque pectus excluſis *neutiquam opus eſt*, (ut alii Scriptores tradunt) *brachiis ſucceſſive detrahendis deſudare*; ſed altera manus tenet pedes, dum altera ſubter ventrem pectuſque, quouſque poteſt, penetrat; aut, pedibus *obſtetricantis* gremio inſidentibus alte-

ra manus ſuprâ, altera infrâ corpus leniter, at probe tamen, comprehendat: tunc parturiens exhortanda eſt ut omnes nervos intendat ad enitendum infantem, *ſive dolores ſentiat ſive non*, ii jam non præſtolandi ſunt, ſed parturienti demonſtrandum, ipſius labore vel depreſſione infantem jam temporis puncto excludi poſſe, data ſpe certa, partum mox abſolutum iri.

Obſervato, jam parturientem omnes nervos intendere, impetumque in infantem facere, & *obſtetrix* indeſinenter eum detrahere debet, unde tandem partus abſolutus ſequetur: ego utique infantum excluſionem hac ratione ſemper abſolvi, ita ut ne ullum quidem caput in orificio hæſerit, nec ulli corpori infantuli, ne emortuo quidem & jam male olenti caput à collo avellerim, ſed infantes hac ratione ſeu vivos ſeu mortuos nunquam non integros extraxerim; quum contrà alii Scriptores (uti ipſimet fatentur) ſæpius truncum à capite avellerint: quòd ſi forſan difficilius res ſuccedat, quàm plerumque ſolet, digito inferne intruſo meatus dilatari aut eodem indito in os infantuli ſenſim is attrahi poteſt: itidem ſi caput ægre tranſeat, (quod tamen rarò contingit) *alterutrum quidem brachium detrahere licet*, & porro caput dicto modo expedire; at *nunquam utrumque brachium detrahendum eſt*, nam plura id incommoda, quàm commoda importaret.

Ne mireris quæſo, benevole Lector, caput cum binis brachiis ſimul oſtium pertranſire poſſe, minus periculoſa hæc methodus eſt quàm vulgaris; prius enim brachiis ſecundùm corpus detractis, quid aliud niſi ori uteri anſa datur, ut inſtar tendiculæ ſive laquei circa collum infantis contrahatur, & caput compreſſum retineat? quod fieri non poteſt brachiis ab utroque capitis latere ſitis, neque brachia ab utroque capitis latere tantum craſſitiei aut impedimenti afferunt, ut plerumque putatur; temporum enim planities iis locum concedit, & anguſtia oris uteri, tanquam partis extenſivæ aliquatenus adhuc laxari patitur: Ego ſane hanc methodum optimam duco, ac aliis

aliam


Fig. 34.
a
a
b
b
k
h
c
c
d
d
i
l
e
e
f
f
g
g



Fig. 35.



aliam liberam relinquo: Et quia *obstetrices* hujus posituræ periculum ægre sibi concipere censeo, nisi expressa ipsis præsentetur, ideoque clariorem ejus ideam capere possunt inspicientes 34. 35. & 36. *Figuras*, quæ hîc succesſive subsequuntur.

Explicatio 34. 35. & 36. *Figuræ.*

Fig. 34.

a a Duæ Vertebræ.
b b Circumferentia designans ventrem.
c c Ambitus uteri.
d d Ossa coxendicis.
e e Ossa pubis.
f f Acetabula, in quibus versantur capita ossium femoris.
g g Ossa sedentaria.
h Infans in utero, tergo matris plane incumbens, tergo suo oculis aspicientium obversus, capite in ossa pubis impingens.
i j i Vena umbilicalis.
k Secundina sive placenta uteri.

Fig. 35.

a a a Vertebræ.
b Sinistrum os coxendicis.
c c Ossa pubis.
d d Ossa sedentaria.
e Ossis sacri exstantia.
f f Circulus repræsentans ventrem.
g g Uterus.
h Infans humeris ossibus pubis incumbens.
j Humerus infantis.
k Secundina.
l Infantis caput in cavitate pelvis.
m m Apertura seu via pelvis, quà caput corpusque infantis debet transire.
n Acetabulum ossis coxendicis.

Fig. 36.

a a a Tres vertebræ.
b Siniſtrum os coxendicis.
c c Oſſa pubis.
d d Oſſa ſedentaria.
e Dorſum, ſive poſterior exſtantia oſſis ſacri.
f f Circulus ventris.
g g Uterus, vertebris lumborum incumbens.
h Infans retrorſum inverſus, capite in cavitate pelvis verſante, humeriſque in oſſa pubis impactis.
j Humerus infantis.
k Placenta uteri.
l Caput infantis in cavitate pelvis, magis denudatum, quàm res ipſa fert, ut poſitura ipſius appareat.
m m Via ſeu meatus, quà infans inter oſſa tranſire debet.
n Acetabulum ſive pyxis oſſis coxendicis.
o Locus umbilici.
p Vena umbilicalis.

Ulterior 34. 35. & 36. *Figuræ explicatio.*

Hæ *tres Figuræ* hic loci conjunctæ ſunt, quia in principio animus non erat, duas poſteriores exſculpi; pictor enim deſiderio meo non poterat ſatisfacere genuinam iſtorum infantum poſituram accuratius exprimendo: pōſtea verò plurimis Figuris jam exſculptis, quum 34. *Figuræ* deſcriptionem relegebam, viſurus an corrigenda ſit, tum cognoſcebam quidem, *hanc Figuram* parum luminis præbituram eſſe Lectori, niſi duabus aliis hanc explicarem, ut *unam eandemque Figuram* varie à diverſa parte conſpicere poſſit, quapropter duplicem hanc Figuram adjunxi.

Figura 34. exhibet infantem *bene verſum* in utero obliquo: *bene verſum infantem* dico, quoniam *vertice ori uteri imminet*, nam in hac re Scriptorum ſententiæ communi accedo, ſi nimirum cum illis ſupponitur, non opus eſſe infantem vertere & extra-

Fig 36.
o
f
f
k
a
a
a
g
h
g
p
p
b
l
l
e
e
n
m
m
d



trahere, in qua ſententia perſiſto, uſque dum rei veritas de ea recedere cogat: Quamvis autem hic infans in utero bene verſus ſit, facilis tamen partus haud expectandus eſt ob uterum obliquum, quod quidem ex inſpecta *hac Figura* nemo ſibi facilè perſuadebit; *octava* enim *Figura*, exhibens bene verſum infantem in bene locato utero, nullo modo ab *hac* 34. *Figura* differre videtur, niſi quòd in hac infantuli caput ſuper pelvi adhuc poſitum ſit, in altera autem in cavitatem pelvis jam illapſum ſit, unde idonea foret ad exprimendam unam eandemque poſituram uteri & infantis, quare res poſtulabat, eandem poſituram *alia* adhuc *Figura* clarius exprimere.

Uterus in *hac* 34. *Figura* longitudine ſua parturientis ſpinæ dorſi aut lumbis incumbit, quantum quidem ejus ratio admittit, plane & quam maxime appreſſus; conſequenter fundus uteri diaphragmati imminet, non autem ad umbilicum converſus eſt, quæ uteri poſitura in cauſa eſt, quòd caput infantis neceſſariò *tranſverſim* pelvi imponitur, & vertex oſſibus pelvis apprimitur, quod plus minus fit, prout ſcilicet parturientis *lumbi* plus minus *ſinuoſi* ſunt; quippe prominens oſſis ſacri curvamen cum ultimo verticillo ſeu duabus poſtremis vertebris mulieribus incurvos ſinuoſoſque lumbos habentibus componunt *exſtantem gibbum*, (ut in *ſecunda Figura* videre eſt) qui hoc rerum ſtatu os uteri cum capite infantis altius extollit, unde os uteri cum vertice infantis altius ſitum eſt, quàm oſſa pubis, in principio ſcilicet, antequam caput à doloribus in cavitatem pelvis depreſſum eſt; quapropter poſtea infantulus ille in pelvim illabens neceſſariò quàm maxime incurvatur & coarctatur: quod ut clarius pateat, inſpiciatur 35. *Figura*, exhibens eandem poſituram tam infantis qnàm uteri, præterquam quòd in hac caput infantis in cavitatem pelvis jamjam illapſum eſt, quod in 34. *Figura* oſſibus pubis adhuc impactum in pelvim nondum delabi poteſt.

In *hac* 35. *Figura* infans in ſiniſtrum ſuum latus incumbens exhibetur, cujus caput in cavitatem pelvis illapſum eſt, ubi

verò antea caput impegerat, *ibidem jam humeri hærent*, infantique ſitu prius percommodo ac libero gaudens (præterquam quòd caput oſſibus pubis imprimebatur) *arctiſſime jam conſtringitur*, quia cervix ita incurvatur, ut fere ſuprà quàm poteſt, extendi opus ſit, idcirco omnibus fere infantibus hoc modo prodeuntibus moriendum eſt; hac enim compreſſione nervis cervicis nimium extentis, vaſiſque nimium intercluſis humorum curſus impeditur & ſiſtitur, unde & infans deſinit vivere.

Quærenti igitur: *quamobrem hic infans tranſire non valeat?* reſpondeo: ob ſequentes rationes: *primò*: quia caput detinetur & retardatur in anguſtiore cavitate pelvis, *quam nullum caput tranſire poteſt*, (*etiamſi bene prodierit*) *ſine compreſſione quadantenus violenta*: quoniam verò caput in hac poſitura neque pondere infantilis corporis, neque dolorum impetu deprimi poteſt, quoaduſque humeri ad oſſa pubis impacta hærent, ideo caput ad impetus dolorum quàm maximos immobile manet, & ne tranſverſum quidem unguem promovetur. *Secundò*: Quia *humeri oſſibus pubis ita affixi delabi* non poſſunt, quandiu manu obſtetricante aut dolorum efficaciâ ab iſto offendiculo non liberantur.

Rarò fit, ut *pelves ampliores*, *capita parva*, & *manus puſillæ* caſu felici in unum conveniant, quemadmodum res exigit; quapropter hîc loci *humeri manibus difficulter liberari poſſunt*: nam ſi pelvis parva, & caput infantis magnum ſit, nullæ, *ne quidem minutiſſimæ manus muliebres* juxta caput penetrare poſſunt humeros liberaturæ atque detracturæ: ſin autem parturienti *ampla pelvis*, infanti *parvum caput* obſtetricique *minutæ* & *ſubtiles manus ſint* unà cum *ingenio ſolerti*, tum fieri id quidem (attamen laborioſiſſime) poteſt.

Dolores infantem ita ſitum deprimendo ægre trajicere poſſunt ex hoc: quòd viribus parturientis à primis doloribus fractis (dum caput ab oſſibus pubis in pelvim depreſſerant) dolores poſtea ſæpe minuuntur, capite in pelvim jam delapſo, vi-

vireſque jam deficiunt, quas potius vigeſcere opus eſſet, quò infans, jam adeo coarctatus, ac non ſolùm capite, ſed & humeris detentus, trajici queat: id dicere volo, ſcilicet *opus eſſe, ut vires diminutæ jam augeſcant, doloreſque jam decreſcentes pigreſcenteſque, frequentiores & validiores ingruant*, ad expellendum protinus infantem; quippe *major jam dolorum impetus & depreſſionis vis exigitur quàm antea*, etenim ante illapſum capitis in pelvim aquæ nondum effluxæ præibant, capiti viam quaſi monſtrantes: aut fieri quidem poterat, ut aquæ os uteri dilatantes capiti occaſionem præberent facilius in pelvim illabendi: præterea quoad aquæ uterum late diſtendebant, infans adhuc vivus ſine controverſia facilè moveri, & quodammodo flecti ſeu incurvari, eoque modo in pelvim deprimi poterat; nam corpus infantile urgebat caput, dum à doloribus corpus deprimebatur, & aquæ deorſum tendentes locum cedebant, ita ut caput ab oſſibus facillime delabi potuerit: ſed *humoribus jam effluxis, capite* in pelvi *coarctato, humeriſque ad oſſa pubis impactis*, quî quæſo dolores in illos impetum facient? uterus aquis vacuus plana ſui parte lumbis parturientis incumbit: infans ſuper planum ventrem in utero complanato immobilis jacet: dolores muſculos ventris ab antica poſticam verſus valide contrahunt, unde maximus impetus fit in planam uteri partem, quæ lumbis fortius hoc modo apprimitur, infanſque magis conſtipatur quàm promovetur: quid igitur mirum, ſi ventris muſculi (diaphragmate, viſceribus & inteſtinis, ſpirituque in illis concluſo firmati) parum adeo propellere valeant infantem tam arcte compreſſum? ſi ab antica magis poſticam verſus, quàm deſuper deorſum premant? ac quid mirum, ſi infans ita ſitus aut *nunquam excludatur*, aut *emortuus in lucem edatur?* atque brevi poſt & *mater*, diuturno labore defatigata, *exſpiret?*

Suprà aſſerebam: In hac poſitura infantis caput ad oſſa pubis impactum facilius inde expediri & in pelvim illabi poſſe, quàm humeros ibidem impactos, ob rationes ſuprà allatas, quibus

adjungi poterit *primò humerorum latitudo & crassities: secundò: humerorum cum pectore cohærentium soliditas*, unde tam facilè non incurvantur & flectuntur ac caput exili collo cohærens: ex hoc discrimine facilè comprehenditur, humeros multo difficilius ab ossibus pubis liberari & in pelvim illabi quàm caput: verùm licet caput multo facilius ab ossibus pubis liberetur quàm humeri; nequaquam tamen putandum est, quòd nunquam non facilè inde delabatur: contrà nonnunquam caput infantis fixum adeò hæret, ut dolores id nullo modo depellere possint; idque plurimùm fit, si membranæ isto loco rumpantur, & *aquæ furtim quasi defluant*, quod fit, quia caput & os uteri simul quàm firmissime ossibus pubis impressa sunt, unde aquis in latitudinem formandis locus non datur, quæ proinde deorsum tendentes exiguam saltem aperturam inveniunt, quà penetrant, ubi membrana quolibet irruente dolore extenta & extenuata tandem dirumpitur, tumque humores per minutam aperturam furtim defluunt, qui *obstetricibus* propterea dicuntur *aquæ furtivæ*, (*een sluypend water*) quia furtim emittuntur: quòd *aquæ istæ furtivæ* ita clanculum effluunt, ut *obstetrices* lateat, quando creverint & membrana ruperint, id causæ est, quòd scilicet paucæ dentur, quæ vera gaudent cognitione parturientis rite tangendæ; nimirum non alte satis penetrant ad locum, quo aquæ istæ crescunt, propterea ignorant, qua ratione aut quo loco formentur: totos nonnunquam dies parturientibus assident, nescientes uteri situm, imò ne cognitum quidem habentes, ubi os uteri situm sit, aut quid in eo prævium exhibeatur; multæ alba & atra discernere non possunt, hoc unum certò sciunt & dictitant, *infantem nimis alte adhuc suspensum esse*, (nimirum sibi ipsis) quapropter volunt, patienter exspectandum esse, usque dum infans delabatur: infallibile certe argumentum quod rudes sint illæ artis obstetricandi, ac plane inhabiles ad ferendas ulli parturienti suppetias convenientes. Aquis jam effluxis infantis caput multo firmius ossibus pubis apprimitur, quàm antea, ac nisi expediatur, à doloribus vehementer adeò adigi potest, ut ca-

caput *impressionis sulcum* patiatur ab acuta ossium pubis spina, quo infans facilè exspirare poterit, idque causæ est, quod dolores vehementes hic detrimentum æque facilè ac adjumentum possunt importare.

Cognoscat ex his *Medicus*, cui conscientia curæ est, quid commodi aut incommodi afferant *remedia* à se præscripta *dolorifica*, si sine prævia cognitione situs uteri & infantis exactissima illa præscribit rogatu *obstetricum*, *quæ os uteri non possunt tangere*, nescientes, quo modo & loco illud situm sit.

Perspectâ jam periculosâ uteri & infantis positurâ in *Figura* 35. attento jam animo contemplemur posituram *Figura* 36. expressam, & videbimus, hanc haud minori, sed majori potius periculo obnoxiam esse, quàm priorem: *Figura hæc* 36. exhibet eandem posituram uteri, longitudine sua lumbis fœminæ plane incumbentis, ore uteri ossibus pubis oppositò: eadem etiam infantis positura est, præterquam quòd hic in *hac Figura* supinus & capite retrorsum inflexo in pelvim illapsus est. Facilè comprehendi potest, caput hujus infantis, priusquam in pelvim illapsum erat, etiam ad ossa pubis impactum, ibique eodem periculo defunctum fuisse, quo prioris infantis caput, quapropter & in hac positura considerandum venit, quicquid in priori observatum est, hoc saltem addito, hanc scilicet posituram & matri & infanti multo majus periculum intentare, quàm priorem, & difficilius expediri, nam *omnia infantis membra commodius prorsum quàm retrorsum inflectuntur*. In principio ore uteri & capite infantis suprà adhuc ad ossa pubis impactis, ore item uteri nondum satis aperto hanc posituram mediante tactu internoscere difficile est, atque manus usu & exercitatione prædita ingeniumque sagacissimum falli nonnunquam poterit.

Quæritur ergo: siquis infantem uterumque ita situm mediante tactu perceperit, uti *hæc* 36. *Figura* representat, sive caput suprà adhuc ad ossa pubis impactum, sive in pelvim jam illapsum sit, quid tum faciendum? Respondeo: Caput ossibus

pubis adhuc incumbens, si libet, in pelvim induci posset eodem modo, quo prius in *Figura* 35. sed ego nemini auctor esse vellem, ut istud moliatur, quippe si caput in pelvim illapsum fuerit, quid tum? qua ratione ulterius promovebitur? situs iste tum multo minus ad transeundum accommodus foret, & ancipiti sane mortis periculo mater infansque exponuntur; quis enim infantem ut emortuum statim tractare ausit instrumentis illum extrahendo, quum omnia, quæ solent esse, indicia & vestigia vitæ adhuc reperiantur? & quamvis delapsus jam infans miserrime adeò comprimatur, sicut *Figura* 36. exhibetur, diu tamen adhuc vivere poterit, ecquis eum in hoc situ expedire poterit, nisi tanquam emortuum illum tractet?

At quæret forsan quispiam: Si isthæc positura tanto deterior est quàm prior, *cur igitur ibi tradidisti, caput in pelvim inducendum esse*, quum tamen eò delapsum in eodem sinu angusto coarctetur, hac solummodo differentia, quòd alter infans pronus, alter supinus jaceat? infantuli molles utique sunt & teneri, quà unus penetravit, & alter quidem transibit, quid igitur tantam difficultatem prætendis? Respondeo: hanc posituram revera cæteris deteriorem, & inde causas esse, cur aliam agendi rationem quàm antea tradam: Et licet in priori positura tradiderim, qua ratione caput infantis in pelvim inducatur, eo tamen minime volui indicare, id convenientius & consultius mihi videri: Equidem non inficior, si id maxime ab initio fiat, (supposito infantem capite prævio excludendum esse) tum parturienti & infanti magnum afferri adjumentum, fœtumque excludi posse, si validiores ingruant dolores, & officia ac opera *obstetricantis* præsto sint: itidem hæc via prima facie maxime naturalis videtur, & plurimùm congruere cum modo illo, quo veteres & recentiores Auctores suaserunt infantes expedire, quorum capita ossibus pubis opposita erant, licet veram istius situs rationem ignorasse videantur: Ego aliam statim viam ingredi nolui, aut de communi sententia decedere, ne consilium meum novum nimis, & ideo nimis rejiculum videretur; sed commodiorem

oc-

occaſionem præſtolari malebam, in qua res ipſa clarius loqueretur: propterea jam clarius aperiam, quid ſentiam de prava hac poſitura tam uteri, quàm infantum, ſive proni, ſive ſupini ſiti ſint, ſicuti *tribus his poſtremis* exhibentur *Figuris.*

Ut igitur ingenue ſenſa mea explicem rationi & experientiæ meæ conſentanea, hæc mea ſententia eſt: ſi infantes proni aut ſupini prodeunt, ut nobis in his tribus Figuris exhibentur, optime tum conſuli & matri & infanti, quibus ſingulis auxilio opus eſt, & *obſtetricanti* auxilium ſubminiſtraturo, ſi ne unquam quidem permittatur, multo minus ad id opera conferatur, ut caput prævium in pelvim illabatur, ſi nimirum *obſtetricans* tum mature præſto fuerit, ut id cohibere queat: Licet enim ſuprà conceſſerim: infantem ita ſitum in utero bene verſum eſſe, id ex communi omnium ſententia ſolummodo fuit, atque ſi ſupponatur, infantem capite prævio excludendum eſſe, ut ſtatuerunt omnes (quod ſciam) ante me Auctores, obliquâ uteri poſiturâ ejuſque conſequentiis non obſervatis: Sed ſecundùm hanc ce meam methodum ac veram uteri obliquati cognitionem non poſſum quin aſſeram, *hunc infantis ſitum non ſolùm difficilem eſſe, ſed etiam adeò difficilem, ut ne difficilior quidem excogitari poſſit:* idcirco firmiſſime aſſevero: *in ejuſmodi poſitura ne unquam quidem permittendum eſſe, ut caput prævium aliquatenus delabatur, quoniam nihil periculoſius excogitari poteſt, quàm pati, ut infans ita ſitus capite prævio delabatur.* Si omnes quotquot ſunt, veteres & recentiores Scriptores id ſuadeant, per me quidem licet, quantum libet; ego nullius Perſonam aut Merita deſpicio, verùm quemadmodum ipſis liberum fuit, ſua quemque ſenſa & experimenta proferre, ita & mihi liberum eſt, mea publicare: Concedo multo ſatius eſſe caput ab oſſibus pubis amovere inque pelvim deducere, quàm ad oſſa iſta impactum relinquere, *ſuppoſito ſcilicet, infantem naturaliter* (uti dicunt, id eſt, prævio capite) *excludendum eſſe:* At ſi oculos conjicio in maximum diſcrimen, in quo mater & infans verſantur partum iſto modo præſtolando in hac poſitura,

eti-

etiamsi omnibus cumulentur generibus adminiculorum, quæ Scriptores nostri dictitant, tunc *in illorum sententiam discedere prorsus non possum, ac tantum abest, ut hanc methodum quasi optimam commendem, ut contremiscam, si mihi ejus rei recordatio in mentem venit.*

Quod siquis ex me quærat: *qua ratione res tutius tractanda sit?* illi respondeo: *summopere cavendum esse, ne caput in pelvim delabatur, & abjecta omni cunctatione infantem quamprimum excludendum esse:* si quæratur: *qua ratione?* respondeo: ea ratione, quam antea hoc ipso Capite tradidi, nimirum *infantem vertendo, pedibusque extrahendo:* Si præterea quæratur: *anne periculosum sit?* respondeo: nequaquam, ne decimum tantum periculi esse, si infans vertatur, pedibusque extrahatur, quantum quidem est, si permittatur caput prævium delabi; quocunque modo prodeat infans, sive in tergum supinus, sive in ventrem pronus, sive vivus, sive emortuus, modò *mature cauteque* fiat exclusio, tunc per hanc operationem neque mater neque infans vitâ periclitatur.

At fortè quispiam porro rogaverit: *num ista operatione certò promitti possit, matrem & infantem fore superstites?* Ego ad hoc interrogatum respondeo alia interrogatione: Num quis certò promittere potest, *parturientem*, quæ *naturaliter*, id est, modo quàm quidem potest, facillimo peperit, *unà cum infantulo superstitem fore?* satis est, si vere dici potest, *in hac operatione seu versione & extractione infantum per se considerata haud quicquam funestum inesse*, atque si caute & solerter perficiatur, neque matrem neque infantem mortis periculo exponi, utut difficilior positura non detur in obliquo utero quàm ea, qua infantes capite prævio prodeunt, ita ut ne duæ aliæ posituræ pravæ versu difficiles adeò sint, ac hujus generis una. Utinam istæc matura infantum versio & extractio in omnibus ejusmodi pravis uteri posituris prudenter satis peracta obtineret! incredibilis sane numerus infantum fœminarumque servaretur, quæ hujus operæ defectu morte mactantur!

tur! Quid quæso mortiferum foret in hac operatione? matri utique funesta non erit hæc opera; quippe ab initio laborum statim adhibita altero quidem tanto minus dolorum affert, quàm si postremò eam moliri velis, quum humores dudum effluxerunt, infansque propter siccitatem in utero compressus concluditur, caputque in pelvi coarctatur; tum parturienti vel triplo plures cruciatus exantlandi sunt, quàm si ab initio statim infantis versio tentaretur: Atqui audent vertere infantem jam emortuum, morte parturienti jamjam imminente; cur ergo idem non auderent maturius minore adhucdum periculo imminente, initio scilicet laborum, quum parturiens & infantulus viribus adhuc valent?

Facilè quidem concedent, maturam hanc infantum versionem fieri posse in parturiente sine ipsius vitæ discrimine; at in majore forsan periculo versari videbitur infans, & consultius, veterem retinere consuetudinem, qua non extrahitur infans nisi in extremo periculo, id est, si certum est, infantem esse mortuum, parturientemque defatigatam viribus deficere, ut sine hoc ultimo adminiculo ne spes quidem ulla fœtum eniten-di ostendatur; etenim id fœminæ *Chirurgum obstetricantem* arcessentes frequenter in ore habent, rogatæ: ex quo prægnans laboraverit? certo temporis spatio nominato insuper addunt: *& jam certò constat, infantem exspirasse: ergo* (volunt dicere) *jam opportunum tempus est infantem extrahendi:* idque his cogitationibus nititur, quòd putant, infanti, si nondum exspiraverit, utique moriendum fore, si extrahatur, quæ opinio à consuetudine imperitorum Chirurgorum originem traxit, qui instrumentis infantes discerpere, dissecare, distrahere & (ut verbo dicam) ita tractare solent, ut nondum exanimes necessariò obire cogantur: methodus excludendi detestabilis sane, & nequaquam approbanda! Manus longo usu & exercitatione valens atque in partibus istis genitalibus probe versata os uteri caute aperire, juxta infantis caput corpusque penetrare, pedesque invenire novit, atque tum inter aut mox post effluvium a-

quarum sat spatii datur ad infantem tutò vertendum, detrahendum & educendum.

In hac exclusione omnis cardo vertitur in duabus his rebus: *primò:* ut ab initio *caput* infantis eousque *semovere* scias, quò manum juxta illud immittere possis: in hac capitis remotione maxima attentione opus est, ut lente satis leniterque os uteri aperias, simulque caput semoveas: manui exercitæ, si caput prætergressa est, periculum porro non obstat, quo à pedibus arceretur, quin eos detrahere ac educere queat. *Deinde* summo studio in id incumbendum est, ut *caput simul cum brachiis transeat*, quod percommode etiam ac extra vitæ periculum modo suprà dicto effici potest: ex his igitur concludo: *in hac positura securius, tutius ac minus periculosum medium non dari, quàm si infans abjecta omni cunctatione vertatur, pedebusque extrahatur*, ut hac ratione & matri & infanti Deo benedicente vita servetur.

CAPUT XLVIII.

De partu difficili, ex utero in alterutrum latus nimium obliquato.

PErlustrato in præcedentibus Capitibus partu difficili ex utero parturientium nimis resupinato aut propendulo oriundo, jam partus difficilis hoc Capite considerandus est oriundus ex utero *in alterutrum latus nimium obliquato:* ne verò Capita multiplicentur, duas has diversas posituras in unam contrahamus, ut evitemus confusionem ex diverso uteri situ, altero scilicet nimis in dextrum, altero nimis in sinistrum latus obliquato, prius de situ uteri *dextrorsum* nimis obliquati differemus; tum Cordatus Lector, quæcunque de hac positura dicta erunt, facilè transferre poterit ad situm uteri *sinistrorsum* nimis obliquati: itidem supponimus infantem in utero rectè positum, capite scilicet ori uteri imminente: utque hanc posituram accuratius contemplemur,

age

age inſpiciamus *quædam indicia*, quibus *obſtetrix* hanc poſituram internoſcere poterit: primò ex ipſa parturiente ſcifcitetur, *quonam loco infantem plurimùm moveri ſenſerit*, ac utra ventris pars *acuminata magis duriorque* ſit; utque id certius ipſi innoteſcat, *ipſamet ventrem extrinſecus contrectare* poterit. (*NB. Nobis hîc ſermo eſt de utero, cujus fundus profundius in dextro latere ſitus eſt magis ad poſticam quàm anticam vergens; nimirum profundius plerumque in latere ad lumbos ſitus eſt, quam poſituram difficillimam ego æſtimo, quippe uterus altius quodammodo ſuſpenſus partum tam difficilem haud reddit, quàm talis uteri poſitura.*)

Sed præter hæc indicia *obſtetrix* de hac uteri poſitura certior reddi poteſt *per tactum*, quo ſi parturientem exploret ab initio laborum, antequam dolores deprimentes uterum loco moverunt, inveniet:

1. Os uteri altius ſuſpenſum eſſe.
2. Unde id difficulter attingere poteſt.
3. Applicitum illud reperiet ſpinæ ſiniſtri oſſis pubis aut coxendicis.
4. Non integrum os uteri, ſed inferiorem ejus oram tangere ſaltem poterit.
5. Aut omnino nihil, aut parum ſaltem, inferiorem nempe capitis infantilis partem, tactu aſſequi poterit, niſi forſan (ore uteri ſpinæ dictorum oſſium nondum valide appreſſo) locus adhuc detur, uno vel pluribus digitis inter illa penetrandi, vertricemque infantis tangendi.
6. *Obſtetrix* infantis cuput ſentiet per intermedium uterum & vaginam, non autem nudum, tranſverſim pelvi impoſitum: quæ ſigna conjunctim ſumpta *obſtetricem* certiorem reddere poſſunt, *uteri fundum in dextro parturientis latere ſitum eſſe*, & ſatis ipſi *ſudandum*, ſi pravam hanc poſituram corrigere, felicemque partum maturare velit.

Non eſt quod mirentur *obſtetrices*, ſi dicam: *ſatis ipſis deſudandum eſſe*, ſi pravam hanc poſituram corrigere, felicemque partum maturare velint; quippe iſthæc poſitura haud

exiguas affert incommoditates, & ut *obſtetrices* cognoſcant, quænam mala inde conſequantur, ea paucis hîc annotabo:

Primò: Ex hac poſitura neceſſariò ſequitur, *caput* infantis, quamprimum vel minimam ſaltem aperturam oris uteri facit, *ad ſpinam ſiniſtri oſſis pubis aut coxendicis impingere*, unde parturienti, niſi illi ſubveniatur, diu ſine ſucceſſu laborandum erit; nam caput ad iſta oſſa impactum progredi non poteſt, quoniam oſſa illa non valent retrocedere, unde neceſſariò *diutinus irrituſque labor.*

Secundò: Inde exoritur *furtiva & præmatura aquarum deſtillato*, quia ſcilicet os uteri cum capite infantis à dictis oſſibus occluditur, ideo ſive caput infantis ſive humores illud os neque rectà in medio, neque ſuperiore parte, ſed inferiore parte parum ſaltem aperire poſſunt, aut apertum invenire; unde caput ſurſum cedit, & aquæ membranas deorſum premendo acuminatas trajiciunt, eaſque plerumque ibidem rumpunt, priuſquam id ab *obſtetricibus* obſervatur; hoc ipſum illæ vocant *aquas furtim effluentes.*

Tertiò: Sæpius ex hac poſitura exiſtit, ut *infantis brachium dextrum excludatur*, ſi ſcilicet, uti jam dictum, humores membranas in formam acutam deorſum premunt, tum ab iiſdem humoribus caput ſimul ſurſum pellitur, unde illud quodammodo ſuper oram dictorum oſſium protruditur, quo pacto dextra (ſi oſtio imminet) aquis jam defluentibus in oſtium deduci, & ſucceſſu temporis ad humerum uſque delabi poteſt, infante ſicco relicto.

Quartò: Brachio ita in oſtium progreſſo *caput infantis magis magiſque ſurſum repellitur*, unde *collum infantis adeò inflectitur, ut facilè* (ſicut dicere ſolent) *frangatur*, hoc eſt, collum magis flectitur, quàm infans ferre poteſt, unde exſpirat.

Quintò: Vertex infontis hoc modo in ſpinam oſſis pubis aut coxendicis impingens à doloribus vehementer deprimentibus *facilè iſti ſpinæ adeò imprimitur, ut cerebrum infringatur*, infaſque ante partum exſpiret.

Sex-

Sextò: Ex omnibus hiſce malis metuendum eſt omnium maximum, ſcilicet, ne poſt multos dolores irritoſque exantlatos labores ipſa etiam mater ſine enixu exſpiret; quippe omnia, quæ ſuprà memoravimus, perpeſſa, iiſque non rarò quatuor, quinque, imò ſex dies ſine adjutorio divexata miſerrima parturiens nihilominus ne latum quidem unguem ad enixum profecit: Nullus quæſo miretur, quòd dicam: *ſine adjutorio:* namque *obſtetricum*, quæ varias uteri poſituras rationemque eas corrigendi ignorant, quæ unum ſaltem, aut duos ad ſummum digitos in tactu adhibent, (uti gloriantur) quæque omnem in Natura ſpem poſitam habent, talium, inquam, obſtetricum adjutorium in hac poſitura nullum deputo, opera illarum neglectio potius eſt & genuina cauſa, cur verum Adjutorem non quærant miſeræ parturientes, hoc pacto ſufficienti auxilio deſtitutæ.

Omnia hæc, quæ diximus, mala, obliquam hanc uteri poſituram conſequentia, *prudens obſtetrix* aut prævertere, aut evitare ſciat oportet: Equidem accurata rerum attentio & improbus ſane labor requiritur, ſi omnia ad felicem partum præparare velis; verùm ſiquis officium ſuſcepit, oportet, ut ei & conſcientiæ ſatisfaciat, niſi velit committere culpam, præſertim in rebus tam arduis, ubi & matris & infantis vita pendet quaſi a fidelibus ſuppetiis, quas *peritus Chirurgus obſtetricans* aut *obſtetrix* ambobus debet ferre, quantum quidem fieri poſſe ratio & experientia docet.

Suppoſito jam, infantem ita capite prævio excludendum eſſe, ſi ejuſmodi parturienti decenter ſuccurrere velis, hoc modo res tractanda foret: Ipſâ ſellæ parturientium impoſitâ corpore ſuperiore quodammodo elevato *obſtetrix* tactu explorare poteſt, an os uteri ſiniſtro oſſi pubis & coxendicis vehementer impreſſum ſit necne? ſi minus imprimitur, parturiens plane reclinanda erit *in dextrum latus parum obliquata*, ut uterus proprio ſuo pondere aliquatenus recedat, neque adeo ad dicta oſſa impingat: Deinde *obſtetrix dextræ ſuæ digitos ori uteri immittere ſtudeat*, aut intra illius oram; quin

ſatius adhuc eſſet, ſi digitis *ſupra ſuperiorem oris uteri oram pertingere poſſet*, & hoc modo tentaret os uteri parum removere, propiuſque ad cavitatem pelvis deducere: Et quò id melius ſuccedat, jubeat aliquam fœminarum *dextrum parturientis latus aliquatenus inferne ſublevare*, ut ipſe quoque uterus hoc modo ſublevetur, ſicque ſublevando & demittendo ſenſim in pelvim promoveatur.

At verò *obſtetrix* hîc curam gerat, *ne uterus cum capite infantis nimium delabatur*: nam licet capite cum uteri parte acuminata ſimul in curvum oſſis ſacri ſinum delapſo tantum periculum non ſit, illud inibi fixum hæſurum eſſe, quantum periculum eſt utero in propendulo ventre ſito; multum tamen intereſt, utrum caput ſolum, an ſimul cum uteri acumine in ſinum iſtum illabatur, ac multo facilius caput ſolum quàm cum acumine uteri conjunctum traduci poteſt: proinde *obſtetrix*, ut *os uterimature & alte ſatis ante nimium ejus deſcenſum retineat*, omnem laborem & curam debet adhibere, ut *caput prius ſufficienter denudatum ſit, quàm deorſum prodeat*, (ut antecedenti Capite tradidimus) quo facto minore cum periculo toti partui deſcenſio poteſt concedi: Et quod de capite infantis obſervandum eſt, idem & de *humoribus* in certam formam adhuc cogendis membranâ nondum ruptâ obſervandum; ea vero dirupta caput modo jam dicto tractandum eſt. Porro quantum ad ulteriorem infantis & ſecundinæ excluſionem, purgationem & contractionem uteri attinet, eæ peragendæ ſunt, ſicut præcedenti Capite traditum eſt: Et quamvis caput infantis in hac poſitura plerumque quodammodo ad latus inflexum prodeat, quia uterus aliquatenus *detortus* eſt, eo tamen detineri non opus eſt, ſed in ſitum rectum id diſponendum, tractandumque porro, quaſi recte ſitum prodiiſſet. Præterea *obſtetricem* oportet curam adhibere, ut capite infantis in pelvim jam directo parturiens ſuperiore imprimis corpore in ſiniſtrum latus quodammodo inflectatur, quò infans pondere ſuo eo commodius in pelvim deferatur.

Sed quæret fortè quiſpiam: *qua de cauſa ſuadeam, parturien-*

rientis corpus ita inflectere, ut infans eo facilius in pelvim illabatur, uterum utique tum etiam delapsurum esse, quum tamen modò dixerim, ab obstetrice uterum sustinendum esse, ne nimium delabatur? Respondeo: utile utique esse, uterum cum infante proprio suo pondere dolorumque urgentium impetu valide deprimi, quo in pelvim delabatur, ac nihilominus *obstetricem* omnibus nervis debere contendere, ut præpediat descensum oris uteri: dum enim urgentes dolores uterum & infantem deprimunt, *obstetrixque* os uteri sustinet, aut humoribus, aut capiti infantis (utrum scilicet prius prodit) locus datur ad penetrandum, & aperiendum os uteri, quod aliâs sine ista depressione & retentione aut omnino non, aut minus commode fieri posset: sicque clare satis patere arbitror, quòd duo ista monita, quæ sibi invicem contradicere videntur, optime congruant & conjungantur.

Quòd si *Chirurgus obstetricans* aut *obstetrix*, parturiente diuturno irritoque labore jam defatigata & fracta, arcessitus demum fuerit, ei ego auctor sum, ut abjecta omni cunctatione, quantum labore contendere potest, tantum faciat, ut *infantem vertat pedibusque extrahat*; qui enim longas moras nectit infantem in pelvim dirigendo, & porro prævio capite traducendo, (quod sine vehementibus doloribus succedere non potest) & matrem & infantem extremo exponit periculo, & (ut in proverbio est) è Charybdi in Scyllam jactat; proinde partus quamprimum maturandus est infantem vertendo, pedibusque extrahendo: Quòd si forte præter hanc pravam uteri posituram insuper & *infans prave versus sit*, *obstetrici*, si tactu mature id observaverit, suadeo, sine mora infantem excludat uterum aperiendo, membranas confringendo, infantem vertendo pedibusque extrahendo.

Fortasse quæret quispiam: *si caput parum ab ostio distans facili negotio in illud induci posset, nonne satius esset caput prævium in ostium inducere*, (quod Scriptores communiter omnes suadent in quacunque prava positura) *quàm infantem præviis pedi-*

dibus extrahere? Ego nego: quippe in hac uteri positura *nil tutius minusque periculosum est, quàm infantem statim vertere pedibusque extrahere:* quicquid alii in medium proferant, hanc utique uteri posituram non cognoverunt, sed supponentes, uterum nunquam non recte situm, solos autem infantes in utero prave versos esse, nunquam non optime consentaneum esse judicarunt, infantes capite prævio in ostium inducere: sed cognitum non habebant, si infans prave versus in ejusmodi prava uteri positura (qualis hæc est) prævio capite in ostium deducatur, porro hac ratione excludendus, quòd tum *& mater & infans multo majori exponantur periculo obeundi mortem sine enixu, quàm si infans pedibus extraheretur!* quippe si hoc penitus intellexissent, sine dubio aliter judicassent: Idcirco aliis suo cuique abundare liceat sensu, ego sane meliora sciens perfidiose facerem, nisi secundùm solida hæc fundamenta suaderem, quoscunque prave versos infantes in utero male locato vertere pedibusque extrahere: Sed recte intelligenda sunt sensa mea: sermo mihi est de ejusmodi utero, *qui quàm maxime prave situs est:* imò tantum abest: me suasurum, prave versum infantem in utero prave locato ita vertere, ut caput prævium prodeat, ut contrà *difficiliorem infantis situm in utero obliquo non agnoscam, quàm si caput prævium exhibeatur*; *& quoscunque quidem alios infantum situs commodiores judico, quàm illorum, qui capite prævio prodeunt*, sicut jam antea dixi, quia scilicet tum infans perquam difficillime verti potest.

Quicunque mecum obliquas has uteri posituras statuunt, iis nequaquam alienum videbitur, quòd omnes in utero obliquo infantes prave versos vertere suadeam pedibusque extrahere; sed contrà animo & cogitatione percurrentes quævis pericula & incommoda, quæ in partu ex hac positura infantibus etiam bene versis necessariò existunt, facilè comprehendere possunt, minus periculi esse, si ab initio laboris infantes etiam bene versi vertantur pedibusque extrahantur, quàm si caput præmittatur: hoc ipsum facilius adhuc concedet, quisquis mente probe per

ce

cepit, quod uno tantùm verbo jam annotavi, nimirum: *uterum ita in alterutrum latus obliquatum plerumque etiam nonnihil detortum esse*; utque clarius pateat, quid *isto detorto uteri obliquati situ* dictum velim, id diligentius explanabo.

Quibusvis *Anatomicis* exploratum est: uterum *non rotundum instar pyri*, sed ab antica vesicam versus, atque à postica versus intestinum rectum quodammodo *planum* esse, at proinde haud absimilem *crumenæ* vel *marsupio sufferto simulque plano*: neque ligamenta *planis* uteri partibus sed *exilibus* annexa sunt: Atqui ego annotavi, *uterum prægnantium istam formam nunquam non quadantenus retinere*, ac proinde ut plurimum magis proclivem esse *ad lapsum pronum* aut *supinum*, *quàm* in alterutrum latus *obliquum*: præterea ligamenta utrimque uterum retinentia, quoad possunt, impedimento sunt, quò minus in alterutrum latus obliquetur, unde sæpius retrorsum primò reclinatur, atque tum paulatim in alterutrum latus labitur: quòd si igitur utero contingat (uti nonnunquam fit) profundius in alterutrum latus delabi, *necessariò detorqueretur*; quippe propter planam, qua gaudet, formam in planam sui partem sponte sua nunquam non tendit, quod si fiat utero in parturientis latere sito, utique respectu situs sui naturalis necessariò *detortus* jacebit.

De hujus situs consequentia quisque sanæ mentis jam cogitationem suscipiat, & facilè patebit, *infantem* (si capite prævio prodeat) *capite obliquato necessariò in pelvim delapsurum esse*; & licet *sagax obstetricans* hoc observato caput rectum in pelvim dirigeret, subsequentes tamen *humeri pelvi*, quâ angustior est, *decussatim necessariò imponentur*, unde haud sine obstaculo in eam poterunt penetrare, consequenter infans inter transeundum *torquendo* progredietur, quæ omnia vehementes dolorum impetus requirunt: qui situm hunc penitius inspexerit, facilè percipiet, *dolores*, utut vehementes, *parum valere ad trajiciendum infantem adeò ad ossa impactum*, & proinde (si dolores rari sint & pigri, parturiensque debilitata ac enervata) & matrem & in-

fantem in vitæ periculo versari, consequenter *multo tutius esse, ut ab initio laborum uterus situs aperiatur, membranæ confringantur, infans vertatur, pedibusque extrahatur potius, quàm permittatur, ut infans capite prævio prodeat*, & mater cum infante in periculo forsan occumbat. Interim etiam tradidi rationem os uteri & caput infantis in pelvim deducendi, ac porro infantis enixum adjuvandi, quia nimirum neque parturientibus neque *obstetricibus, quæ veteri se consuetudine haud facilè expedire queunt*, consilio deesse volui, & optimam quidem ipsis viam monstravi, qua moribus dudum pervulgatis inhærentes, si opus bene quidem ceciderit, ad optatum enixum possunt pervenire: Si quis autem ad *rationis* solùm & *veritatis* regulam opus metiri velit, ei iterum dictito, scilicet in hac uteri positura quocunque etiam modo infans prodeat, consultissimum esse, quamprimum parturientem fœtu expedire infantem vertendo pedibusque extrahendo.

Explicatio 37. & 38. *Figuræ.*

Fig. 37.

a a a Tres vertebræ.
b Sinistrum os ilium, quod hîc solum apparet, quia dextrum utero & infante obtectum est.
c c Ossa pubis.
d d Ossa sedentaria.
e e Acetabula seu cavitates, in quibus capita ossium coxencis vertuntur.
f f Circumferentia repræsentans ventrem.
g g Ambitus uteri, cujus fundum in dextro latere situm est, orificium verò sinistro ossi ilium & pubis objacet.
h Infans in utero pronus, capite in os ilium & pubis impacto.
j j Vena umbilicalis.
k Secundina.

Fig.

Fig 37
a
a
a
f
g
g
f
b
h
c
c
c
d
d


Fig. 38.
g
f
f
f
h
h
a
a
a
a
a
b
b
c
c
c
d
d
d
Phi Bouttats fecit.

Fig. 38.

aaaaa Vertebræ.
bb Siniſtrum os ilium coxendicis.
c Acetabulum ſive cavitas, in quo caput oſſis coxendicis vertitur.
dd Oſſa ſedentaria.
ee Oſſa pubis.
ff Ambitus repræſentans locum ventris.
g Locus umbilici.
hh Ambitus uteri, cujus fundus in dextro latere ſitus eſt, plurimùm ad anticam vergens.
j Infans in utero, cujus caput prope ſiniſtrum os ilium in oſtium delabitur.
k Secundina.
l Vena umbilicalis.

Ulterior 37. & 38. *Figuræ explicatio.*

Fig. 37. uterum nobis *obliquum* exhibet, cujus *fundus* in *dextro* latere ſitus eſt, magis ad poſticam quàm anticam vergens, quapropter ejus *os* ſeu oſtium ad *ſiniſtrum* os pubis iliumque impingit. Contrà *Fig.* 38. uterum nobis exhibet *obliquum*, cujus *fundus* itidem in *dextro* quidem latere, ſitus eſt, ſed *magis priorſum* in abdomen delapſus, quapropter ejus *oſtium* ſublimiùs oſſi coxendicis objacet proxime vertebras lumborum aut os ſacrum: Infantes capitibus ſuis in utroque utero orificio imminent; ſed unus infans nobis vēntrem, alter dorſum magis obvertit: Infans in 27. *Figura* omnino adhuc oſſibus applicitus eſt, & in dubio adhuc ponitur, an caput ſupra vel infra os ilium lapſurum ſit: quamdiu infans in hoc ſitu perſiſtit, humores & caput in os uteri efficacem depreſſionem facere nequeunt, quia impetus eorum in os tendit, dum caput infantis iſti oſſi affixum manet: quòd ſi caput paululum ſurſum tendat, tunc interiorem oſſis ilium aut pubis oram tranſgreditur, unde obliquatur, ut in oſtium ſive os uteri prodire nequeat; quin potius humerus, manus

nus aut cubitus, quàm caput in oſtium prodit, ut videre eſt in 21. *Figura*: *Figura* 18. exhibet nobis poſituram uteri huic 38. conſimilem, hoc diſcrimine, quòd infans ibi *ſupinus* ſitus ſit, *facie ori uteri, & conſequenter oſſi coxendicis objacente, qualis uteri & infantis poſitura inter periculoſiſſimas, quas extogitare licet, recenſenda eſt*: *Fig.* 22. etiam videmus poſituram *uteri* in *dextrum latus obliquati*, in quo infans itidem *intortus* jacet, nec ullum ejus membrum in oſtium prodit; ideoque nihil, præter aquas, os uteri alte ſatis ſuſpenſum poteſt aperire, unde *obſtetrix* illud non facilè attinget, infanſque rariſſime delabetur, quin aliquot dierum ſpatium, imò ad obitum uſque parturientis in hoc ſitu ſuper pelvim hærere poterit, humoribus enim effluxis arctiſſime conſtringitur: *Figura* item 25. conſimilem adhuc poſituram uteri in dextrum latus *obliquati* plurimumque deorſum delapſi exhibet, in quo infans transverſim poſitus eſt, nec quicquam, præter aquas, in oſtio tactu ſentiri poteſt.

Obliquæ hæ, quotquot ſunt, uteri poſituræ ab *obſtetricibus vulgaribus aut* omnino non, aut rariſſime cognoſcuntur, imò ne cognitum quidem habent, quo modo locove os uteri ſitum ſit, aut quid in eo prævium exhibeatur; quin imò neſciunt ſæpe, an membranæ ruptæ ſint, quas intumeſcere non ſenſerunt, multo minus dirumpi: neſciæ igitur quid agendum parturientibus aſſident aut accumbunt, & licet illæ concatenatis urgeantur doloribus, *obſtetrices* tamen eos negligunt, triduum, quatriduum, pluresve dies noctesque *patienter ſatis* cum parturiente eſſe poſſunt, nec plus adjumenti dant, quàm ille, qui nunquam natus eſt, ea ſcilicet de cauſa, quòd tactu nihil ſentire poſſunt, quare non eſt illis, quod agant: verecundantur auxilium petere, utut non neſciant, ac conſcientiâ convincantur, ſeſe parturienti nihil poſſe auxiliari; quin & alias fidum adjutorem arceſſituras cohibent, ſub prætextu, non eſſe quod agat, patientiam præſtandam eſſe, & à ſolo Numine enixum expectandum; & hoc pacto moras nectunt, uſque dum & mater & infans exſpirent: Verùm ſi parturientis maritus aut fœminæ circumſtantes

ple-

plenius cognoscerent de periculo ejusmodi posituræ uteri & infantis, quieto & æquo animo tamdiu non ferrent, miseram parturientem ita deseri, omnique auxilio destitui, neque illud petendum in extrema differrent, quin potius mature subministrari curarent eo modo, quem in antecedentibus Capitibus tradidimus; quippe in quibusvis obliquis uteri posituris, sive bene sive prave in eo versi sint infantes, tempus otiose non terendum est, sed omni mora rupta exclusio infantis procuranda, uti sequentibus demonstrabimus, ubi peculiari Capite omnibus Maritis propinquisque parturientium informationem trademus, quæ admonitionem eorundem non solùm, sed & omnium Medicorum ad ejusmodi parturientes arcessitorum exhibebit, ut ad illam, tanquam certam regulam se conformare sciant, & fideliter satisfare conscientiæ in tribuenda parturienti & infanti opera sua: Nullus dubito, quin eo ipso in me incensurus sim odia & contemptum multorum, (istius maxime generis hominum rudis & supercilioſi) qui artem non percallent, & propterea actionum suarum rationem reddere recusant, propinquis siniſtra potius referentes, quàm verum dicentes, aut inscitiam suam profitentes: Verùm stat sententia: *hoc Scripto nullius hominis captabo benevolentiam, neque ullorum odia aut maledicta pertimescam, sed Deo Veritatique fidem præstabo*, quantam quidem possum, homines *illuminans*, ut cuilibet clare pateat, cui sanum judicium divinitus concessum est, *quid ad Artem Obstetricandi requiratur:* qui lepide novit efficere officium, non reformidabit id facere in conspectu omnium hominum; qui verò artem non probe callet, facta sua nunquam non obtegere conatur: Sequenti igitur Capite, quàm brevissime potero, describam: *qua ratione prudens obstetrix parturientem tractare debeat, quibusque rebus propinqui parturientis atque circumstantes cognoscere queant, an obstetrix artem suam probe calleat, & officio suo satisfaciat*, ita ut ipsi ejus actionibus omnino acquiescere possint: Antequam verò hoc Caput finiamus, paucis agamus *de varia* uteri positura, qua is minus obliquatur quàm ille, de quo præcedentibus dictum est.

De Utero varie obliquato.

Hactenus Uterum contemplati ſumus quàm maxime obliquatum, *pronum* ſcilicet ſive *ſupinum*, *dextrorſum* ſive *ſiniſtrorſum* inclinatum, quem quadruplicem ſitum ſi comparaverimus cum quatuor ventis cardinalibus, *Euro*, *Auſtro*, *Zephyro* & *Septentrionali*, tum & reliquas obliquas uteri poſituras, ſi libitum eſſet, conferre liceret ad reliquas indicis magnetici plagas, quippe uterus quaquaverſum prave verſari poteſt, ac inſtar acus magneticæ in orbem quodammodo gyrari.

Quamvis autem uterus *minus obliquatus* partum tam difficilem non inferat, quàm qui ſumme obliquatus eſt, maximo tamen impedimento eſt iis præcipue parturientibus, quarum *obſtetrices* nulla uteri obliquati gaudent cognitione, qua eum in rectum ſitum mature reſtituere ſcirent: etenim ſi tales felici tandem eventu fœtum ſive vivum ſive mortuum excludant, caſu ſolùm, non ſolerti ſuo ingenio id effectum dant, diverſis rationibus rei periculum facientes parturientem jam hoc jam illo ſitu diſponunt; quòd ſi omnes ejus artes irritæ tandem fuerint, ultimum refugium & remedium eſt *patienter morari:* denique ſi res bene vertunt, parturiens adhuc enititur, poſtquam multo cum cruciatu plures dies nocteſque ceſſatum eſt; tumque *obſtetrix*, quæ operam navavit, æque multum ſapit, aut potius æque obtuſa manet ac antea! revera enim neſcit, quænam cauſa tam diuturni laboris fuerit, quæve ſubſequentis tandem progreſſionis ratio: interim ſibi perſuadet, ſe penſum ſuum lepide accuraſſe; omnem utique, quam didicit, artem ac laborem inſumpſit, quid autem bono, aut quid impedimento fuerit, accurate perſpectum non habet; quapropter ad eadem ſemper initia recurrit; Sed quàm miſerrima ſane parturientium iſtarum conditio eſt, quæ iſtiuſmodi hominum opera utuntur.

Etiam atque etiam peto atque contendo, nequa *obſtetrix*, rata me ipſam ſpeciatim his dictis impetere, ea moleſte ferat;

ob-

Fig. 39: 40. Pag.



Fig. 1.

Fig. 2.

obteſtor enim, me nequaquam in animo habere, ullam earum ſpeciatim in invidiam aut ſuſpicionem adducere: vitia, quæ invaluere, manifeſta facio, exponens, quanta inferant mala, ut quæ commiſerunt, iis in poſterum proſpiciant, meliora doctæ: nec quenquam hominum deſpicio vel odi, potius inſcios rudeſque ſeu ore ſeu ſcripto informare deſidero, etiam ſi antea de me male ſenſerint ac dixerint: id unice in votis habeo, ut hoc meo Scripto omnes Boni, qui inſcientes male fecerunt, cognoſcant, qua ratione errata ſua corrigere queant, utque omnes Cordati proſpiciant aut ſibimet, aut propinquis, aut cariſſimis Coſtis, ne inopes auxilii in maximo diſcrimine tantos cruciatus perferant, quòd *prudentes obſtetricantes* non accerſiverint.

At dicet fortè quiſpiam, aut cogitabit: *hæc ſcribis eum in finem, ut operam tuam vendites:* ſed puto, me vere dicere poſſe, id mihi non eſſe in animo: gratias ago Deo T. O. M. quòd affatim Artium & Scientiarum mihi concedere dignatus ſit ad paranda mihi & Familiæ, quæ ſuppetant ad victum & amictum, ut non opus ſit mihi *Obſtetricando* rem familiarem quærere: non deſidero alios ejuſmodi miſeriis premi, ut auxilii mei indigeant, nullius in his rebus gratiam aucupor, ſeu commendationes expeto: Deo gratias agerem, ſi hoc meo Scripto tot fœminæ illuminarentur habileſque redderentur, ut nemo neceſſe habeat, auxilio meo uti: Interea tamen & obſtrictum me credo, ut donis à Deo mihi conceſſis proximi commodis ſalutique ſerviam, præſertim quum de vita hominis agitur: ingenue certe conteſtor, ſi animadvertero, homines hiſce meis præceptis applaudere, ita ut *huic meæ obſtetricandi methodo inſiſtentes* plures fœminas infanteſque conſervent, uti fore confido, qnòd tunc laboris me temporiſque impenſi non pœniteret, quin potius Deo T. O. M. gratias agerem, quòd talento meo in proximi emolumentum fœnerari mihi conceſſerit. Sed revertamur ad propoſitum, & videamus, *quibus indiciis Obſtetrix cognoſcere poſſit rationem uteri minus obliquati, & qua ratione qualemcunque ſitum uteri minus obliquati corrigere poſſit.*

Qua-

Qualescunque uteri *minus obliquati* posituræ (sive plus minus pronus ille sit, sive resupinatus, sive plus minus in alterutrum latus vergens) *tactu* optime explorantur; nam os uteri *prudenti longoque rerum usu exercitatæ obstetrici* nunqaum non posituræ suæ signum indicabit; sed, uti jam dictum, *experientia opus est & judicio*, quæ præcedere debent, siquidem *ex tactu* verum judicium ferre omnino non potest *obstetrix*, quæ exacte non cognovit *totam muliebris pelvis figuram*, ut & *situm vesicæ, recti intestini, vaginæ & ipsius uteri ante & sub ipsum prægnationis tempus*, item, *quomodo muliebria pelvi respondeant* &c. namque harum rerum rudis nec *sublimem*, nec *demissum*, nec *rectum*, nec *obliquum*, nec *pronum* nec *supinum situm* distinguere poterit, sed perpetua cogitationum confusione laborabit: licet etiam rem recte sibi animo concipiat, quia antea aliquoties corporis fœminei compagem inspexit, attamen sine experientia errabit, & ab ancipiti judicio falletur, donec vel tandem usus & experientia certum discernendi judicium confirmaverit.

Os uteri nunquam non *exadversum fundo* situm est; si igitur *obstetrix* exacte noverit *situm oris uteri recte positi*, etiam internoscere poterit, *quantum illud in obliquo utero à recto situ recesserit*, ac utrò plus minus obliquetur, unde facilè judicabit, quo loco *fundus uteri* situs sit: loco oris uteri ejusque fundi cognito consequenter etiam novit reliquam totius uteri dispositionem.

Rationem restituendi quemcunque uterum minus obliquatum sagax obstetrix facilè inveniet, si probe animadvertit, qua ratione *uterus quàm maxime obliquatus* restitui possit, siquidem unum ex altero fluit: idcirco supervacaneum duco, isti rei fusius scribendo inhærere, imprimis quum hunc Tractatum non admodum exaggerare statuerim.

Sed hîc loci quæret fortasse quispiam: *si infantes præversi prodeant in utero minus obliquato, quid tum agere maxime congruat?* ad hoc respondeo: in quacunque uteri obliqua positu-

ſitura nonnihil momentoſa *conſultiſſimum eſſe verti prave verſos infantes, pedibuſque extrahi*; at verò tales infantes hîc non intelligo, qui pedibus prævîis prodeunt, utpote quos non vertere, ſed ſolùm extrahere opus eſt. Verùm infantes in utero minus obliquato *rectè verſos* prodeuntes vertere non opus eſt nec pedibus extrahere: ſed tum *obſtetricis* eſt ſtudere, ut *uterum in ſitum genuinum redigat*, infantiſque tranſitum expediat; hoc enim rerum ſtatu minus periculoſum eſt, ſi patiaris infantes prævio capite prodire, quàm ſi uterus quàm maxime obliquatus fuerit: proinde *utero parum ſaltem obliquato infans prævium caput exhibens nequaquam morandus*, ſed omnis illa cura atque opera tribuenda eſt, ut facilè tranſire queat.

CAPUT XLIX.

Index & Clypeus Obſtetricum.

QUandoquidem hunc Librum flagranti deſiderio ſcripſi, ut non ſolùm inſerviat *Obſtetricantibus tam Viris quàm Fœminis illuminandis, qua ratione Artem Obſtetricandi ſecundùm ſolida veræ cognitionis fundamenta exercere queant*; ſed & ut *indicio ſit perſpicuo, Artem Obſtetricandi non levem & infirmo fundamento nixam eſſe*, aut ſi hactenus hoc nomine quibuſdam fuit infamis, talem tamen in poſterum non poſſe videri ulli *obſtetricanti*, qui *ſecundùm nova hæc fuudamenta veritatis* rem tractaverit: Equidem mihi perſuadeo, me *partûs facilis ac difficilis cauſas* tam evidenter & perſpicue æquo judici demonſtraſſe, ut neminem illæ latere poſſint, qui qualicunque clara partium genitalium cognitione inſtructus eſt, uti eæ in hoc Libro exhibitæ ſunt; Contrà quilibet Vir aut Fœmina *hiſce meis demonſtrationibus probe comprehenſis* habilis erit ad judicandum ex validis argumentis: *an opportunum tempus illuxerit infantem arte obſtetricante excludendi necne:* unde neceſſariò ſequetur: *primò:* quòd *obſtetrix*, ſtatu rerum ipſi parturienti aut propinquis ipſius

patefacto, maxima animi tranquillitate adjumentum subministrare possit cessando, ubi cessandum est, aut operando, ubi opera requiritur: *Secundò:* Propinqui maxima item animi tranquillitate expectare & pati possunt, *obstetricem* parturientem tractare faciendo, quicquid factu necessarium est.

Nihil unquam molestius est operam navanti, quàm si de opera ipsius diffidatur, si quibuscunque ejus factis obmurmuretur, si ista in suspicionem vocentur: quòd si res prospere cedat, fortunæ potissimùm adscribitur; sin præter spem & expectationem eveniat, in operarium culpa confertur, etiamsi omnem non solùm laborem, sed & curam & prudentiam adhibuerit: hujus diffidentiæ & suspicionis principium potissimùm oritur ex hoc, quòd scilicet operarius artem & scientiam suam conatur occultare, ut plurimùm eum in finem, ut simul per hanc speciém insciti am suam abscondat: id, dum aliis subolet, in causa est, quòd omnia ejus dicta in suspicionem vocentur, præsertim si ambigue sæpius respondeat sciscitantibus, ut claram rerum ideam mente concipere non possint, odorantes, & ipsum operarium in verbis suis & conceptibus mentis confusum esse, ancipitem hærere quid faciat, jam hoc jam illud experiri, & nihilominus subinde errare; hinc, inquam, diffidentia & suspicio, operarium aut rem non satis intelligere, aut habitu & usu non satis pollere ad rem perficiendam. At verò siquis rotunde dicit, quod res est, ejusque veram rationem explicat, ut ii, quorum res agitur, comprehendere possint, an cessandum sit, aut quid agendum, quidve patiendum sit, tunc alter tranquillo animo expectare & permittere potest, ut alter sedato animo rem peragat: hic scopus est, ad quem toto pectore expeto vel tandem rem perducere, quare *Unicum omnium donationum bonarum Largitorem* imploro, velit animum meum & intellectum ita gubernare, ut hoc Scriptum ad id proficiat. quò hæc praxis usu quotidiano invalescat, maximo Reipublicæ emolumento.

Ut verò mutua hæc & tranquilla confidentia concilietur inter eum, qui auxilium subministrat, & inter eum, cui id submi-

miniſtratur, opus eſt, utrumque diſtincta rerum comprehenſione gaudere, ſcientes, quæ partum promoveant aut impediant, & quid conſequenter faciendum vel omittendum ſit; quam cognitionem iterata hujus Libri lectione ſibi facilè acquiret, quiſquis ſano attentoque judicio valet, imprimis ſi accurata attentione *Sceleton humanum* aliquoties contemplatus fuerit, ut hac ratione *ſecundùm meas Figuras perfectam pelvis ejuſque oſſium imaginem* animo recondat, unde certiſſime ſequetur promptiſſima facultas & reliqua diſtincte & perſpicue intelligendi, tum quilibet propriis ſuis oculis & judicio uti poterit ad cognoſcendum, quid *obſtetrix* facere, quid omittere debeat.

Non ignoro, paucas *obſtetrices* huic meo conſilio applauſuras eſſe; verùm ſatis etiam ſcio, neminem illud, præter rudes parvi ducturas atque reſputuras eſſe, odorantes, ſi homines hoc conſilium ſequerentur, actionum ſuarum rationem exactum iri; & quum ſentiant: ſe certi nihil habere, quod ad rem dicant, ideoque ipſarum res profligata eſt & perdita, aliorumque hominum ludibrio exponuntur, unde bona non ſolùm opinione excidunt, ſed & earum opera à nemine poſthac adhibetur, cujus operæ locatione invite deſtituuntur: ſed quid conſilii? utique ſatius eſt, *obſtetricem* aliquam pudefieri, quàm matrem cum infante vitæ periculo exponi, aut per inſcitiam perire. Ego in expectatione ſum, hocce meo conſilio pleraſque *obſtetrices* nolentes volentes tractum iri ad majus ſcientiæ ſtudium, metuentes, ne ſua ignorantia vulgo diſpaleſcat, contemptumque afferat: *Prudentes* verò & *cordatæ obſtetrices* hoc meum conſilium ſequentes experientur, ſe majore cum tranquillitate ac laude munus ſuum obire & conficere poſſe.

Cujuſcunque igitur ordinis atque ſexus hominibus ſuadeo, ut ſtudeant iterata lectione ſolidam ſibi comparare *cognitionem verarum cauſarum* (generalis maxime & præcipuæ cauſæ) *partûs difficilis*, ut mediante iſta cognitione ex *obſtetricibus arceſſitis* ſciſcitari queant, *an parturienti partus facilis an difficilis futurus ſit?* quò ab initio ſtatim ponderetur, *an parturiens Natu-*

ra vel Arte obſtetricante debeat eniti? Quibuſcunque etiam *prudentibus Obſtetricibus*, quibus conſcientia cordi eſt, ſuadeo, ut *ab initio ſtatim, quamprimum prægnantem tactu percontatæ ſunt, ſive ipſimet prægnanti, ſive propinquis ejus, rem omnem exponant ſine ambagibus aut involucris, ſine aſſentatione aut fuco*, ut ex eventu vel tandem pateat, ipſas prudenter & fideliter negotium ſuum geſſiſſe: Et ſane perſuaſum mihi habeo, quæ hoc modo officium exſequentur, & Deo & hominibus cariſſimas fore, etiamſi malorum invidiam non omnino effugere queant.

Primò igitur omnium *obſtetrix*, habito brevi examine, *parturientem ſine mora tactu explorare debet*, uti ſæpius in hoc Libro tradidimus: hoc ipſum ſi negligat *obſtetrix*, intolerandum eſt, atque certiſſimum ignorantiæ argumentum, aut infidelitatis ejus, ex ignavia ut plurimum & arrogantia fluentis, quaſi verò rem, licet inexpertam, ſatis tamen exploratam habeat, quum interea omnium rerum rudis ſit, utpote quæ *aut non agnoſcit, aut non metuit obliquati uteri pericula.*

Parturiente jam tactu explorata *obſtetrix* ex iſto tactu cognitionem ſitûs uteri capere debet, & quid inde conſequatur: idcirco ſiquis ab ipſa rationem exigat, oportet illam eidem indicare *locum oris uteri*, an ſitum ſit illud *ſuper mediam pelvim*? an in *antica* ad oſſa pubis? an in *poſtica* ad vertebras ſive os ſacrum? an in *dextro* an in *ſiniſtro* latere?

Si *obſtetrix* aſſerit: os uteri hiulcum ſuper mediam pelvim ſitum eſſe, ſimul etiam indicare poterit, *quàm late illud pateat, & quid in eo prævium exhibeatur*, caputne, an aliud membrum? ſeu aquæ protuberantes?

Si vertex infantis in oſtio oris uteri, atque os uteri ſuper pelvim, aut in pelvi ſitum eſt, tunc nullo negotio opus eſt, & ſolùm expectandum, dum Natura parturientem dolorum impetu ad laborandum concitet; nullum jam periculum in mora eſt, omnia peropportune cadent, dummodo irruant dolores, *qui quoadusque ceſſant, aut pigriores ſunt, non opus eſt, ut parturiens laborando defatigetur, ſed dolorum impetum ſecure licet expectare.*

Si

Si os uteri ſuper mediam pelvim ſitum fuerit, *obſtetrix* etiam indicabit: *altiuſne an demiſſius illud ſitum ſit:* altius; magni capitis, aut parvæ pelvis argumentum eſt: contrà ſi demiſſius jam deſcenderit; parvi capitis, aut amplæ pelvis indicium eſt, hocque poſterius faciliorem partum promittit, quàm prius.

Si os uteri in media quidem pelvi ſitum eſt, neque tamen vertex in eo ſentitur: è contrario ſi caput oblique aut facie prævia exhibeatur, aut vena umbilicalis, aut pes juxta caput prodeat, ſcito: *Obſtetrici non licere, ut parturienti ſine auxilio otioſa aſſideat*; quòd ſi neſciat, quid hoc rerum ſtatu agendum ſit, tunc non callet artem ſuam: illam utique non oportet ceſſare; quoaduſque remotis quibuſcunque aliis membris aut partibus *ſolum caput in oſtio verſetur*, ita ut vertex aut facies ſola in oſtio perſiſtat: præſtaret quidem ſolum verticem in oſtio prævium exhiberi; attamen faciei ſoli valide prorumpenti conſultius eſt locum in oſtio concedere, quàm eam violenter velle loco movere; *violenter*, inquam, aliàs ſi *leniter* ac ſine attritûs aut læſionis periculo loco moveri illa poterit, vertexque in oſtium promoveri, tunc ingens progreſſio facta eſt.

Si *obſtetrix*, quæ prius indicaverat: hoc vel illud membrum juxta vel ante caput in oſtio exhiberi, brevi poſt ſine longo temporis diſpendio refert: *ſe membrum ſimul cum capite oblatum retruſiſſe, ſolumque caput vertice, aut* (ſi quidem aliter non poteſt) *facie prævia in oſtium produxiſſe*, tunc bene fecit, & prudenter negotium geſſit: ſin longas nectit moras, & obſervetur, membrum illud ſimul cum capite exhibitum (ſeu manus ſit, ſeu pes, ſeu vena umbilicalis &c.) ulterius progredi, nec *obſtetircem* illud reducere poſſe, nec ulteriorem prolapſionem præcavere, tum ipſa non callet artem, niſi aſſiduorum dolorum vigore impediatur, ut non ſuppetat illi tempus membri ſimul prodeuntis retrudendi: atque in tanto dolorum fervore tantum non imminet periculum; ſiquidem aquis repente extuberantibus, membraniſque citò ruptis *obſtetrix* mox poſt efflu-vium aquarum ſuo quidque ordine diſponere poteſt: ſin iſta do-

loribus pigris languidisque adhuc nesciat membrum exhibitum post caput retrudere, tunc inepta est: & metuendum, ut porro negotium expedire possit, quare in illius opera non acquiescendum.

Ore uteri in pelvim directo, si *obstetrix* ait: se tactu nec caput, nec nates posse sentire, nihil in ostio exhiberi præter aquas, quæ cœperunt extuberare, *isthæc partûs difficilis indicia sunt:* Nisi igitur *obstetricis tuæ* dexteritati confidere dubitas, bene est; aliàs habilior tibi quærenda, aut ad *peritum Chirurgum obstetricantem* confugiendum erit; *infans* enim *transversus prodit*, quare mox post aquarum effluvium caput in ostium producendum, aut *infans pedibus extrahendus est*, nisi matrem & infantem mortis periculo exponere velis.

Si os uteri rectà in mediam pelvim quidem tendat, sed loco capitis altera solùm manus, pes, genu, cubitum, vena umbilicalis, aut manus unà cum pedibus prodeant, idem, quod modò expositi, periculum imminere memento: deliberandum igitur: *an præsenti obstetrici negotium committere liceat necne?* si licet; bene est: sin minus; *maturato opus est*, nisi matrem cum infante mortis periculo subjicere velis, quæ mox post effluvium aquarum cum fœtu servari quidem potest.

Si, ore uteri convenienter super mediam pelvim sito, infantis podex prævius exhibeatur, tunc minus periculi imminet, siquidem ille *cum valentioribus doloribus complicatus excludi quidem potest:* At verò si *obstetrix* egregie callet artem, sub aquarum effluvium infantis situm facilè mutare, pedesque in ostium producere potest, unde facilior adhuc enixus.

Si, ore uteri dicto modo convenienter super mediam pelvim sito, non nisi alteruter pes, aut bini pedes prodeant, tum parum periculi est, si *obstetrix* dexteritate pollet, sub aquarum effluvium *uni pedi prodeunti alterum facilè adjungere poterit*; quod si mox post effluvium aquarum effectum dare nesciat, tunc non callet artem, & matri periculum, idemque majus adhuc infanti affert; hic enim, licet vivus tandem prodeat, facilè tamen læ-

di,

di, delumbari aut luxari poteſt, niſi caute inflectatur, dum in oſtium producitur: namque infantum hoc modo prodeuntium *coxa facilè luxatur*, niſi convenienter tractentur, unde poſtea ſemper altera parte claudicant.

Si *obſtetrix* poſt tactum ait: *infans nimis alte adhuc ſitus eſt:* neque novit exponere, quomodo aut quo loco os uteri ſitum ſit, aut quid in illo prævium exhibeatur; dictitans, *intempeſtivum adhuc, & morandum eſſe*, uſque dum uterus cum infante ulterius delabatur, antequam res iſtæ cognoſci queant: interea ſi obſervatur, parturientem doloribus ad laborem concitari, tunc in mora illa non licet acquieſcere: *obſtetrix* enim ſub ea *ignorantiam ſuam conatur abſcondere*, ſperans, poſtea omnia feliciter adhuc *forſan* eventura eſſe; ſed male *forſan* evenire poſſunt: mature igitur *peritior obſtetrix* aut *Chirurgus obſtetricans* quærendus; ſiquidem os uteri alte ſuſpenſum eſſe res arguit, quia ſcilicet ipſe uterus oblique ſitus eſt, aut infans in utero prave verſus prodit: utrumque ab initio ſtatim commodius corrigi poteſt; cunctatio autem & matrem & infantem mortis periculo exponit, quapropter vigilandum eſt.

Si *obſtetrix* refert: os uteri ſuper mediam pelvim non ſitum, ſed in antica ad oſſa pubis, aut in poſtica ad os ſacrum, aut in latere ad oſſa coxendicis nimis converſum eſſe; tum periculum imminet: quæritur igitur: *an os illud parum ſaltem ad iſta oſſa vergat? an verò multum eò declinet, altiuſque illis objaceat?* ſi parum ſaltem eò vergat; tunc minus periculum eſt, atque ſi *obſtetrix* uſu rerum & exerciatione valet, negotium rite expediet, & abjecta omni cunctatione rem conficiet: ſin de cunctatione verba habet, totum negotium Naturæ committens, tunc imperita eſt aut ignava, in qua acquieſcere non licet, ſed peritior *obſtetrix* aut *Chirurgus obſtetricans* mature quærendus, periculum enim in mora eſt.

Si *obſtetrix* ait: os uteri altiùs & validiùs huic vel iſti oſſi objacere, tunc à Natura enixum noli ſperare; id enim & matri & in-

infanti periculoſiſſimum: ſi *obſtetrix tua* uſu & exercitatione valet, ut arte partum maturare ſciat ſecundùm methodum hoc Libro traditam, tum abjecta omni cunctatione omnem curam atque operam ad id conferat, conſultò tamen, caute, promptequeque negotium expediat: *cunctatio nihil commodi, ſed multum mali quidem inferre poteſt:* Si rei tam gravi atque arduæ *obſtetricem præſentem* parem eſſe addubites, tum peritior tibi quærenda, aut ad auxilium *periti obſtetricantis Chirurgi* confugiendum erit; *talis* enim *uteri poſitura mortem afferre ſolet infanti, imò & parturienti nonnunquam*, ac rarò quidem utriuſque vita ſervatur, ſi ſoli Naturæ id negotii detur, aut non niſi vulgares ſuppetiæ ferantur; quum contrà, ſi ejuſmodi parturienti manu exercita auxilium ſubminiſtretur, partuſque arte acceleretur, & mater & infans ſervari poſſit.

Utero ſeu recte ſeu plus minus oblique poſito, ſi membranâ ruptâ membrum aliquod (ſive manus, ſive pes &c.) excluſum ſit, id indicat: *partum confeſtim ac ſine mora excludendum eſſe* ſecundùm methodum hoc Libro traditam, quod ſi *obſtetrix* arte è veſtigio effectum dare neſciat, perſuaſa, id à dolorum efficacia expectandum eſſe, tum ocyus exercitatior arceſſenda, aut partus ab *experto Chirurgo obſtetricante* excludendus eſt: quid ceſſas? periculum ſubinde ingraveſcit, opera fit difficilior, cruciatus parturientis aggravantur, vireſque ad ferendos dolores deficiunt: *cunctando remis veliſque pleniſſimis in diſcrimen fertur parturiens, ſed maturata partus excluſione periculum ſubterfugit.*

Si *obſtetrix* utero adhuc alte ſuſpenſo, membraniſque nondum ruptis periculum indicio ſuo mature detegere omiſit, ſi uterus jam delapſus & ſimul cum infante in anguſtias compulſus eſt, ſi dolores vehementes ſine ſucceſſu irruunt, *tum nullum temporis momentum prætermittendum eſt*; rariſſime enim fit, ut periculo, quod incurrit, ſe ſciat expedire, qui illud mature prævidere & ſubterfugere neſcivit: hoc caſu in *talis obſtetricis* opera acquieſcere noli, ſed, ſi rebus tuis conſultum vis, peritiorem a-

li-

liquam aut *expertum Chirurgum obſtetricantem* adjungito, quò & matris & infantis, aut alterutrius ad minimum vitæ ſervandæ proſpiciatur: quare ceſſatur auxilio aliorum quamprimum invocando? quare in dies ſingulos illud procraſtinatur, uſque dum aut mater aut infans, aut ambæ exſpirent? utinam hoc ponderarent homines! tantus ſane fœminarum & infantum numerus (ut quotidie fit) haud occumberet.

CAP. L.

De partu difficili, oriundo ex dolorum defectu, aut à pravis ac tergiverſantibus doloribus.

Partus non ſemper retardatur aut aggraveſcit ex *prava uteri poſitura*, aut ab *infantibus prave verſis*, ſed & alia ſymptomata enixum remorari poſſunt, de quibus hoc Capite paucis agendum eſt. Ad partum felicem facilemque etiam requiruntur *dolores naturales*, ſuo tempore & modo *inſtar nimbi* irruentes: Per *dolores* hos *naturales* intelligimus *tales motus ultrò exorientes, quibus ventris & inteſtinorum muſculi adſtricti tantam depreſſionem impetumque in uterum faciunt, quaſi è corpore expellendus eſſet; atque horum dolorum impulſu aperitur uterus, fœtuſque in oſtium, & porro per illud expellitur, & hoc pacto fœmina feliciter partum edit.* Si igitur motus iſti naturales (haud abſimiles motibus, quos quilibet ſentit *alvum exoneraturus, in* hoc tamen diſcrepantes, quòd *hi inteſtinum rectum* potius, *iſti autem uterum* impetant) aut omnino deſint, aut minus ſufficiant, aut pravi etiam ſint, inde labori mora & impedimentum infertur.

Quemadmodum *pravus* datur *irrituſve dejiciendi conatus:* ita & *pravi* dantur *irritive dolores*, quos vocant, aut vocare poſſunt *feroces aut tergiverſantes dolores:* fœminæ his tergiverſantibus doloribus laborantes corripi videntur *vehementibus deprimendi conatibus*, qui quaſi *repentini nimbi* ingruunt; ante-

quam verò penetraverint, aut depreſſionem veram fecerint, *ceſſant iſti motus, ac in cruciatum aut ſpaſmum laborandique impotentiam mutantur: Remedium tergiverſantes hos dolore ingenuinos pariendi dolores mutandi* deſcripſi CAP. XVIII. cui exabundanti ſuperaddam: *in his tergiverſantibus doloribus, medicamentis propellentibus non utendum eſſe*, quia exinde cruciatus ingraveſcunt; ſed contrà *lenientia & anodina ſumenda*, & experieris, dolores ultrò concitatum iri.

Nonnunquam autem accidit, ut dolores, quos ab initio ſatis adaugeſcere ſpes erat, poſtea *admodum diminuantur*, aut *omnino ceſſent*, quod ut plurimum fit *ex inopia auxilii convenientis:* Non rarò *infantis caput aut humeri* alicubi hærentis in cauſa ſunt, quòd partus parum adeò ſuccedit, undo Natura invita languet, ſicut alibi monuimus, ideoque hîc loci in hoc explicando prolixiores non erimus. Quòd ſi fortè, ut fieri poteſt, *dolores imminuantur vel ceſſent*, infante autem ad excluſionem bene ſito, periculum non ſit in mora, tunt ſuadeo, *parturientem patiaris quieſcere, uſque dum dolores ultrò redeant*; aut, ſi infans ulterius jam progreſſus ſit, quàm ut in illo ſtatu relinqui poſſit, tum experiendum eſt, *an adhibito Clyſtere modo ſuprà tradito dolores concitari poſſint:* quod ſi itidem irritum fuerit, ad conſilium *prudentis Medici* confugiendum; ſed prius probe ponderandum: *an manuum opera ad concitandos labores infantemque expellendum nonnihil tribuere valeat*; quippe non rarò *expertus Chirurgus obſtetricans* ſive *obſtetrix* plus conferre poteſt ad promovendos dolores exercitæ manûs operâ, quàm expertus Medicus præſcriptis medicamentis.

Equidem non ignoro, *ad concitandos dolores medicamenta plurimùm* valere, ſed plurimæ etiam obſervationes me edocuerunt: *medicamenta fortiter propellentia multum mali parturientibus inferre*; quin imò, ſi rejectis remediis (ut vocant) *dolorificis* manuum opera prudenter adhibita fuiſſet, pleraſque fœminas fore ſuperſtites confido, quæ nulla infirmitatis habita ratione ejuſmodi remediis utentes, vel potius abutentes, mor-

te

te occubuerunt. Ego Deo gratias ago, quòd ab isto tam profusæ medicamentorum exhibitionis abusu liberatus sim, expertus: *apta & conveniente manuum opera omnium fere parturientium partum prompte & secure expediri posse*, si modò vires parturienti suppetant, sufficientes paulisper ferendo labori ad auxilium ferendum necessario: Libere ego ad omnes provocare ausim, quibus operam obstetricantem præstiti decem sive duodecim abhinc annis, (spatium enim prioris temporis in temporibus ignorantiæ meæ deputo, ad methodum vulgarem tum arte obstetricandi tractata) atque ingenue asserere possum: me toto illius temporis decursu ne ulli quidem (quod sciam) parturienti adfuisse, (præter unicam, quæ ipsamet in culpa fuerat) quin partum feliciter & parvo temporis spatio expediverim, *sine exhibitione ullius medicamenti propellentis*, *sine usu ullius instrumenti*, *nullis unquam infantibus mutilatis*, *nullis membris fractis*: (præterquam quòd nonnunquam, licet rarissime, matre animam agente, ejus vitæ servandæ gratia caput infantis aperui, quod in pelvi jam dudum hæserat coarctatum) nec unquam (quod sciam) parturientem *laceravi* aut *læsi*, unde aliquid postea incommodi ipsi adhæsisset; imò nulla illarum (quod sciam) *urinæ stillicidium* retinuit, nulla *procidentiam uteri* passa est, nec ulli insigne aliquod malum adhæsit, unde Deo T. O. M. iterum gratias ago, & simul *omnibus circumspectis obstetricibus* suadeo, ut quævis obstacula partum retardantia diligenter removeant: tunc experientur, & sibi materiam esse, pro qua mecum Deo gratias agant: itidem cum minore animi angore efficacius præsensque auxilium parturientibus subministrare poterunt, neque se ipsas consilii inopes tam sæpe sentient, uti antea factum est: id quod precatus omnibus, qui illud cœlitus sibi concedi expetunt, hominibus, huic Tractatui coronidem imponam, sperans, meum laborem haud frustraneum, sed multis miseris parturientibus earumque propinquis auxilio ac solatio fore, atque permansurum tanquam bonam fragrantiam etiam post obitum meum *per Eum*, *Qui Vita & Immorta-*

mortalitas Ipsa est, meumque animum movit, ut susceperim negotium salutaris hujus Scientiæ tam fideliter ac perspicue describendæ in proximi mei solatium.

APPENDIX.

De Monstrorum *& ejusmodi Infantum exclusione, qui in utero quàm maxime obliquato recte quidem versi, sed capite (ex obstetricum negligentia aut alia de causa) prave in cavitatem pelvis delapsi, inibique immobiliter coarctati sunt.*

POstquam toto hoc Libro traditum & demonstratum est, qua ratione prægnantium partus sine matrum infantumque periculo capitali prompte expediri queat, sine ullo instrumento, solâ manuum probe exercitarum operâ; non inutile judico commemorare; *ubi & qua ratione exiguorum quorundam instrumentorum usus nonnunquam locum habere queat*, quò *Chirurgus obstertricans* quovis obveniente casu se expedire valeat; *Chirurgus obstetricans*, inquam; siquidem *fœminam ne ullo unquam instrumento uti debere existimo:* certum enim est, *expertum Chirurgum obstetricantem, chirurgicarum operationum usu valentem*, majori dexteritate valere quàm *obstetricem* in adhibendis (ubi res postulat) instrumentis, licet illa judicio satis quidem pollere possit, *tractandis* tamen *instrumentis* tam habilis non est: Attamen si *obstetricem ruri* necessitas nonnunquam urgeat, ubi *Chirurgus obstetricans* arcessi non potest, pro viribus rem expediat, captoque sibi pro tempore consilio pareat necessitati.

Ut igitur plane explicem sensa mea *de usu instrumentorum*, *duos* tantùm *casus* dari arbitror, *ubi instrumenta usui esse possunt*, scilicet: si infantes *ob monstrosam magnitudinem* totius corporis, aut partis alicujus, pelvim, proportione sua nimis par-

parvam, integri transire prorsus non valeant: aut, si *propter negligentiam vel insciti am obstetricis in utero quàm maxime obliquato infantis recte versi caput in angustam cavitatem pelvis delapsum, inibique simul cum humeris adeò coarctatum sit, ut ad impetum dolorum validissimorum ne minima quidem percipiatur descensio*, ita ut quibuscunque remediis frustra tentatis (ut saluti matris consuletur) *infantem illum tanquam mortuum oporteat tractari & extrahi.*

Ad *monstra* quod attinet, ea magnitudine adeò excedere possunt, ut angustiam pelvis transire omnino non valeant, quare in hoc casu alia certe ratione rem expedire non licet, nisi *infante dearticulando & frustulatim extrahendo:* Equidem non nego, talem casum incidere posse; at fateor unà, mihi eundem ne unquam quidem obtigisse: quoscunque mihi occasio obtulit infantes, pedibus extrahere potui, neque unquam infortunium habui, ut caput, quantum erat, intra maternum corpus fixum hæserit, seu à trunco suo avulsum sit: Veruntamen si fortè venter, aut pectus, aut caput præ monstrosa magnitudine transmitti prorsus non possit, in tali casu *aperienda & exenteranda, vel humoribus* (quibus ut plurimum *hydrocephali* turgent) seu omnino seu ex parte vacuanda erunt, ut infans extrahi possit.

Ejusmodi *hydrocephalus* aut *ascites* commode aperitur instrumento quodam persimili illi, quo ventrem hydropicorum, aut scrotum hydrocelicorum aperiunt, præterquam quòd hoc (de quo nobis sermo est) majore forma esse debeat, quod illud minore forma exhibet; nimirum *teres tubulus; unum pedem aut quinque pedis quadrantes longus*, cujus *canaliculæ* exactissime respondet *stylus* itidem *teres*, mucrone trigono acuto: tubulus ille primò juxta manum usque ad caput aut ventrem perforandum immittitur, & per illum probe fixum stylus trajicitur usque in cavitatem ventris sive capitis, quo pacto humor emittitur.

Hoc instrumentum appositum quidem est & maxime accom-

modum; attamen quia ejusmodi casus *Chirurgo obstetricanti* in vita sua ne unquam quidem aut rarissime obvenerit, vix operæ pretium erit tale fabricari; siquidem qualicunque instrumento pungente non admodum acuto nunquam non caput aut ventrem infantis perforare licet, instrumento, inquam, non admodum acuto, neque mucrone scilicet, neque angulis: instrumento enim nimis acuto facilè se ipsum quis aut parturientis partes læderet, qualecunque enim instrumentum fuerit, unà cum manu, aut juxta manum in corpore versantem nunquam non intromitti debet, ita ut certus esse possis, illud nullibi læsurum, præterquam ubi perforare velis, quo loco si applicitum fuerit instrumentum, venter facilè pertundi, humorque emitti poterit, quod si nondum sufficiat, venter porro exenterandus est, ut aptus ad transeundum fiat. Quòd si caput, licet hydropicum non sit, præ monstrosa magnitudine tamen transire nequeat, itidem perforandum & excerebrandum erit, ut concidat, aptumque fiat ad transeundum per pelvis angustiam.

Chirurgus artis obstetricandi peritus in ejusmodi casu facile sibi consilium capiet, modò à suo ipsius animo & ab ipsa parturiente ejusque propinquis concessam habeat licentiam infantis lædendi seu exenterandi: nullum fere infantis membrum est, quod *sine recisione quidem* facilè deartuare non posset, *exempli gratia*, brachium sive crus, si res postulat, *torquendo* seu *versando* deartuari potest, idem & aliis membris fieri potest. *NB.* dico quidem, *id fieri posse, si nimirum necessitas exigat*; at verò nemini auctor esse vellem, ut id faceret, nisi *extrema necessitate adstrictus* ad demendum crus vel brachium, quod tum tutius adhuc *torquendo* quàm abscindendo detruncari posset

Ne verò in *monstris* diutius immoremur, neque de singulis speciatim verba habeamus, sive unum corpus duo capita habeat, sive duo capita & duo corpora in unum coaluerint, sive quocunque modo male conformata sint, ut ea de causa per angustum pelvis iter transire prorsus nequeant, tum *ad recensionem*

con-

confugiendum earum partium, quæ transitum ut plurimum impediunt, eæque *torquendo* potius deartuandæ sunt, quàm recidendo, quippe recisio parturienti majus periculum intentat. Membrum quoddam, *exempli gratia* brachium, avulsurus linteo sicco lacertum apprehensum torquere debet, quasi linteum extorqueret, una eademque via semper torquens, & videbit tandem brachium prope humerum abrumpi, prorsusque dissolvi. Hoc artis opus adhuc tyro tempore ignorantiæ meæ addidici, nondum penitus explorata versione infantum, nesciens emortuos infantes, quorum brachium humero tenus excluſum erat, integros & illæsos extrahere; tum temporis aliquando brachium prope humerum *torquendo* avulseram, quò plus spatii mihi suppeteret: sed brevi postea errores cognitos corrigere studens *isto torquendi modo nunquam adhuc usus sum*, sed omnes infantes ita sitos integros illæsosque verti, pedibusque extraxi: interim ex isto errore meo hoc addidici experimentum, *urgente* nimirum *necessitate membra hac ratione absque torquendo deartuari posse*, at verò res fere nunquam illud exigit.

Verum videamus, qua ratione negotium expediendum sit, si infantum exclusio non quidem monstrosâ formâ aut magnitudine, sed *prava uteri positura præpeditur*, quid tum agendum sit, ac in quo casu instrumenta quædam adhibenda sint: *Primò*: Excipio omnes infantes, qui in obliquo utero prave versi prodeunt, id est qui *capite prævio ostio non imminent*; ii omnes solis manibus sine ullo instrumento, sine læsione aut detruncatione ullius membri secure verti extrahique possunt, quapropter *instrumenta hîc non usui sunt*. *Secundò*: Excipio omnes infantes, qui in utero obliquo bene versi prodeunt, si *adhuc supra pelvim siti, aut in eandem nondum procul delapsi aut coarctati sint, ita ut retrudi possint, quò juxta caput ad pedes penetrare possis*: dum hoc fieri potest, *instrumentis non opus est*; sed ii infantes manuum operâ integri & illæsi extrahi possunt.

Si verò *ex obstetricum inconsiderantia aut ignorantia infan-*

tes

tes capite prævio in cavitatem pelvis delapsi sint, & aquis jam effluxis in flexuoso anfractu tanquam in triangulo constipati neque dolorum impetu, neque artis opera, neque sursum, neque deorsum moveri queant, tum alia via non patet, nisi ut infantem, sive mortuum sive vivum, matris servandæ gratia, *ut mortuum tractes*, quod meritò nunquam tentandum esset, præterquam in extremo hoc periculo: detestor levem quorundam consuetudinem, qua infantes *uncis* extrahere audent! quamprimum dolores parum cessant, confestim audies: *infans exspiravit*: tum *uncis* extrahuntur miseri infantuli, utut adhuc vivant, & vivi quidem extrahantur cum Chirurgi pudore, Parentumque ac aliorum præsentium mœrore: Attamen si infans, uti dictum, in curvamine triquetro compressus fixusque hæreat, tum alia expediendi via non datur, quàm ut infans *tanquam emortuus tractetur*; atque *tum unci nunquam usui esse possunt*, quia humeri adeò valide obstant, ut caput, licet vi maxima detractum succedere non possit: quòd sicui nihilominus arrideat uncis rem experiri, illi liberum esto: sin minus succedat, aliud medium rei secure expediendæ non datur, nisi *verticis perforandi, capitisque excerebrandi*, ut porro manu juxta caput immissa humeri ab ossibus, quibus apprimuntur, removeantur; aliâs periculum est, ne operam perdas, & violentius trahendo parturientem lædas: Siquidem mihi ipsi contigit, ut caput licet omnino jam excerebratum, valida forcipe vehementer quidem, sed sine successu traherem, quia scilicet humeri ossibus validissime appressi renitebantur: capite verò excerebrato humerisque manu juxta caput immissa ab ossibus remotis facilè aut minore cum labore succedunt; quapropter hanc methodum tanquam maxime convenientem, commendo.

Ad perforandum infantis caput *singulari instrumento non opus est: vulgaris culter incisorius, usque ad extremum acumen obvolutus*, aut *forficula* aut *spathula acuta* huic operæ sufficit: tum foramine digitis dilatato, cerebrum itidem digitis solutum egerendum est, quo facto caput seu *manu*, seu *linteolo* detrahen-

hendum, ac hoc modo tentandum, an corpus succeſſurum ſit: ſi ſuccedat; perge modò trahere: ſin minus ſuccedat; tunc humeri ab oſſibus liberandi ſunt, uti dictum eſt, totumque corpus detrahendum: quando dico, *caput linteolo detrahendum eſſe*, id volo, ſcilicet *faſciam latiorem filiſque obliquis crenatam* (aut aliud exile firmumque linteolum) poſt caput ingerendam, colloque injiciendam eſſe, qua probe contorta infans extrahendus eſt, quam agendi rationem ego maxime probo.

Quibus *manus* ſunt tam *ſubtiles*, ut talem faſciam poſt caput nondum perforatum ingerere poſſint, iis non neceſſe eſt aperire caput, ideoque ad hoc negotium expediendum magna commoditate gaudent: nihil unquam cum *arte obſtetricandi* magis congruit, quàm *manus ſubtiles*, *digiti oblongi*, *ingeniumque capax*, ſed tum humeri quoque expediti ſint oportet ad ſequendum trahentem, aliàs irrito conatu traheretur.

Nonnunquam ex alio caſu infantes caput prævium exhibentes anguſtiam pelvis tranſire nequeunt, ut propterea dicto modo tanquam exanimes tractandi ſint: attamen re præcognita & præmeditata & mater & infans ſervari quidem poterit, *infantem vertendo pedibuſque extrahendo, quamprimum nimirum prægnans parturire cœpit:* caſus ille, de quo hîc ſermo eſt, quibuſdam fœminis accidit, *quarum os ſacrum quàm maxime priorſum incurvatur, quarumque os coccygis duriſſimum & inflexibile fere eſt*, unde partes finitimæ non niſi violenter retroagi poſſunt: At verò ſi hujuſmodi parturientibus *in principio laborum* adfueris *arte enixum expediendo*, uti ſuprà dictum, mater unâ cum infante ſervari quidem poteſt; quum aliâs omnibus ejuſmodi infantibus certiſſime moriendum ſit, quin & nonnunquam ipſa mater ſine enixu occumbat.

Quæret fortaſſe quiſpiam: Si prægnantium partus expediri poteſt methodo hoc Libro hactenus demonſtrata, *quam igitur utilitatem adferant tot inſtrumenta, à pleriſque Auctoribus typis exhibita atque commendata?* Cui reſpondeo: Quaſ-

cunque Artes & Scientias continuo exercitio emendari, atque ad expeditum usum magis magisque accommodari: *eadem & Artis obstetricandi ratio est:* quibuscunque *Speculis matricis, uncis*, aliisque instrumentis insolentibus Veteres plures infantes occidisse quàm servasse censeo; quòd si iisdem quarundam parturientium vitam nonnunquam servaverint, non paucas sane læserunt etiam & excruciaverunt, quorum errores nobis instar phari sunt atque monumenti, ut meliora investigemus: Et ego jam studium impertivi meum secernendo à paleis frumento, quæ reliqua sunt, alius porro eventilet.

Ex his, quæ jam dicta sunt, cuilibet satis liquet, *rarissime*, imò *ne unquàm quidem instrumenta usui esse*, præterquam *infantibus incuria neglectis, monstrisque excludendis*, ut proinde *obstetricandi Ars* pro re inhumana, crudeli aut horrenda nequaquam posthac habenda, sed à quibuscunque cordatis æquisque hominibus maximi meritò æstimanda sit, & quisque obstrictum se sentiat ad usum *salutaris hujus Artis mathematicæ* mature adhibendum, priusquam ab inscitia & incuria parturiens unà cum infante in maximum discrimen deducta sit. Huncce laboris mei fructum concedat Deus ad plurimarum fœminarum infantumque salutem, atque ad ter-Sancti Nominis Sui gloriam, AMEN.

FINIS.

Admonitio ad Lectorem.

MUlti homines jamdudum querentes dolebant, quòd non ſine incommodo ſuo ſeriùs cognoverint *de peritia mea*, qua valeam ego ad *corrigendos & reſtituendos mancos aut membro captos*, rerum eventu experti, meam peritiam & dexteritatem præſtare multorum aliorum ſcientiæ, palàm profitentium, ſe curaturos ejuſmodi malis laborantes, quorum tamen auxilio cum nummorum temporiſque diſpendio fruſtra ſe uſos eſſe miſeri querebantur, è contrario experti, ſe magna cum voluptate compotes fieri omnium eorum, quæ ego ipſis promiſerim præſtare; unde conſcientiâ me adſtrictum eſſe cenſebant, ut in Diario novorum publico iſtam peritiam meam curarem publicari: Ego verò apud animum id ſtatuere nunquam potui, ratus, proverbium obſervandum eſſe: *Ægro Medicum quærendum eſſe, non autem Medico ægrum*: quippe bona ultrò oblata plerumque ſuſpecta ſunt ac vilipenduntur, quamvis certum etiam ſit, multos in miſeriis detineri, quòd ipſos lateat, unde auxilium petendum ſit. Ne igitur lucernam ſubter modium ponam, neque imiter vanos circumforaneorum clamores, (qui ſolius lucri ſtimulis incitati novorum relatoribus ſuppiementa ſubminiſtrant, ſive ſchedulas ſignificativas oppidatim diſpergunt, ut plebi novorum cupidæ ſalivam moveant, & jam hunc jam illum vanis pollicitationibus lactantes argento emungant, ſibi ipſis opulentiam exinde parantes) conſultum mihi viſum eſt relationem aliquam mearum operationum hîc loci ſubjungere, quantum quidem ſatis erit ad informandos eos, qui, quò ſe vertant, neſciunt, aut ſibi aut ſuis auxilium petituri: non quidem, ut ejuſmodi miſeriis laborantes ab aliis Operatoribus averſos allicerem; ſed, uti dictum, eos ſolùm informarem, qui neſciunt, unde auxilium petant, aut qui ab aliis irrito ſucceſſu illud petiverunt: Atque ut ſpeciatim innoteſcat, quænam corporis vitia redintegrare ſoleam, aliqua illorum frequentius obvia deſcribam.

1. *Obſtipa ſeu obliqua capita*, quæ ob tendinum contractionem directa teneri nequeunt, ſed in alterutrum ſemper humerum inclinata ſunt, neque in adverſum latus flecti poſſunt, ea, inquam, capita erigo, & efficio, ut in medio humerorum directa emineant.

2. Si *caput atque collum ad alterutrum humerum ulterius diſcedit, eaque non recta ſed obliqua è corpore aſſurgunt*, perſonaſque deformant, licet eædem Perſonæ caput & collum quoquoverſum flectere ac movere valeant: iſtam deformitatem tollo, & caput & collum in genuinum ſitum inter humeros ſuper medium corpus directa reſtituendo.

3. Sicui *alter humerus altius altero aſſurgit vel duorum digitorum, & quod excedit, latitudine*; tum aut ſolum altiorem humerum deorſum redigo,

aut dum altiorem redigo, depreſſiorem ſurſum redigo, quoad uſque eadem altitudine conveniant.

4. Si *alteruter humerus ex tendinum contractione prorſum nimis trahitur, ut exinde ſcapula exſtet & emineat*; talem humerum priorſum nimis tendentem in locum genuinum retrorſum redigo, ut exſtans ſcapula ſubſidat, ac coſtis plane iterum incumbat.

5. Si *uterque humerus nimis prorſum trahitur, dorſumque nimis latum & pectus nimis anguſtum fit*, unde dorſo fornicato corporis deformitas; ejuſmodi humerum utrumque retroago, pectuſque tam latum, & dorſum tam anguſtum planumque reddo, quàm quidem opus eſt ad juſtæ ſtaturæ corrections.

6. Si *alterutrius lateris coxæ nimium exſtant, & ſuperius corpus alterutram coxam excedit ac incurvatur*; tale corpus in rectam ſtaturam reſtituo, curans, ne porro in alterutrum latus declinet.

7. Si *coſtæ in alterutrum latus diſcedentes excreverunt, & multo majores factæ ſunt quàm coſtæ in adverſo latere, unde corpora gibbera* & quàm maxime deformia: tum coſtas excedentes retrorſum redigo, in altum nimis aſſurgentes impedio, ne altius creſcendo aſſurgant, eoque efficio, ut minores coſtæ in cavo latere accreſcant, unde utrumque latus pariter ſuppletur, tum porro totum corpus ſuperius in rectum ſtatum redigo.

8. Si *totum corpus ſuperius in alterutrum latus delabitur, & exinde altera coxa introrſum, altera autem extrorſum cedit*; tum ego coxam extrorſum cedentem introrſum, ac introrſum cedentem extrorſum redigo, & alteram alteri parem reddo, ut corpus rectum inter utramque coxam emineat.

9. Sicui *altera coxa altius aſſurgit quàm altera vel duorum etiam triumve digitorum latitudine*; tunc ego altiorem deorſum redigo, ut cum inferiore rurſum æqualis fiat.

10. Sicui *una aut plures vertebræ luxatæ ſunt, ac is exinde pedibus totoque inferiore corpore captus eſt, ut nec pedem nec ullum pedis digitum movere queat, atque ſuperius corpus totum ſit gibberum & obliquum*; tum excedentes vertebras introrſum redigo, ut ſucco nervorum via rurſum pateat per ſpinæ medullam, atque hoc modo tali Perſonæ ambulandi facultatem reſtituo juſtumque ſtaturæ habitum.

11. Sicui *lumbi ſunt nimis ſinuoſi, cluneſque nimis retrorſum exſtant, unde cernuus incedit*; tum nates prorſum ventremque retrorſum redigo, melioremque formæ ſtaturam reſtituo.

12. Sicui *oſſa femoris ob tendinum contractionem introrſum intorta ſunt, ut ambulare nequeat, aut non niſi pedibus decuſſatis incedere poſſit*; tum efficio, ut oſſa iſta retorqueantur, ut inſtar aliorum hominum incedere queat.

13. E contrario ſicui *ob tendinum contractionem oſſa illa extrorſum torta ſunt, ut exinde itidem decuſſatis pedibus incedendum ſit*; iis æque ac prioribus oſſibus ambulandi facultatem reſtituere non dubito.

14. Itidem *omnium infantum pedes, quorum digiti nimis introrſum vel extrorſum torquentur*, efficio, ut in alteram partem vergant, ut directis pedibus incedere poſſint.

15. Siquis *compernis genua ambulando inter ſe collidit, & exinde pedes inter eundum late diſtantes ponit inſtar vari:* vel è contrario: ſi *genua latius à ſe invicem diſtant, pedeſque ſibi invicem nimis appropinquant, inſtar vatii*, ut in e itio ſufflaminetur; ejusmodi malis laborantes reſtituo, ut convenienter ambulare queant, dilatans, quod nimis propinquum eſt, propiuſque adducens, quæ nimium a ſe invicem diſtabant.

16. Si *infantum tibiæ curvæ & inflexæ introrſum vel extrorſum excreſcunt, ex morbo (uti vocant) Anglico, unde incurvi & incapaces fiunt ad ambu andum*; tum efficio, ut tibiæ inflectantur, & rectæ evadant, ut accipiant facultatem eundi.

17. Infantes, *qui pedibus obliquatis vel retortis naſcuntur*, hoc eſt, *quibus pedes prope malleolos inflectuntur, ut plantæ pedum extrorſum aut introrſum cruribus apponantur*, unde infantes ad ambulandum inhabiles redduntur; tales, inquam, infantes ego reſtituo, ut inſtar aliorum hominum ſuper plantis convenienter incedant.

18. Quicunque *in partu aut alio caſu unum vel utrumque malleolum luxarunt, unde ſucceſſu temporis crura malleolos tranſgrediuntur*, ut ipſis ſuper latere pedum aut malleolis incedendum ſit; eos itidem reſtituo, ut ſuper plantis pedum incedant.

19. Sicui *pedes per contractionem ita convolvuntur, ut tarſus ſuprà nimis in rotundum gibbum elevetur, planta verò infrà nimis inſinuata ſit*, ut exinde ægre ambulare poſſit; talem reſtituo, ut convenienter incedat.

20. Siqui *ex paralyſi altero pede, imò altero latere capti ſunt à ventre uſque ad pedis digitos*, ita ut ne quidem ſuper pedem illum captum ſtare valeant, multo minus ambulare; tum ego efficio ut ambulent mediante inſtrumento quodam cruri accommodato, quo ſtare, ambulare, ſedere, quin & genua flectere poſſunt, ita ut illis non opus ſit gradum ſcipione ſubalari aut baculo fulcire.

21. Itidem remedia adhibeo omnibus *contractione aliqua aut rigore laborantibus in humeris, brachiis, cubitis, manibus, digitis*, quæ ſingula hîc recenſere nimis prolixum foret.

22. Protectioris jam ætatis homines, *qui jam inde ab infantia ſua obliquati aut gibberi fuerunt, eoque inſanabiles*; niſi jam annoſi nimis ſint, corrigere inſigniter quidem poſſum, aut à majore incurvatione conſervare mediantibus *capitiis* (*keurſlijven*) ex ferro aut oſſibus balænæ confectis, quibus multo minorem deformitatem præ ſe ferunt, quàm aliâs ſolent, quoniam deſtituuntur veſtiario, qui veſtem illis commode & concinne accommodare novit.

Ratio cum Perſonis conveniendi hæc eſt; Priuſquam laboranti curationem meam petenti manum adhibeo, totius curationis pretium paciſci ſoleo, neque contendo de numeranda pecunia, antequam vitii correctionem, aut curatio-

rationem abſolutam, quam promiſi, præſtiterim, nihil poſtulans pro labore, inſtrumentis, impenſiſve, niſi conditionibus promiſſis antea expletis, præterquam quòd ii, qui capitiis utuntur, tenentur ea extra pactum ſolvere: adhæc petentibus certum tempus plus minus trimeſtre libenter concedo, prout ſcilicet accidentia corporis ſe habent; quod tempus ſi effluxerit ſine competenti emendatione, tum pacto, ſi libet, abſolvi poſſunt, nequaquam adſtricti ad ullam compenſationem: verùm intra illud temporis ſpatium ſi competenter melius habeant, tenentur curationem continuare, uſque dum promiſſam reſtitutionem aſſequuti ſint: quo tempore, ne penſio in ſerum protrahatur, pecuniam ex pacto mihi numerari curo, quamvis opus ſit, laborantes diutius adhuc continuare uſum inſtrumentorum ad reſtitutionis confirmationem, cujus pacti conceptam ſyngraphan ab utroque contrahente ſubſignari curo.

Tantillum de vitiis corporum, quibus quotidie remedia adhibeo, inſtrumentis ac commodis à me ipſo inventis, ea reſtituens, neque dictorum numero terminata ſunt vitia, quæ curo, nam præter memorata plurima curavi: Et hoc pacto multorum deſiderio me ſatisfeciſſe arbitror, exiſtimantium, me male feciſſe, multoſque miſeros defraudaſſe, quòd dudum non palàm fecerim in Diario novorum publico donum à Divina gratia bonitateque mihi conceſſum, ut plurimi eo miſeri juventur. Quicunque igitur vel in ſuo vel ſuorum corpore memoratis miſeriis aliiſque ſimilibus vexatur, neque eo, ubi habitat, loco auxilium invenire poteſt, eidem ex hoc patet, unde auxilium ſibi petendum, aut quorſum alii illud petentes ablegandi ſint.

Vale.

OBSERVATIONES NOVÆ,

QUÆ

SECUNDÆ HUIC

EDITIONI ACCESSERUNT.

OBSERVATIONS

NOVÆ

ADD

SECUNDAM EDITIONEM ACCESSURÆ.

INFANS BRACHIO,

Ad humerum uſque natus, & non obſtante obliquo utero feliciter ſervatus.

Anna . . . Uxor Arnoldi *ab Heusden* quatuor jam dies partus labores paſſa, quando XV. Kal. Decemb. Anni M. DC. XCV. ad eam arceſſebar ego; tactu verò explorando eam, comperiebam infantis brachium dextrum ad humerum uſque jam eſſe natum, jacente infante ſiniſtrâ manu & ambobus pedibus in fundo uteri, ſuoque capite incumbente ſiniſtro oſſi ilium, atque in hac figurâ infans jam à pridie jacuerat, quo tempore quoque, ſecundum Matris Obſtetriciſque dictum, fuerat mortuus.

Cauſa mali hujus ſitus erat, quod uterus fundo ſuo nimis planè mulieris lumbis vel ſpinæ dorſi erat appoſitus, quo infans capite ſuo pubis oſſibus adſtabat ſuperne, unde obſtetricis ignorantia non liberatus, poſt effluxas aquas vehementi preſſione, caput pedetentim in partem lateralem & humerus in uteri orificium delapſus eſt, in quâ figurâ infans inveniebam mortuum, matremque debilitatam valdè: immittebam manum meam in uterum, ſinens propendere brachium, atque porrigebam pedetentim ad pedes, quos attingere poteram difficulter me enim impediebat brachium ſiniſtrum, quod idcirco ad me quoque attrahebam, atque removebam parumper ad latus.

Dein attingebam pedem unum, quem quantum poteram, ad me trahebam & quoniam rurſus ſurſum cedere perpetuo volebat, ipſi vinculum linteum duos digitos latum alligabam, non nodans neque ſubſtringens, verum illud ſolummodo circum pedem talumque poſteriorem circumvolvens, quo vinculo pedem iſtum tenebam firmiter,

dum interea omnes meas intendebam vires, ut & alterum quoque pedem attingerem, ſed fruſtra, quoniam crus alterum liberare nunquam poteram, quapropter tentare debebam, an infantem iſto uno pede invertere poſſem.

Itaque vinculum linteum, pedi circumvolutum, ne de pede delaberetur, ambabus contorquebam extremitatibus: atque igitur unâ manu vinculum tenens, & leniter trahens, alterâ mea manu infantis brachium introducebam, & infantem parte corporis ſuperiore lente protrudebam ſurſum, dum ego pedetentim vinculo pedem ad me trahebam, unde verti incipiente infante, pedem unum in uteri orificium introducebam, dein manum rurſus immittens, ut quærerem pediolum alterum, quem ego tunc etiam ſine magna difficultate inducebam in orificium uteri; ambos pedes, vertendo infantem, attrahebam, donec ventre ſuo pronus jaceret, atque tunc ad me trahebam, uſque dum ventre eſſet natus: quo tempore parturientem rogabam, vellet omnes ſuas vires intendere, atque ita juvare ut excluderetur infans, efficiendo aliquos nixus, vel ita agendo acſi ipſi eſſent nixus, quod & fideliter præſtitit ipſa, mox liberatam iri ſperans, prout quoque tunc confeſtim liberata erat; infante capite & brachiis ſimul ita tranſeunte.

Infantem, ſicuti cogitaveramus, reperiens mortuum, ſtatim manum, non abſtringendo infantem, in uterum, immittebam, ubi ſecundinas ſatis laxas comperiebam, quaſque porro diſſolvebam, educebamque, liberans deinceps ab omnibus ſanguinis grumis uterum, eumque circum manum meam contrahi faciens: manum deinde extrahens, apponebam ventri conſtringens linteum, tradebamque puerperam obſtetrici aliiſque præſentibus mulieribus, quæ eam in lectum collocabant vel potius eam benè rectèque diſponebant; parturientem enim juveram corpore in lecto cubantem, pedibus vero & natibus de lecto prominentibus, duabuſque mulieribus pedes tenentibus.

Vix

Vix ſuo loco rectè diſpoſita erat puerpera, quin talibus corriperetur ſpaſmis ſeu nervorum contractionibus, ut omnes circumſtantes atque etiam ego eam mori putaremus, non autem diu durabat quin aliquatenus vires ſuas ſuamque recuperaret mentem, agens mihi gratias pro auxilio à me ipſi præſtito, læta ſe nunc unius horæ ſpatio liberatam eſſe, poſtquam tam diu jacuerat exſpes.

Profitebatur mihi poſtea, ſe in nullo ſuorum puerperiorum tam cito ac in ultimo fuiſſe reſtitutam, ne vel minimum hoc cujuſdam læſionis, lacerationis, procidentiæ, vel in continendâ urinâ difficultatis comperiens incommodum.

MULIER QUÆDAM,

Seu juvenca gravida in partu mortua, cum jam in uteri orificio eſſet infans.

PRidie Kal. Februarii Anni M. DC. XLVI. ad fæminam advocatus fui habitantem Hagæ-Comitum in vico vulgo dicto *Het Spuy*, quæ nunc ſex dies parturiendo triverat, atque viſitata fuerat, ſicuti dicebatur mihi, à quinque Obſtetricibus, quæ eam exſpem derelinquere debuerant omnes; Omnis certitudo rei, quam nanciſci poteram, erat, quod infans in initio capite diu elatum valdè ſteterat, quodque dein delapſus erat eum in locum, in quo nunc jam multos dies immobilis hæſerat; porro mihi affirmabant obſtetrices infantem die antecedente adhuc vixiſſe validè, ſed illo die parumper admodum moviſſe ſe: Erat nunc hora circiter decima, vel undecima ante meridiem, quum ego feminam tactu explorans inveniebam pudenda ad craſſitiem fere pugni tumida & ita occluſa eſſe, ut non niſi vi vel unicum digitum ad infantis caput adducere poſſem, feminamque inveniebam adeo debilem & defatigatam, ut vix verba

quædam poſſet proferre, valdè Anxiam, & facie æque ac toto corpore turgidam; evomentem quandoque liquoris quandam copiam, & quæ nunc per longum tempus nec alvum exoneraverat nec veſicam.

Videns miſeram patientem una cum infante capite periclitari, dicebam ego, ut ſcilicet obtrectationem atque convicium, ſi forte res non ex voto ſuccederet præcaverem, me ipſius reſpectu nihil fore tentaturum niſi poſt quorumdam Medicorum conſultationem atque approbationem: quapropter ab obſtetrice ibi preſente petebam, vellet Dominum... quippe qui ut Poliatrus hanc miſeram viſitabat ejuſque curam agebat, adire, atque rogare eum, ut ſimul cum adhuc aliis duobus Medicis, qualeſcunque etiam ſibi ipſi placeret eligere, ante horam pomeridianam ſecundam adeſſe vellet ædibus patientis hujus, ubi & ego eſſem quoque, ut una conſultaremus, quomodo patienti miſeræ, ſi modo poſſibile, ſuccurreremus.

Interim Dominum *Theodorum Schoon*, Dominumque Doctorem *Jalou* rogari jubebam, ut conſultationi intereſſe vellent; & cum Dominus *Schoon* non eſſet domi, adibam ego una cum Domino *Jalon* patientem, atque in tranſitu Chirurgum *van Dyk* rogabam velle ſe noſtrum eſſe ſocium, ſicuti fecit quoque.

Domum Patientis venientes, eam reperiebamus in miſero admodum ſtatu; & quærentibus nobis, quare Domini Doctores illuc arceſſiti non venirent? à muliere quâdam, quæ nuncium tulerat, reſpondebatur, quod, illâ dicente me ibi fore præſentem, reſponſaverat Dominus... ſibi eo die non vacare tempus, præſcripſiſſe ſe remedium, & quod, cum medicamina forent conſumpta, ad ipſum tunc rediret ipſa, atque ſic miſeram Patientem in ſuâ deſerebat miſeriâ.

Nos igitur videntes vires valdè minui, nihilque niſi ſum-

ſummo periculo tentari poſſe, conſultum duximus eventum commendare Deo.

Quum autem deceſſimus inde diſquirebamus nos, quæ forſan eſſet cauſa, quare fæmina non poſſit liberari, atque pro certiſſimo ponebam, uterum iſtius mulieris malè inverſum jacere, & infantem, quamvis ipſius caput in orificio uteri fuerat tactum, pelvi tamen perverſè incumbere, eſſe nempe Petauriſtam, qui capite ſuo in coccygis oſſis cavum delapſus erat; neque etiam nixus infantis caput ulterius propellendo fuiſſe ſufficientes, quoniam illud in locum perverſum comprimebant adſtringebantque, quapropter abſque aùxilio impoſſibiliter poterat liberari infans, ceſſaſſe porro nixus, quia natura, cum incaſſum plane laboraverat, tædioſa quaſi facta fuerat: Addebam ego, quod, ſi obiret femina, non inconſultum foret aperire eam, ſpe inveniendi infantem adhuc vivum, eo quod obſtetricum una mihi paulo ante dixerat, putare ſe illum hactenus poſſe ſentire vivum; quodque tunc unuſquiſque de veritate conjecturæ meæ poſſet eſſe certus.

Poſtquam igitur ab invicem digreſſi eramus, egoque abiveram aliorſum, circa horam iſtius meridiëi quartam iterum ad Patientem advocabar: me vero illuc adveniente ipſa jam erat mortua atque Chirurgus *van Dyk* præſentibus obſtetricibus eam aperuerat ſtatim, infantem autem invenerat mortuum; cum rogaſſem illas quomodo & infantem comperiſſent & uterum, reſpondebant mihi, *quemadmodum tu dixeras:* meoque digito deſignans cadaver, erat enim adhuc denudatum nondumque plane conſutum, rogabam illas, *nonne ibi jacet fœtus poſteriore corporis parte in fundo uteri?* Illæ vero annuebant rurſus, addebatque obſtetricum una; *atqui ſic tamen dicitur; rectè verſus eſt infans.*

Errores in hanc Patientem ignorantiâ commiſſi hi ſunt.

I. Obſtetrix, quæ primum ad eam vocata fuit, tactu explorando non rectè judicavit nec diſtinxit, quomodo uterus erat verſus, quîque in eo infans ſitus; & qualis difficilis partus inde exſpectandus erat.

II. Periculum hoc non rectè prævidens neque prævidere potens non attulit huic Patienti neque afferre potuit neceſſarium auxilium, quo infans uteruſque, quantum poſſibile erat, tranſitui diſponerentur benè.

III. Coäcta fuit Patiens hæc omnes vires ſuas perverſo labore fruſtra perdere, quoniam infans & uterus ita jacentes nixibus magis magiſque evadebant malè diſpoſiti, atque infans uſque in coccygis oſſis curvamen capite delapſus in tali ſtatu immobiliter fixus hærere debebat.

IV. Ex hiſce antecedentibus erroribus tribus ortus eſt quartus; ceſſatio nempe laboris ſeu nixuum, natura enim in caſſum laborans tædioſa quaſi fit, labiturque in querulam patientemque quietem.

Omnes hoſce errores imperitiâ Obſtetricum commiſſos eſſe mihi conſtare videtur, eo quod ſe ipſas patientem hanc juvando valde deditas gerebant, quare etiam ad quinque uſque, ſicut mihi narratum eſt, ad eam fuerunt advocatæ, ſed quæ omnes æquè hæſitantes & conſilii inopes erant: imo & hoc teſtari debeo, quod, cum ibi adeſſem ego, magno animi affectu officium auxiliumque ſuum obtulerint ipſæ.

V. Neglectum quoque eſt naturalem promovere exonerationem, cujus Doctorem præcipue oportuerat habere curam: veſperâ enim præcedente miſera patiens admodum ſe cruciaverat ut ſuam redderet urinam, & tamen ne vel minimam evacuationem nanciſci potuerat; pariter quoque alvus plane fuerat ſuppreſſa: atque ita inferne occluſâ feminâ, non tamen deſiſtebatur repletum corpus magis adhuc implere, ſingulis horis præſcripti cujuſdam potus plenum dando cochlear.

EPI-

EPISTOLA

AD

DOMINUM W. VINK.

Med. Doctorem, Anatom. & Chirurg. Lectorem Rotterodamenſem ſcripta Voorburgi IV. Id. Novemb. Anni M. DCC. XIII.

DOCTISSIME DOMINE!

MI DOMINE!

Dubio procul Tibi etiamnum recenti in memoriâ verſatur, me XIII. Kal. Novemb. Anni hujus M. DCC. XIII. tuo inductu arceſſitum fuiſſe Rotterodamum ad ſartoris cujuſdam Uxorem, in ſemitâ vulgo dictâ *de Dronkenmansſteegs* habitantem, quæ tunc jam quinque dies parturiendo triverat, atque vehementi febri etiam, & delirio admodum debilitata erat: Meum eſſe duco, atque Tibi & Publico quoque utile, exactam iſtius caſus Tibi tradere narrationem, nullus dubitans quin pergratum Tibi futurum ſit, extraordinarii iſtius obliqui uteri ſitûs accuratam & perſpicuam poſſe habere ideam, indeque liberandi impoſſibilitatem tali in caſu percipere clarè.

Noſti, Obſtetricem, quæ inde à Die Lunæ parturienti huic adfuerat Mulieri, Tibi mihique ut cæteris adſtantibus mulieribus retuliſſe, natibus prodire infantem, partumque promovere nihil, verum immobiliter fixum manere illum:

atque hoc dicebat illa, cum tamen verum nec uteri nec infanti ſitum cognoſceret neque intelligeret, & multo minus rei iſtius mala perciperet conſequentia.

Tu quoque noſti, me audito hoc ſtatim ſubiti partus ſpem dare, dicendo, quod, ſi infans natibus prodeat, non difficile foret parturientem liberare: verum opus aggrediens confeſtim mirabar valde, me ſtatim experiri humerum ſiniſtrum prodire primum, & mox deinde ſentire me ipſius dorſum atque humerum dextrum, fœtus enim potiſſimum reſupinatus, & humero ſiniſtro prodiens, atque mihi obverſus erat, adeo ut humero dextro magis elato, & ſiniſtro magis depreſſo jaceret: atque immittens dextram meam ſubtus infantis dorſum rectà ſurſum, ibi fœtus cervicem & collum comperiebam, ac manum meam porro in altum evehebam uſque ad fœtus caput; quod verſus uteri latus dextrum mento ſuo pectori arctè appreſſum & firmiter compreſſum erat.

Explorabam porro, an in parte uteri ſiniſtra aliquod ſpatium ſupereſſet; ſed experiebar, me non niſi magnâ difficultate poſſe immittere manum inter fœtus humeros, cervicem, & caput, interque uterum, qui illis infantis partibus firmiſſime erat conſtrictus, adeo ut ab hac parte nihil tentari poſſet, ad perverſum fœtus ſitum immutandum.

Relinquens igitur illum locum, conſultum judicabam accuratè inveſtigare perverſum uteri ſitum; eumque in finem meam immittebam manum ſiniſtram, quam porrigebam tranſverſim ſubtus dorſum infantis, & mox ſurſum verſus ubi manum & digitos verſus me ipſum inflectens fœtûs caput & pectus quidem attingere, ſed nullo plane fructu quicquam operari poteram, quoniam nec ibi ne minimum quidem inveniebatur vacuum ſpatium, caput enim mento ſupra pectus, & uterus ſupra ambas iſtas partes conſtringebatur firmiter, tantâque vi, ut non niſi maximo labore, &

ne

ne quidem absque dolore vel unicum digitum aperire, nec porrectum contrahere possem.

Omnes tamen meas intendebam vires, ut pervenirem altius, verum frustra, quoniam in uteri impingebam latus: dico me tetigisse uteri latus, qui, cum in sinistro abdominis latere debuisset jacere, tunc temporis directè sursum versus situs erat, unde poteram concludere firmiter, uterum fundo suo sine dubio in abdominis latere dextro jacere.

Ut mihi hanc rem persuaderem magis, pertentabam manu mea sinistra abdominis partem exteriorem, dextramque etiam porrigebam prorsus, quantum poteram, versus abdominis latus dextrum, atque sic quam maxime evadebam certus insueti hujus & admodum obliqui uteri situs, cujus fundus penitus desederat in propendens abdomen, in latus nempe abdominis dextrum, in quo propendente abdominis latere dextro infans totâ posteriori corporis sui parte, idest, natibus atque cruribus delapsus & compressus hærebat, unde duæ profluebant impossibilitates inevitabiles.

Prima impossibilitas erat, quod propter insuetum hunc & admodum perversum uteri & infantis situm nulli nixus, quanti etiam forent vel jam fuissent, exprimendo per orificium uteri infantem prodesse possent, cum è contra infantem modo validius deorsum in abdomen propendens deprimebant, nihil aliud exprimentes quam liquores, qui necessario hic manere debebant, sicque plus detrimenti quam emolumenti afferentes.

Altera impossibilitas, quæ inde necessario profluebat, erat, quod diuturno nixu & vehementissimâ fundi uteri depressione, atque omnium liquorum necessariorum defluxu, absolutè esset impossibile, manum aliquam vel brachium tam profundè in uteri fundum inferre, ut infantis partes posteriores, veluti nates, crura vel pedes attingi possent, sine quo tali in casu minimè verti, & consequenter nec extrahi nec gigni poterat, quod in initio dolorum adhuc fieri potuisset,

dum aquæ uterum dilatatum & expanſum retinebant, dumque uteri fundus unâ cum infantis partibus poſterioribus nondum tam profundè in abdominis latus delapſus ac compreſſus erat, cumque conſequenter adhuc majus erat ſpatium, ut eo pertingere aliquis ac neceſſariam operam adhibere poſſet.

Noſti, quantopere mihi cordi erat, quantoque labore ac opera conabar, mulierem iſtam, ſi factu poſſibile fuiſſet, ab infante liberare, qui non tantum mortuus erat, ſed & jam ſummopere putreſcebat, quapropter non tenebar fætus iſtius ullam habere curam: verum omnia erant fruſtranea, quoniam propter obliquum illum uteri ſitum mihi impoſſibile erat iſtas fætus partes attingere, quibus non comprehenſis in tali ſitu nullus infans verti nec per uteri orificium juvari poteſt; quare igitur, coactus eram ego miſeram illam in iſto ſtatu derelinquere, indubiæ dare morti, quæ, prout noſti, poſtridie circa meridiem ſecuta eſt.

Tu quoque non ignoras, quam libenter aperuiſſem cadaver iſtud, ut tui ipſius oculis veritatem omnium, quæ ante dicta ſunt, demonſtrarem, quô tibi non tantum non difficile fuiſſet, de omnibus uterorum & fœtuum obliquè jacentium conſequentiis poſſe judicare, hic enim erat graviſſimus & difficillimus omnium, qui contingere poterant, uteri pravus ſitus.

Verum Apertura hac tu quoque prorſus potuiſſes evaſiſſe certus veritatis ipſius obliqui uterorum ſitus, quem, etiamſi ſatis clare meo in Libro ob oculos poſui, ut contempleris ipſe, Tibi forſan nunquam fuit occaſio, cujuſque Tu ut oculatus teſtis potuiſſes teſtimonium præbere omnibus, qui quoniam ego hactenus unicus ſum, qui ſitum illum detexi obliquum, eum adhuc in dubium revocant, quæque dubitatio etiamnum multas necat, quem tamen ſi crederent rectèque perciperent ſe ipſas vel ſuas ex iſto mortis periculo abſque

abſque morâ juvari paterentur, in quo nunc iſtius increduli neglectûs cauſâ pereunt.

Mulier hæc, de quæ huc uſque locuti ſumus, hactenus modo ſecunda eſt, in quâ talem extraordinarium obliquum uteri ſitum expertus ſum, & quamvis prior huic erat ſimilis, non tamen illius reſpectu ſpes prorſus deèrat, quod adhuc liberari poſſet; ſed deſperatum propoſitum illam præ vitâ mortem eligere faciebat; & ut ab incommodo marito liberaretur, (prout mihi ipſi dicebat) optabat potius fætu ſuo, qui adhucdum in vivis erat, retento mori, quam cruciatus tolerando ab infante liberari, ſuumque apud maritum remanere, quapropter meum auxilium abnuebat, atque poſt aliquot dies una cum fœtu diem explebat ultimum.

Prior ille uteri ſitus à poſteriore tantum in eo differebat; quod nempe prior magis directè pronus in abdominis prominentiâ, & hic poſterior totus in propendente abdominis dextro jaceret latere, fætuum vero in uteris ſitus ambo prorſus æquales erant: in priore etiam omnes infantis ſuperiores partes attingere quidem poteram, ipſius vero partium poſteriorum nullam: ut & digitum meum in ipſius os me immittente, mordebat me leniter; atque etiam pluribus aliis locis illum hactenus validè vivere ſentiebam, quare mihi religio erat vocare illum in mortis diſcrimen, alias enim, propter extraordinarium obliquum uteri & fætus ſitum, mulieri nullus exſpectandus erat eventus; Non quidem pro certo pono meâ operâ infantem indubiè fuiſſe moriturum, quamvis tamen etiam à periculo non abfuiſſet prorſus: mulier vero, quæ hactenus vires ſuas fere habebat omnes, ſuam fœtus que ſui mortem præ moleſtâ cum marito vitâ eligebat deſperanter, atque ita poſt aliquot dies ſuam reddebat animam.

Ut nunc poſt duo hæc rariſſima exempla Tibi demonſtrem quoque magnam, quæ rectè cum obliquè jacentibus uteris intercedit, quamvis in uno perinde ac in altero æque malè

verſi prodeant infantes, differentiam; non poſſum quin narrem tibi, quid VII. Kal. Novemb. ſextiduo poſt caſum, qui in ſemitâ vulgo dictâ *de Dronkenmansſteege* accidit, contigerit.

Arceſſebar nempe Hagam Comitum ad Uxorem cujuſdam Gallicæ Linguæ Præceptoris, cujus uxori meo auxilio opus erat; agebat enim tertium ab inceptâ parturitione diem infansque, prout dicebat, præcedenti nocte erat mortuus, ipſa autem mulier magnâ lipothymiâ laborabat, atque ſumma anxietate.

Me accedente Galliæ Eccleſiæ Paſtor quidam Ardentes fundebat preces; ego vero, ne vel minimum temporis perderem, me ſtatim operi aptabam: Finitis precibus mulierem comperiebam adeo languentem, atque anxiam, ut opus aggredi non auderem, quapropter aliquam moram rogabam, timens ne illa ſub ipſo opere moriretur; atque ita circiter quadrantem horæ me cunctato, pulſuque venæ pauliſper aucto ordiebar opus comperiens ſtatim ambas manus uteri orificio imminere, infantemque ſimili modo verſum jacere ac illum in muliere habitante in ſemita nunc ſæpius dicta *de Dronkenmansſteeg*; uterum vero rectè benèque eſſe ſitum, inque eo adhuc ſatis eſſe aquæ: Siniſtram meam perpauco labore ac etiam dolore immittebam juxta dorſum ad infantis nates uſque; dein quærebam pedes, quorum unum ad me trahebam uſque ad orificium uteri, tuncque infantem verſabam parumper, ſeponendo ambas manus illaſque in eum locum diſponendo, ubi mihi obeſſe nequibant; porro etiam pedem alterum in uteri orificium inducebam, & totum infantem circumverti faciebam, illumque ventre ac pectore verſabam deorſum; tunc vero illum axillis tenus promovebam, ac primum educebam brachium dextrum, mox quoque ſiniſtrum, tuncque parvo labore etiam una cum ſecundinis ſequebatur caput; Atque ita mulier cum à fœtu tum

à ſe-

à secundinis facili prorsus lenique modo intra unius quadrantis spatium planè liberata erat.

Ex his duobus eventibus diversis nunc luce meridianâ clarius videre potes magnum, quod obliquè jacenti utero cum tali, qui benè jacet, quamvis in utroque infantes modo æquali versi sint, intercedit discrimen, quam facilè infans inverti possit in uno, & quam difficilè, vel etiam quidem impossibiliter in altero: in neutro autem horum tali modo versus infans unquam in mundum prodire potest, nisi antea peritâ manu fuerit inversus: nam qualis etiam spes obstetrices alat, qualemque dent aliis, infantem eo modo transiturum fore; ego tamen validis argumentis fretus dico, infantem nisi in antecessum versus sit, eo modo nequaquam nec à fortissima fœmina, nec à vehementissimis etiam nixibus posse educi.

Animadvertas porro Domine, si placeat, etiam hoc, quam conducibile sit, si aqua vel in totum vel maximâ ex parte in utero manserit, tunc enim manet ille extentus atque rotundus vesicæ instar, quæ aqua vel vento expansa manet, unde sufficiens datur spatium perveniendi non tantum ubicumque opus fuerit, verum etiam spatium illud amplum vertendo atque versando, prout necessitas exigit, infantem, conducit valdè; qua in re quoque retentæ adhuc aquæ lubricum magno est adjumento: è contra facillime quoque concipere ac concludere potes, quam difficile esse debeat infantem etiam in benè jacente utero vertere & rotare, si nempe omnis defluxerit aqua, cumque uterus undiquaque arcte, rigide, firmiterque circum malè versum infantem contractus sit, imò aliquando adeo arcte ac firmiter contractus, clausus atque compressus, ut non nisi bene illita manus, neque hæc absque maximo labore in dimidium uteri tantum immitti queat, ubi tunc sæpius ita comprimitur, ut manus brachiumque evadant hebetia, & ferme insensilia, quod haud melius quam pedi torpido, qui diu in loco incommodo fuit posi-

tus,

tus, comparare poſſum: qua manuum atque brachii hebetudine rectum acumen ſenſûs aliquando amittitur adeo, ut impoſſibile ſit ad diſcernendum, quale membrum qualiſve pars corporis infantis attingatur.

Si itaque hoc aliquando ita contingit, quemadmodum ego illud ſæpiſſime expertus ſum, etiam in rectè jacentibus uteris, quis inde igitur non poſſet concludere, quâm difficilia hæc omnia neceſſario ſint in utero obliquo, in quo omnes antedictæ difficultates duplicantur valde, imo ubi adhuc multo major accedit difficultas, quæ in rectè jacente utero nunquam occurrit aut experitur, neque unquam occurrere poteſt; nam in Utero recto jacet Uterus in rectâ lineâ cum meatu pelvis, & quam alte vel quam profundè in eum manum immittere neceſſarium fuerit, brachium tamen inter pelvis oſſa comprimitur nunquam: verum in utero obliquo ſemper magis vel minus conſtringitur, pro ratione magis vel minus obliqui uteri ſitûs: imo adſtrictio illa quandoque poteſt eſſe tanta, ut illa artis Magiſtrum ab opere deſiſtere cogendo ſufficiat, prout ut in ſemitâ, dictâ *de Dronkenmans-ſteeg*, factum fuit.

Probè animadvertas Domine, iſtam brachii adſtrictionem, de quâ hic loquor, non eſſe eam, quæ efficitur ſolummodo à naturalibus anguſtiis pelvis, quæ in unâ muliere anguſtior multo ac in aliâ eſſe poteſt: cujus rei exemplum planè ſingulare in cujuſdam Lectoris uxore ſenſi, ubi ego os pubis inter & curvas oſſis ſacri vertebras non majus, quam duos digitos latum, inveniebam ſpatium, mirabarque repetitis tentamnibus comperire me, quod, quando duos digitos ſibi invicem imponebam in craſſiſſimas circa os ſacrum vertebras, mei tunc digiti ſingulo nixu arctè admodum conſtringerentur, atque hæc quoque cauſa erat, quare ibi infantis caput tam immobiliter hæreret fixum, uſque quo caput tandem à me verſatum & in pelvis latus reclinatum majus inveniret ſpatium, dilabereturque. In penetrandâ tali

arcta-

arctatâ pelvi, brachio quidem multa difficultas occurrit atque renixus, non tamen ab oſſibus comprimitur illud, quamdiu rectâ lineâ ſurſum ducitur; utero autem obliquè jacente, brachium ſtatim comprimitur quam cito coactus fueris illud verſus unum vel alterum abdominis latus convertere, imo tum maxime, ſi uteri fundus in abdomen propendens deſederit, vel ibi jacuerit preſſus, tunc enim brachium neceſſario, ab uno latere infernè, & ab altero latere ſupernè, pelvis oſſibus apprimi debet; ſicuti & Tu dubio procul ex formâ pelvis ipſâ quam facile potes percipere.

Ex omnibus antedictis igitur, tam clarè, quam quod duo & tria ſint quinque, ſequitur, quam cito mulier incipit parturire atque innoteſcit, (ſive ante ſive poſt ruptas membranas) quod infans prodeat malè verſus, quod dorſum, venter, una vel ambæ manus, humerus, ſive cervix partui ſe offerant, confeſtim eſſe dandam operam, ut ſine morâ liberetur mulier per aliquem, qui in iſtoc opere bene exercitatus eſt; moramque omnem & matri & infanti noxiam eſſe atque pernicioſam: Nam ab eo tempore, quod membranæ ruptæ ſunt, Partus ſingulis horis difficilior, imo tandem quidem evadit prorſus impoſſibilis: rumpentibus enim membranis, mulier adhuc omnibus ſuis gaudet viribus; aqua uterum hactenus tenet in omni ſua magnitudine & amplitudine; infans etiamnum vivus facile ſe verti & rotari ſinit, imo adjuvat ſui ipſius exitus promotionem: Econtra Partu dilato diſperditur aqua, vires pedetentim diminuuntur; infans traditur mortis periculo; & infans jam mortuus incipit putreſcere & fetere; fetor inficit uterum, & ille iterum ſanguinem omnem; inde ſequuntur animi deliquium, phrenitis, vehementes motus, contractiones nervorum, concuſſiones membrorum, & tandem anxietates, ipſaque mors.

Quod ſi autem neglectus Partus ſubiti talibus periculoſis ſubjectus ſit accidentibus, etiam uteris bene verſis, cum nempe infantes malè verſi prodeant, quanto magis omnia

hæc mala conſequentia inevitabiliter ſequi debent, cum malè verſi infantes in malè verſis uteris jacent; atque quanti criminis ſuntne illæ omnes reæ, quæ, quamvis ratione muneris & officii ſui talem lethalem neglectum præcavere debeant, tamen contra omnem rationem claramque demonſtrationem Partum differunt, uſque dum tandem nimis ſero imploratur auxilium.

Hæc cum ita ſint, prout evidentiſſima ſunt, neminique, qui æquus eſt, ſi modo claram meam de obliquè jacentibus uteris hypotheſin concedat, ignota eſſe poſſunt, neutiquam mirandum eſt, in omnibus frequentibus Urbibus quotannis tot mulieres infanteſque ſolo accelerati partus neglectû mori ac perire miſere; taceo nunc de iis, quæ rure ubique eâdem de cauſâ obeunt, unde quaquaverſum tot vidui efficiuntur & orphani, quorum multi etiam inde nutrimentum à publico implorare coguntur: quapropter bonum eſſet ſanè, ut Magiſtratus contra talem pernicioſum neglectum bonas leges inſtituerent, eaſque executioni darent, ut ita, quantum, in ipſis eſt, impediant, ne in poſterum multi talis lethalis neglectûs ſe faciant reos.

Si Dominus forſan roget, quoſnam ſe pernicioſi Partus accelerati neglectus quam maxime agere reos: ad id ego, quamvis neminem ſigillatim accuſem, tamen ſecundum veritatem reſpondebo, atque eo magis quod ſciam tibi cordi eſſe, ut noxios in arte errores emendare juves.

Primæ, quæ nobis hic occurrunt, quæque ſe omnium maximè iſtius pernicioſi neglectus accelerati partus reas faciunt, ſunt Obſtetrices: Sequuntur dein Doctores Medici: Et tandem parturiens mulier ipſa, ipſiuſque conſanguinei: atqui hi omnes, ſive conſcii ſive inſcii, lethalis hujus neglectus rei ſunt.

Primo, certiſſimum eſt multas Obſtetrices, ſive conſcias ſive inſcias, ſuâ negligentiâ multarum feminarum infantumque mortis eſſe cauſas, quæ accelerato partu in vitâ quidem ſervari potuiſſent: Illæ enim, etiamſi plus ſatis

expe-

experiuntur, multas unâ cum ſuis malè verſis infantibus mori mulieres, non excluſo fœtu, quæ tamen parturitionis initio facillimè, pauco dolore, & abſque periculo potuiſſent fœtum eniti, nimirum per aliquem qui iſtius operis ipſis peritior eſt; inſiſtunt tamen malæ iſti conſuetudini, non partum accelerando, ſed cunctandi abſque ſpei fundamento. Cauſa ſuæ ſine fundamento cunctationis & ſpei veroſimiliter ex ſuâ, quâ periculum imminens ignorant, oritur ignorantia: non enim videtur, quod diſcriminis conſciæ, parturientes & infantes abſque fœtus excluſione ſinerent mori, ſi crederent eas aliorum manu & in vitâ ſervari poſſe; quapropter ego exiſtimo, dicendum eſſe & credendum, illas hoc ex ignorantiâ facere, & quidem præcipue, quia non norunt diſcernere, num uterus bene malève verſus ſit, & per conſequens neſciunt, an in tali, qualis illis occurrit, uteri ſitu infans abſque verſatione naſci poſſet nec ne; nam ſi ſcirent fœtum abſque verſatione naſci non poſſe, quî foret poſſibile, quod non ſtatim implorarent auxilium? idcirco nequeo credere, illas verum uterorum ſitum intelligere, aut tactu poſſe diſcernere. Atque iſta ignorantia adeo eſt, quod earum reſpectu cum pudore debeo dicere, univerſalis, ut hactenus ne unicam quidem obſtetricem compererim, quæ mihi rei iſtius rectam potuit dare informationem.

Sed quid mirum, ipſas tactu ſuo verum uteri ſitum non poſſe diſcriminare, multoties enim non ſciunt, qualis infantis pars partui ſe offerat: aſſidebunt mulieri quandoque tres vel quatuor, imo etiam quinque vel ſex dies, & tamen poſtremo die non magis ac primo ſcient dicere qualis corporis infantis pars ante vel in orificio uteri ſit: dicent infantem natibus prodire, dum interea humeris, cervice vel dorſo ſe offert, multiſque erroribus talibus obnoxiæ ſunt: Si autem verum nec uteri nec fœtus ſitum ſciant diſcernere, quomodo rectum poterunt ferre judicium, cumque veritate loqui de periculis & imminentibus infortuniis inde emanantibus,

quæque inevitabiliter inde ſequi debent, ſi non ſubito liberetur parturiens mulier? At quoniam de iis non poſſunt judicare, non ergo inſontes habendæ ſunt, cum in ſuâ ipſarum ignorantiâ à doctiore non petunt conſilium, eumve advocant in auxilium: Vulgare effugium ipſarum eſt, dicere: Illic vel illic fui, ibi infans tali etiam modo ſitus erat, ibique quidem tam vel tamdiu durabat, & tamen parturiens feliciter liberata eſt, ſperabam & hanc quoque feminam liberatam quidem iri; cum tamen nullo veritatis fundamento queant dicere, quomodo uterus in illa quæ liberabatur, inque illâ quæ liberari nequibat, ſitus erat; ponas enim, infantem in rectè jacente utero prodire natibus, parturiens, ſi adhuc ſatis valida ſit bonoſque edat nixus, certè quidem ita liberari poterit, præcipuè, ſi ipſi parum auxilii adferat obſtetrix; ſi vero in obliquo vel propendente Utero natibus prodeat infans, impoſſibile eſt ad educendum, niſi in anteceſſum vertatur totus, pedibuſque extrahatur infans: atque ita cum multis aliis tum uteri tum fœtus ſitibus quoque comparatum eſt. Quod cum ita ſit, unus quiſque, qui prudens eſt, facile videre poteſt, quam periculoſum ſit ſolo obſtetricis confidere judicio, quæ ſuam inſcitiam indicare verita alium non vocat in auxilium, ſed quæ potius extrema tentare vult, donec jam nimis ſero ſit; quæque ſe ipſa hoc modo mulieris infantiſque cædis in conſanguineorum dolorem facit ream.

An non multo ſatius foret, & religioſius, ſibique minus periculoſius, ſi mox obſtetricandi artis peritum vel Doctorem Medicum, vel Magiſtrum arceſſat, illumque adhibeat in conſilium, atque tunc vel differat, vel acceleret partum? An non tunc hoc modo ſuum agere coram Deo hominibuſque omnibus poſſet juſtificare? Quod ſi vero illud negligat, quomodo ſe ipſa habebit inſontem, imo quiſnam criminis eam abſolvere poterit?

Verum

Verum dicens; arceſſivimus nos talem vel talem Doctorem Medicum, ut ex ipſius præſcripto media nixus incitantia mulieri daremus, utque ſic infans propelleretur fortiter: Reſpondeo ego, hoc fuiſſe benè, ſi rectè jacuiſſet uterus, & uteri orificio tali modo imminuiſſet infans, ut validi nixus illud protrudere potuiſſent: Cum autem contrarium ſit verum, an non ſe igitur noxii neglectus reas agunt ipſæ, uſûsque perverſorum remediorum, quæ multo plus detrimenti afferunt quam emolumenti? Et an aliquis, qui rem benè perſpectam habet, tales obſtetrices poteſt habere inſontes? Non putem ego: Nam ſi rectè intelligerent, quale damnum vehementes nixus afferant, ſi uterus ad latus, infanſque in utero malè verſus jaceat; alieniſſimæ forent ab incitandi medicinis nixus voluntate; nam loco quod tunc nixus per uteri orificium propellerent infantem, operantur plane contrarium, exprimunt enim aquam utero, uteriquc fundum profundius deprimunt, infantem autem tam firmiter comprimunt, ut immobiliter fixus hærere debeat, atque parturientem reddunt imbecillem; unde tunc unum malum ſequitur alterum, uſque quo mors & matrem & infantem vitâ privat: Obſtetrix interim cogitando perſeverat ſe egiſſe benè, imo egiſſe ſe quicquid agere poterat: Et ſane, fecit illud omne quod poterat, unicâ re, quæ parturientem infantemque in vitâ ſervare potuiſſet, exceptâ; ſi enim parturitionis initio artis obſtetricandi peritum Doctorem quendam Medicum, vel Chirurgum arceſſiviſſet, ille veroſimiliter parturientem liberare quidem valuiſſet, quod illa efficire nequibat, quodque obſtetricum aliquæ non cernunt libenter, quoniam inde conſtat iſtas non omnia ſcire, neque etiam omnia perficere poſſe, ac quidem alii, qui à Deo majoribus dotibus donati ſunt.

Ex prænarratis his facile eſt ad concludendum, quod, quemadmodum obſtetrices intempeſtivè prorſus remedia ni-

xus incitantia à Doctore Medico poſtularint, putantes parturienti ſe fore facturas benè, ſic & Medicus ipſe non ſit inſons, quando ſolo obſtetricis imperitæ dicto talia remedia dat præſcribitve: Verum quidem eſt medicum non niſi ſeductum ſecutæ matris infantisque mortis evaſiſſe reum; eo quod perverſè ipſi narrabatur & perſuadebatur, infantem tali vel tali modo uteri orificio incumbere, quâ de re non aliter judicat quam ex eo, quod ipſi obſtetrix inſtar veri dicit, cum moris non ſit, quod mulierem tactu exploret ipſe, quod tamen ipſius quidem foret officium, quo autem ſi ipſe perfungi vellet, forſan non tantum obſtetrix ſed & omnes adſtantes ei obniterentur, quæ inveteratâ conſuetudine de veritate obſtetricis dicti minime dubitant, quapropter paſſim cæcè remedia præſcribit, ſicque cæcum cæcus ducit, atque in puteum labuntur ambo, id eſt; ambo ſe faciunt reos; obſtetrix; quæ perverſè judicat perverſaque remedia expoſtulat; Medicus vero; qui ignorans, num obſtetrix judicaverit rectè, media præſcribit, quæ & parturienti & infanti noxia ſunt, loco quod auxilio eſſent illis: Obſtetricem enim, cum aliquam fœtus partem ſentit, atque neſcit, quænam pars ſit, illud confitendi pudet, utque ignorantiæ ſuæ ignominiam effugiat, divinare potius vult, quam dicere ſe corporis partem, quam infans offert, non poſſe diſcernere ſatis; atque eâ propter potius dicit, infantem tali vel tali modo uteri orificio imminere, ut eo facilius nixus incitantia remedia præſcribat Medicus, quod tamen, etiamſi obſtetrix vera diceret, ipſum facere non oportebat, niſi illa ſimul ipſi dicere queat, quomodo jaceat uterus, ut ex utroque tum uteri tum infantis ſitu certo fundamento poſſit judicare, num bonum tutumque ſit remedia præſcribere talia, num vero è contra melius magiſque neceſſarium, ut obſtetricandi artis peritus Doctor Medicus vel Chirurgus arceſſatur, antequam mulier infans que in majus immittantur periculum.

Equi-

Equidem quoque ſcio, in talibus caſibus obſtetrices magis reas eſſe quam Doctores, quos talia remedia rogant, perverſum teſtimonium, ſive inſcitiâ ſive confitendi inſcitiam ſuam pudore, dando: Verum etiam; ut omnem dicam veritatem; quando Vir Religioſus ſemel imo ſæpius ab obſtetricibus ita fuit ſeductus, an non prudentius ageret, cavendo ſibi in poſterum, ne decipiatur amplius? Et an non poſtmodum obſtetricum teſtimonium deberet habere ſuſpectum? Imo an non tunc tutius ſatiuſque foret, quod proprio ſuo ſenſu, proprioque examine rei veritatis ſe rederet certum? quam quod talibus doloſis nixus teſtimoniis pergeret præſcribere remedia, in parturientium infantumque damnum atque detrimentum.

Etenim certum eſt, quod ſi parturiens mulier utero infanteque peſſime jacentibus, nixus incitantibus remediis utitur, ego diuturnâ experientia, & indubitato veritatis fundamento dicere, omneſque plenâ certitudine certiorare valeo, tum parturientem mulierem tum etiam ipſius fœtum, ſi vivat hactenus, in multo majus lethale induci diſcrimen, quam abſque talium remediorum uſu: Et me quod attinet,; ego in talibus caſibus medicinas nixus incitantes nec dare nec præſcribere prorſus vellem, quantumcunque inde nanciſcerer temporale emolumentum: Sumque ego omni tempore paratus ad dictum meum omnibus veritatem amantibus in arte ſociis, omnibuſque aliis, qui iſtius rei curam habere vellent, evidentiſſimè demonſtrandum, & tam dilucidè declarandum, quam quod bis bina ſunt quatuor. Vita mea veriſimiliter non amplius adeo longa erit, & proprium lucrum non neceſſe eſt me incitare atque movere ad tanto zelo partum ſubitum commendandum; attamen mihi eſſet maximè volupe, ſi meorum monitorum fidorum tanta haberetur ratio, ut ea propter antiqua, mala ac noxia negligeretur praxis, ejuſque in locum introduceretur melior, ad multarum matrum atque in-

infantum conſervationem: gaudeo me exoneraſſe in re tanti momenti meum animum; & optarem quidem me omnes poſſe monere homines, præcipuè Medicinæ Doctores de illo intempeſtivo perverſoque nixus incitantium remediorum uſu, ſolo rogatu imperitarum obſtetricum, abſque proprio examine, vel abſque examine & approbatione periti Doctoris aut obſtetricantis Chirurgi.

Mihi videtur, duas reverâ ſolummodo res eſſe, quæ Doctoris Medicos poſſunt movere, ad ſalutare meum conſilium non amplectendum, ſequendumque antiquam pravam noxiamque conſuetudinem.

Primo eſſe poteſt, quod Doctor Medicus proprio ſuo tactui diffideret forſan, quippe credens, quod, ſi omnino ipſe parturientem tactu exploraret, veri tamen uteri infantiſque ſitûs non magis evaderet certus quam teſtimonio obſtetricis, quam operis iſtius peritiorem eſſe oportebat, ac ille ipſe; quoniam illud earum opus proprium eſt, ipſeque in eo non exercitatus, quamvis ratione ſtudii ſui corporis partes melius quam obſtetrices cognoſcat: Quâ in re Virum talem prorſus errare non facile dixero; nam, ut vera dicam, non eſt certe factu tam facile ac proclive, quam quidem aliqui, qui opus illud nunquam experti ſunt, ſibi imaginari poſſent: Multa ſane obſervatio magnaque ad id requiritur experientia, ne facile ſuo ipſius tactu ſeducatur aliquis; non enim ſemper tale ſpatium invenitur, quali quidem opus eſt, ut quis oblatam infantis partem verumque uteri ſitum amplè ſatis ambire, atque ita bene diſtincteque diſcernere poſſit: Quapropter non eſt quod quis miretur, Doctorem Medicum non libenter tentare velle, ut ſuo ipſius tactu de vero uteri infantiſque ſitu ſe reddat certum, Attamen mirari ſatis nequeo, audere Doctorem, in omni iſta incertitudine, præſcribere remedia, dum ignorat an bonum afferent malumve; quoniam in anteceſſum illum conari oportebat, ut ab artis obſtetricandi perito quodam Doctore

ctore aut Chirurgo veri uteri infantiſque ſitûs redderetur certus, ne mulieri aut infanti adferat detrimentum ullum.

Altera ratio, quæ medicum movet vel facile movere poteſt, eſt, quod forſan timeat, ne, ſi abnuit obſtetricis rogatu ac teſtimonio præſcribere aut dare nixus incitantia remedia, in malam partem illud ſumeretur, atque contemneretur ipſe: homines enim imperiti, tam obſtetrices quam adſtantes, iſti noxiæ pravæque praxi ita aſſueti ſunt, ut, ſi cuidam religioni ſit, ſolo obſtetricis teſtimonio remedia nixus incitantia præſcribere, ipſam quidem ſtatim deſererent arceſſerentque alium, qui lucri, propriæque æſtimationis cupidus eſt; Nam ſi caſu fortuito ſitus uteri infantiſque talis ſit, ut per vehementes nixus promoveri poſſit partus, remedia ipſius laudantar, celebraturque Medicus; ſi vero partus non ſequatur, eo quod propter nimis obliquum uteri infantiſque ſitum impoſſibiliter ſequi poteſt, obſtetrix tunc, Medicus omneſque conſanguinei ſe mutuo conſolantur, dicendo: *Utiqne peregimus omnia, quæ peragere poteramus:* non tamen cogitantes ſe rectum partum promovendi medium neglexiſſe, adhibuiſſe è contra remedium ei plane contrarium, ſeque ita matris infantisque mortis cauſas exiſtere, imo ſe perverſo ſuo medio, iſtam accelerâſſe mortem; ſi enim mulieris tempeſtivè partum acceleraviſſent, forſan & mater & infans unâ potuiſſent ſalvari.

Forſan dicet Dominus, impoſſibile eſt ad perſuadendum mulieribus, ut ſe adeo cito per Virum paterentur liberari, præcipue quum adhuc ſperant per mulierem fore liberandas; non obſtante, quod triſti experientiâ conſtet, quam multas iſtac fraudulentâ ſpe eſſe vitâ privatas.

Equidem & ego ſcio, impoſſibile ferme eſſe, ad educendos ex tali mala ac inveteratâ valde conſuetudine homines, quamvis conſuetudine iſtac prava nimis ſero ex-

ſpectandi quotannis multæ mulieres infanteſque pereant: Obſtetrices vetuſtam conſuetudinem omnibus ſuis viribus ſuffulciunt, continuo ſpem dando partum adhuc quidem futurum, & eapropter cunctantur ſperantque ad extremum uſque, donec mortis ſigna coram oculis cernant, aut ſpiritum reddat mulier: Et etiamſi obſtetrices benè poſſent cernere, ſibi ipſis verum ſpei fundamentum deeſſe, utpote inſciis veri uteri infantiſque ſitus, ſuum tamen os ſuo ipſarum cordi contrarium eſt; nam loco ſuam imminentis periculi inſcitiam confitendi, indicandique ſuum metum æque ac ſpem ſuam, vanâ ſuâ ſpe nitentes cunctari ſuadent ſemper, atque mulierem ita unâ cum ſuo infante mori faciunt.

Verum quidem eſt, in hiſce regionibus, utique in pleriſque urbibus inſuetum eſſe, quod mulieres manibus Viri liberentur, & adhuc inſuetius, quod hoc fieret tempeſtivè ſatis; attamen Dominus probè novit, Pariſiis non amplius adeo inſuetum id eſſe, quia nempe bonus ſucceſſus pleroſque eo uſque jam ibi illuminavit, ut plurimæ matronarum etiam primariarum ſe per artis obſtetricandi peritum Magiſtrum potius quam per obſtetricem faciant liberari: Atque ſi in hâc noſtra Provinciâ recta methodus aliquando admitteretur ac adhiberetur, nullus dubito, quin felix rei ſucceſſus vetuſtam illam noxiamque conſuetudinem quam citiſſime quidem demigrare, omniaque obſtacula removeri faceret: quæque obſtacula imprimis ſunt.

I. Parturientium pudor.
II. Imperitarum obſtetricum res propria.
III. Ingentium impenſarum metus.
IV. Graviora patiendi formido.

Quæ obſtacula, meo judicio, removeri quidem poterunt, vel ſaltem diminui adeo, ut perverſæ tali noxiæque conſuetudini amplius continuandæ ſufficientes eſſe nequirent. Si vero Dominus roget, quâ ratione hæ difficultates

tes removeri vel diminui poſſent, non recuſabo ego meas de hâc re cogitationes tecum, aſt ſub correctione, communicare.

Indubitate verum eſt, Magiſtratus Præfectique leges ac inſtituta in pravas noxiasque conſuetudines poſſe ſtatuere, & quidem præcipue in eas, quibus quotannis in pleriſque urbibus, atque rure ubique multi homines pereunt & moriuntur.

Ponas mi Domine! eſſe in urbe aliquâ damnoſum puteum, in quem quotannis multi homines ex ignorantiâ inciderent, inque eo opportuni auxilii defectu ſuffocarentur atque extinguerentur, ponas denunciari Magiſtratui, urbis incolas falſo conceptu vel inveteratâ pravâ conſuetudine puteum illum nolle obturare, nec amovere periculum illud: Quæritur, an non Magiſtratus, cum monitus ſit de tali pernicioſo puteo deque tali neglectu obturandi puteum iſtum, deberet bonis legibus ac inſtitutionibus curare, ut oppiletur noxius ille puteus, utque ſuorum bonorum mandatorum neglectores atque præcatores punirentur.

Nunc autem prorſus certiſſimum, atque extra omnis dubitationis aleam poſitum eſt, in puteo ignorantiæ obſtetricum, ſupinique neglectûs mulieres parturientes feſtinanter liberandi, quum nempe uterus & infantis mali verſi jacent, in urbibus omnibus & rure ubivis annuatim magnam mulierum infantumque multitudinem perire, quæ tamen omnes vel ſaltem quo ad maximam partem ſervari potuiſſent. Annon æquum eſſet ut Magiſtratus Præfectique legibus ac mandatis ſuis pernicioſum talem ignorantiæ puteum oppilent, atque ita lethale hoc amoveant periculum? Nullus dubito, mi Domine, quin neglectus bonorum ac neceſſariorum contra iſtam lethalem parturientium cito liberandarum cunctationem edictorum oriatur inſcitiâ, eo quod Magiſtratibus Præfectiſque ejus rei recta notitia nondum data ſit, quodque ea propter periculum diuturnæ parturitionis magnamque ſubitæ liberationis utilitatem non

rectè cognoſcant percipiantque hactenus; quia enim ſuæ etiam ipſorum uxores iſto pernicioſo neglectu non magis ac fœminæ vulgares à morte reſervantur, incredibile idcirco eſt, quod ſi duarum iſtarum perverſitatum ſeriâ monitione claràque demonſtratione inducti, formarent rectum conceptum, ſuas ipſorum uxores ac tot alias negligere vellent, neque vellent abire à tali inveterato abuſu malâque conſuetudine differendi ſubitum partum.

Noxia hæc conſuetudo tam profundas radices egit, & inter obſtetrices, ac ipſarum operâ inter omnes in univerſum mulieres adeo vulgaris eſt, ut ipſis juri & rationi plane contrarium videatur, ſi tu obloquaris ei, & ſubitum ſuadeas partum, ipſiſque demonſtres, quod, uteris infantibuſque male jacentibus, ſtatim poſt ruptas membranas deberent liberare. *Quî ajunt, permitteremus nos, dum adhuc vivit, extrahi infantem?* contra omnem rationem pro certo habentes, vivum infantem eo in mortis periculum inductum iri, vel eo certiſſime mori debere illum: Atqui ſi vel omnino verum eſſet, fœtum eo vitâ periclitatum iri, quod autem ita non eſt, ſatius tamen foret periclitari illum, quam quod mater unâ cum infante abſque auxilio morti traderentur miſerè.

Veritas autem hæc eſt, quod infanti vivo multo minus periculi mortis ſit, ſi verſetur & extrahatur ſtatim, quam ſi in iſto ſitu linquatur perverſo, tunc enim utriſque, Matri æque ac infanti, moriendum eſt: atqui ſi hoc verum ſit, prout reverâ eſt, quare non confeſtim conareris in vitâ ſervare ambos.

Scire quidem vellem, qua ratione quove fundamento pro certo habeatur, quod morti traderentur infantes, quum ſtatim poſt ruptas membranas vertuntur ac extrahuntur? Impoſſibile eſt concipere ullum inter operandum infanti lethale periculum, quum nempe à prudenti peritoque obſtetricante Chirurgo efficiatur operatio: mortis diſcrimen

non

non in extrahendo infante, ſed in ejus periculoſo ſitu poſitum eſt; ſi enim non extrahatur vivus neceſſario mori debet, neque naſci poteſt; adeo ut impoſſibile ſit in vitâ ſervari poſſe infantem, niſi unico iſto extrahendi citò medio: mortis diſcrimen igitur in extractione poſitum non eſt, ſed extractio proximum unicumque medium eſt ex mortis periculo illum liberandi: quare omnibus hominibus, & præcipue proximis meis, conſanguineiſque ſuadeo ego, ne iſtoc ſalutare medium negligant, ſed ut illud quo citius eo melius adhibeant: quinimo puto, quod, ſi infans malè verſus ſe offerat etiam in utero jacente rectè, minus periculoſum ſit, illud pedibus extrahere cito, quam cunctari, donec obſtetrix aliquo alio modo conetur protrudere illum.

Si igitur Magiſtratus Præfectique bene eſſent informati, beneque perciperent, quænam ratio ſit, quare tot mulieres unâ cum ſuis infantibus non extruſis moriantur, quî poſſet eſſe poſſibile; quod legibus bonis pernicioſum talem non impedirent neglectum: Verum ah! Illi, quorum eſſet Magiſtratus rectè benèque de eâ re in formare, non faciunt illud: Ab obſtetricibus id exſpectandum non eſt, nam ipſarum inſcitia impedimento eſt, quod veras difficilium parpartuum cauſas perciperent; & ſua ipſarum res aliena eſt ab implorando citum auxilium ab aliis, qui iſtius operis ipſis peritiores ſunt; atque ideo extrema tentare malunt, quam quod opus ſuum traderent aliis.

Non itaque exſpectandum eſt, quod ab iis Magiſtratus Præfectique rectè informari poſſint de magnis acceleratorum partuum emolumentis, deque magno detrimento hos procraſtinandi.

Noſti etiam, mi Domine, quam pauci Doctorum Medicorum veram difficilium partuum cauſam percipiant rectè, quoniam hactenus perpauci ſunt, qui obliquorum uterorum

rectam habent ideam, uti nec inevitabilum malarum, quæ inde oriuntur, consequentiarum.

Nosti me primum fuisse, qui Anno M.DCC.I. in libro meo, qui dicitur *Novum obstetricantium Lumen*, obliquum uterorum situm rationibus atque figuris publico manifestasse, indicâsseque inevitabilia, quæ inde profluunt, pericula.

Dolendum vero est; novum istud lumen in omni sua claritate manifestatum hactenus tam paucorum Medicorum oculos aperuisse rectè; non obstante quod multi magni Viri suam acquiescentiam summam etiam cum gratiarum actionibus demonstraverint mihi; ast dolendum est, illos tali firmo & immobili fundamento non melius hactenus superstruxisse, dubio procul quia hujus rei imperiti, utpote numero maximi, vetustam perversam ac lethalem praxin nimis adhuc suffulciunt, partim quidem ob easdem rationes, propterquos pro authoritate Dianæ Deæ certabat Demetrius.

Pauci solummodo sunt dies, cum Dominus quidam juvenis visitandi honore me dignatus est; Veniebat ille transeundo Angliam Parisiis, ubi annum moratus artem obstetricandi addiscere conatus fuerat; dicebat mihi se isto tempore ducentis partubus interfuisse, imo se ipsum effecisse aliquos in Nosocomio dicto *l'Hôtel Dieu*, ubi tali quid contingit sæpius; rogabam ipsum, num liber meus jam ibi esset notus; dicebat non, belli nimirum causâ, addebat autem illum jam ante quinque annos Jenæ typis esse excusum: Rogabam quoque ipsum, num Parisiis certam etiam obliqui uterorum situs haberent notitiam? Respondebat mihi, non; quodque ille ipse ejus rei hactenus nullam experientiam habuerat, *quamvis ego*, agebat ille, meas *manus tali ac tali modo flectere debui*, unde ego bene intelligere poteram, illum quidem ex obliquè jacentibus uteris extraxisse infantes, attamen obliquum

quum uterorum ſitum non obſervâſſe illum, quapropter mihi occaſionem præbebat dicendi, quod Pariſiis ſuas operationes peragerent cæcè ac vagè, & non adeo claro firmoque notitiæ fundamento, quod & non negabat ille. Interim tamen in partu adjuvari per Chirurgos artiſque obſtetricandi peritos Magiſtros ibi jam pervulgare erat; Atque noſti, mi Domine, quam vulgare illud jam factum erat Amſtelodami, dum in vivis eſſet Celeber. Doctor Medicus *Roonhuizen*, qui iſtud opus citò liberandi magno cum applauſu peregit: Atque optandum eſſet, quod & illud in omnibus frequentibus Urbibus fieret vulgare, quippe quo multæ in vita ſervarentur mulieres: Idem ille Doctor *Roonhuizen* opponebat ſe quoque ſemper Liberationis ſubitæ procraſtinationi, tanquam parturientibus infantibuſque valde noxiæ, neque omittebat obſtetricum negligentiam redarguere acriter: attamen quoque ſcio, quod in univerſum quererentur nummorum ſummam, quam ſibi dari poſcebat, quamque temperare ipſum oportuerat quidem, ut etiam vulgares mulieres æque ac divites ab ipſo potuiſſent juvari.

Ut igitur tandem tecum communicem, quî ego concipiam, quod omnes difficultates atque obſtacula poſſent removeri, vel ita diminui, ne eapropter impediretur ut talis neceſſaria praxis, qualis liberatio cita eſt, obtineret locum, ſub correctione dicam: fore nimirum admodum neceſſarium, ut in unaquaque urbe frequente aptus perituſque obſtetricandi artis Doctor vel Magiſter crearetur, talibus ſub conditionibus ac mæotris, ut honeſtè indè poſſet vivere; atque hoc ſub certâ ſinguli Partus pretii limitatione, ratione mediorum hominum: impotentium atque pauperum reſpectu ex Urbis ærario, vel generali civium cenſione ipſi ſatisfieri deberet: vulgarium reſpectu parvo mæotro deberet eſſe contentus, accipiendo paululum plus à pauperibus: reſpectu civium honeſtorum ſtipendium ejus iterum aliquanto majus eſ-

ſe

ſe deberet: atque majus adhuc reſpectu divitum; & tandem à præpotentibus ratione ſtatûs ac generoſitatis ipſum liberaliori dono oporteret donari, eâ tamen reſtrictione, ut ſi liberalitate ac generoſitate ipſi non darentur majora, ſtipendio ſtatuto deberet eſſe contentus.

Atque tali modo ars obſtetricandi ab unoquoque in unaquaque Urbe Magiſtratu rite ordinato, maxima certè obſtacula removerentur vel ita emollirentur, ut non amplius occurreret renixûs multum: Pauperes enim mulieres gratis, ac ut dicitur *Pro Deo* poſſent juvari, vulgares non ultra vires gravarentur, uti nec illæ, quæ magis potentes largiterque à Deo ditatæ ſunt.

Rebus ita à Magiſtratibus urbium ordinatis, omnis in unaquaque urbe, ubi talis Doctor Medicus vel Magiſter creatus fuerat, obſtetrices jurejurando, vel certâ quâdam mulctâ obſtrictas eſſe oportebat, ante vel ſtatim poſt ruptas membranas, marito ſive proximis parturientis conſanguineis, ingenuè, ſaltem quantum penes eas eſt, indicando verum uteri infantiſque ſitum; & ſi neutrum certo noſſent diſcernere, eas & hoc, abſque reticentiâ, ſincerè dicere oportebat, ne ipſarum occultatione decipiatur aliquis.

Quod ſi Obſtetrices non plane eſſent perſuaſæ uterum atque infantem rectè ac bene verſum eſſe, eas obligatas eſſe oportebat, ad arceſſendum Doctorem illum Medicum vel Magiſtrum, aut ad proximis conſanguineis, animi ſui liberandi cauſa, ſuadendum, eoſque rogandum, ut Perſonam conſtitutam advocare vellent, ad explorandum an partus citus abſque periculo procraſtinari poſſet nec ne: quo facto animum ſuum exonerarent illæ, & quantum in ipſis eſt omnis neglectûs eſſent inſontes, neglectuſque tunc in parturientem ipſam caderet, vel in illius conſanguineos, ſi iſti renuerent Perſonam ad hoc opus conſtitutam arceſſere, aut ſecundum ejus examen bonumque conſilium opus dirigere.

Et

Et ſi omnes in unaquaque urbe, in qua talis Doctor vel Magiſter creatus erat, obſtetrices taliter agendo obſtrictæ eſſent, id ipſum, illis etiam eſſet, magno levamini, illæque libere id agere poſſent, quippe quod ipſarum æſtimationem talis obedientia ne vel minimum poſſet minuere, è contra ipſarum obedientia prompte deberet laudari, neque in ipſarum poſſet tendere detrimentum.

Si vero forſan eveniat, quod Doctor Obſtetricans vel Magiſter examine ſuo comperiat, parturientem impoſſibiliter poſſe liberari, ſi non vertatur atque extrahatur infans, & quod nec mulier parturiens, nec conſanguinei operationem illam aut pati aut permittere vellent, quodque mulier ac infans morirerentur indè, non aliter tunc videre poſſem, quam quod iſtæ Perſonæ utriuſque ſe mortis reas faciant, monitæ enim, mulierem propter malum uteri infantiſque ſitum abſque auxilio omnino minimè poſſe liberari, inexcuſabiles ſunt.

Quando ſub Lege Moſaicâ alicujus beſtia feriens eſſet vel mordax, beſtiæque Dominus quamvis monitus non curaret prævenire, quod inde effici poterat, malum; beſtiæ Dominus talis reus erat, ſi hominem aut beſtiam læderet vel necaret; quare igitur non eſſet quis reus, qui uxorem ſuam aut proximam quandam amicam mori ſineret, neglectu unius certiſſimique medii illam illiuſque infantem in vitâ ſervandi.

Omnia quæ dicta ſunt, ſi Magiſtratuum mandato in uſum introducerentur, cito quidem per virum obſtetricari pudorem diſcuterent, neque ſe per virum ab infante magis, quam à calculo veſicæ puderent liberari: Eventus felix declararet è contra, omnem gratitudinem bonæ Magiſtratuum Rectorumque deberi, curæ, eo quod talem pernicioſam mulieres infanteſque abſque recto remedio morti tradendi abolevisſent conſuetudinem.

Ex hac ruſtitatione ac exercitio bono adhuc alia ſequeretur utilitas maxima, quæ alioquin exſpectanda non eſt; quod nempe conſtitutus talis Obſtetricans Doctor vel Magiſter frueretur commodiſſimâ occaſione unam pluresve ad id deſtinatas perſonas ſuo ductu ſuaque directione ſenſim informandi, & exercitio arti obſtetricandi proprios reddere, atque ſic non neceſſe foret ullius valetudinem aut vitam imperitis ac in exercitatis committere hominibus, prout nunc aliorum inopiâ etiam ſæpius debet fieri, ſicuti quoque nunc difficile valde foret ad inveniendum virum peritum in ſingulis urbibus majoribus: Re autem hac, prout de eâ ſupra dictum eſt, in conſuetudinem introductâ, apta ſubjecta deëſſe non neceſſe foret, tuncque multi homines non in tantis verſarentur anguſtiis, neque ad tam ingentes cogerentur impenſas, ut ex procul remotis urbibus aut pagis virum talem arceſſant, tanti temporis jacturâ, unde contingit ſæpius, parturientem mulierem jam mortuam eſſe, vel agonirare eam, antequam arceſſitus Vir advenerit; quod Tu, Mi Domine! Ipſe Experientiâ teſtari quidem poteſt, atque quod mihi contigit ſæpius.

Dominus novit, quod hâc æſtate præteritâ Rotterodamum arceſſebar, ad ſutoris cujuſdam Uxorem partu levandam; me vero adveniente mors jam appropinquaverat mulieri, crucifixum cereumque manibus ſuis tenenti, meusque adventus ſerotinus prorſus erat. Atque mihi illud etiamnum contigit *Pridie Non*: hujus menſis *Novembris*, quum Vlarderingâ me curriculum arceſſebat ad Medicinæ ibidem loci Doctoris Uxorem, quæ hactenus quadraginta ſolummodo horas parturiendo triverat; me autem jam ad proficiſcendum parato, Dominus Juvenis aliquis equitando adveniebat mihique nunciabat, mulierem jam eſſe mortuam: Sicque contingit ſæpius, quando auxilium tam procul petendum eſt.

Nihil

Nihil itaque, mi Domine! Videtur amplius remanere, niſi unica adhuc difficultas, quæ non niſi experientiâ poteſt ſuperari; atque hæc eſt pavor ille, quo perſtringuntur parturientes, quôque horreſcunt dolorem, quem ſibi imaginantur eſſe intolerabilem: Præcipue hujus rei ratio hæc eſt, quod dolorem partus ſubiti putant ſimilem eſſe illi quem ſentit mulier, quando jam 3. 4. vel 5. imo ſex dies parturiendo trivit, ubi omnes aquæ defluxerunt, uterus firmiter contractus, atque ubi mortuus eſt vel jam putreſcit infans, tamque firmiter compactus & compreſſus eſt, imo ubi ad hæc omnia etiam uterus obliquè jacet, atque infans perverſo ſe offert modo; quando nimirum partus non niſi magno parturientis dolore, & graviſſimo magiſtri labore fieri potis eſt: Quando autem liberatio citò, parturitionis initio, imo etiam ſecundo aut tertio die, peragitur, dolores nunquam tanti ſunt; quin quidem benè tolerari poſſint, etiam à tenerrimis Matronis, ac præcipue ſi jam ſemel enixa fuerit mulier: Atque ego certus ſum, mulieres, quæ illud experti erunt ipſæ, vel quæ adfuerint quando parturientes tam cito juverit obſtetricans Chirurgus, poſtea perſuaſas fore, quod pavore doloris neminem oporteret ſubitum differre partum, ſed quod ille peragatur quanto citius tanto melius, quodque minore dolore, minoreque periculo perficiatur opus.

Ex hiſce igitur neceſſariò eſt concludendum, citum ſubitumque partum omnibus modis præferendum atque commendandum eſſe, ut tutiſſimum, certiſſimum, facillimum atque utiliſſimum; Doctoreſque Medicos in omnibus urbibus eum oportere commendare Obſtetricibus, atque Magiſtratibus eſſe Authores, ut ipſorum imperio & authoritate eum in uſum introducerent, ordinationibus talibus ac inſtitutionibus, quas ſupra indicavimus, vel quas ipſorum ſapientia ac prudentia reperiretur illi ſcopo aptiſſimas; quo facto certè ſingulis annis multas à morte ſervarent.

Quod si hæc Epistola, quæ multo quam initio scriptionis meæ proposueram, excrevit, forsan non satis potis erit, ad efficiendam in illo pernicioso parturientes subito juvandi neglectu universalem reformationem, me tamen spes alit, ut post has claras demonstrationes accuratæ tuæ non defuturæ sint commendationes: quorsum etiam hujus epistolæ cum Collegarum tuorum quibusdam, qui æqui sunt judicii, quique Reipublicæ bonum amant, communicatio forsan bonam posset habere efficientiam, quod Tibi ad faciendum vel omittendum pro libertate atque bene placito relinquo, omnique honore permaneo.

DOCTISSIME DOMINE,

Tuus Obsequiosus Servus.

H. v. D.

HISTORIA

GRAVIS ADMODUM PARTUS QUI CONTIGIT.

V. Id. Febr. Anni M. DCC. XXIV.

Die Mercurii V. Id. Febr. A. M. DCC. XXIV. advocabar ſeu arceſſebar Rotterodamum ad mulierem quandam, quæ jam ultra biduum parturiendo triverat, abſque ulla probabilitate, quod liberari poſſet: Membranæ pridie jam fractæ erant, poſtquam in anteceſſum aqua formata fuerat oblonga atque puſilla; quod ſemper præſagium eſt malè verſi infantis, partûſque difficilis.

Obſtetrix, reperiens unum infantis brachium Uteri orificio incumbere ac hærere ibidem, utebatur prudentiâ mulierem incaſſo labore non defatigandi, prævidens quidem illam abſque extraordinario auxilio non poſſe liberari, quod & etiam indicabat ipſa.

Illuſtriſſ. Profeſſor *Wilhelmus Vink* tanquam Medicinæ Doctor ad mulierem advocatus, tam ex Obſtetricis narratione quam ex proprio accurato examine judicabat, nullum tempus negligendum, ſed citiſſimè auxilium implorandum eſſe; quapropter me epiſtolio propriæ ſuæ manus honorabat ad perſuadendum mihi, ut tam cito advenirem, quam omnino foret poſſibile, cui rogatui ſerio accedebant mulieris parturientis Mariti lachrymæ ac ſupplicationes, quæ me

movebant, ut, non obstante tempore hiemali meaque ex liberatione cujusdam mulieris die, quæ præcesserat, Dominicâ defatigatione, me ipse cum parturientis Marito horâ matutinâ nonâ itineri committerem; atque sic unà duodecimam inter & primam horam meridianam ad patientem adveniebamus, quam ego adhuc satis virium habentem comperiebam, eo quod incasso labore non defatigata erat, quemadmodum alias plurimæ parturientes in talibus casibus defatigatæ sunt, inscitiâ nimirum Obstetricum, quæ tales mulieres ad edendos nixus incitant continuò.

Obstetrix amplam mihi de mulieris statu deque perverso infantis situ dabat historiam: atque post paululum temporis adveniebat & illuc Dominus Doctor Medicus *Vink*, qui mihi indicabat quoque, quid ad illud tempus usque respectu mulieris situsque infantis observaverat ipse, quod cum Obstetricis testimonio consentiebat apprimè rectè.

Necessario apparatu instructo opus aggrediebar præsente Doctore Medico Domino *Vink*, qui operationi ad finem usque intererat; comperiebam autem Parturienti plus patiendum mihique plus laborandum esse, quam ullus nostrum sibi fuerat imaginatus; *partim* propter extraordinarium infantis obliquum situm, *partim* propter siccitatem magnam, defluxâ nimirum omni fermè aquâ, atque *tertio* propter vehementem adstrictionem & contractionem uteri, qui ad instar sacci fortiter constricti omnia adstringebat & compingebat firmiter.

Infantis situs erat talis: Infans duplicatus dorso incumbebat, longitudine suâ in & supra longitudinem pelvis; dextro autem latere deorsum magis; dextroque etiam complicato brachio suo; atque cubito suo partim contra, partim in orificio Uteri posito, non tamen ad extra vel deorsum propendente; caput infantis potissimum jacebat in sinistro nateſque magis in dextro uteri & abdominis latere; femora & genua infantis ventri ipsius ac pectori incubabant;

atque

atque crura rursus & pedes ipsius natibus incubabant complicata; adeo ut caput & genua in sinistro, nateſque & pedes in dextro abdominis jacerent latere, atque omnia triplici crassitie, & altitudine sibi invicem impoſita.

Hic duplex complicitus infans jacebat proinde curvatus & plicatus delapſus in cavum pelvis, utque in curvaturam ossis sacri ossisque coxigis, quare coactus eram subtus infantis latus inferiusque contrectare, inducendo primum meam manum digitosque meos deorsum ad inteſtinum rectum, unde tunc meam manum infernè ab infantis latere rectà sursum porrigebam, ut illic aliquas infantis poſteriores partes quærerem aut invenirem: Verum in hac subvectione manûs, exterior illius pars prominentia ossis sacri ultimæque vertebræ tam fortiter comprimebatur & adstringebatur, ut præ dolore isto manum meam altius evehere non potis essem.

Tentabam alterâ meâ manu num illam subtus per axillam supra pectus evehere possem, quod mihi succedebat feliciter, ast ibi mea manus femoribus impingebat, & quidem adeo firmiter, ut nec per femorum medium nec circum ea, ad alterutrum arripiendum penetrare possem; ibi manus mea fixè & otioſè debebat remanere, neque eam ulterius sursum seu infantis partes poſteriores versus provehere poteram, atque tanta aderat compreſſio, ut clausos digitos non aperire neque erectos claudere possem; manusque mea ad tantam premebatur hebetudinem, ut nulla certitudine possem noſſe, qualem infantis partem ego attingebam: Ob quas rationes judicabam insperatum prorsus esse, ut solis manibus posset extrahi infans, quapropter coactus eram ad tentandum, num illud medio instrumentorum perficere possem, quamvis & ad id non dabatur spei multum. In *Ulteriore Examine pag.* 17. *&c.* eâ de re in simili ferme casu meam sententiam dixi, quomodo nempe talis malè jacens infans capite extrahi posset, quia nimirum loquebar ibi de situ quodam, ubi caput adhuc ma-

manu poterat attingi: istud vero consilium mihi hoc in casu inservire nequibat, quoniam hîc propter magnam angustiam vehementemque adstrictionem ad infantis os porrigere mihi erat impossibile; ac idcirco vel aliud hîc excogitandum erat medium vel mulieri retento infante moriendum.

Unica, quæ mihi hoc in casu obveniebat, via erat, ut medio unci corpus ex dextro in sinistrum protraherem parum latus, atque tunc infantem ita duplicatum extraherem; sinistrâ igitur juxta brachium & sinistrum latus infantis iterum immissâ, introducebam etiam uncum; sed magna siccitas vehemensque adstrictio tantum tactui efficiebant impedimentum, ut nulla animi securitate uncum auderem affigere, metuens, ne forsan mulierem uspiam vulnerarem: ut itaque efficerem majus spatium, infantis brachium sicco linteo quidem firmiter apprehendebam, illoque trahebam, acsi infantem conarer duplicatum extrahere, verum trahebam eâ intentione, ut ad mulieris latus sinistrum adducerem infantem, quod & eo proficiebat parumper.

Dein immittebam iterum manum sinistram, reperiebamque aliquantò majus spatium, quo mihi occasio dabatur uncum in infantis ventrem ingerendi, atque ad me trahendi; unde subgrandis in ventre oriebatur apertura; & quoniam ego trahendo mulierem simul & laborare faciebam, intestina inde per aperturam ventris taliter exprimebantur, ut ex corpore extrinsecus ebullirent, quod rursus aliquanto majus efficiebat spatium.

Rursus brachium vi attrahebam, ac invehebam uncum in latus mulieremque iterum laborare faciebam, quod notabile rursus præstabat auxilium; & sinistram iterum immittens, tunc sentiebam me sub costis lumborum vertebras posse complecti, atque imaginabar mihi, quod si obtuso meo unco lumborum vertebras illic complecti possem, etiam tunc valerem infantem extrahere duplicatum: invehebam

igitur

igitur uncum obtusum allaborabamque tamdiu, donec circum lumborum vertebras circumvinctus esset, atque tunc rogabam mulierem vellet omni suâ vi eniti, ac urgere fortiter, dum ego interim simul omni meâ vi attrahebam uncum, atque ita bonitate Dei duplicatus transibat infans, totum nempe corpus ad caput usque, quod & statim post sequebatur, dein ego secundinas, quæ quoque satis magnæ erant, extrahebam, atque ita parturientem liberabam prorsus.

NB. Mulier non quidem erat magna, ast infans secundinæque tamen ideo non erant parva.

Postquam mulier omnes hosce labores perpessa, & enitendo optimè perfuncta valdeque fatigata esset, mirabar ego, ipsi tantas adhuc supersesse vires, quæ quoque me tertiam inter & quartam horam abeunte ipsi etiamnum supererant.

III. Non: Maji, atque ita post tres à partu hoc difficili menses rogabam Doctorem Medicum, Dominum *Wilhelmum Vink* super valetudine hujus memoratæ mulieris, atque mihi dicebat ipse, illam valere perquam optimè.

Nata mihi erat occasio Dominum istum de istius prædictæ mulieris valetudine rogandi, eo quod reperiebam ipsum ad *Novum Portum* apud mulierem quandam, quæ jam aliquot dies parturiendo triverat, quæque liberari nequibat: Erat provectæ ætatis fœmina, triginta novem circiter agens annos, neque antea pepererat unquam: infans ejus benè versus capite in uteri orificio jacebat, quod caput à muliere apertum seu terebratum erat, ossa cranii dissoluta pendebant, cerebrum jam ex parte effluxerat, aut extractum erat, sanguinis dilapsum erat multum, gangrænaque totum jam penetraverat corpus, atque infans vehementer putrefieri jam incipiebat, unde magnus concitatus erat fœtor: increpabam obstetricem quod tam malè multasset infantem, dicendo ipsi, quod, etiamsi mea

ipsius soror esset, ego ipsam non possem justificare, quodque obstetricem non deceret infantis caput aperire.

Rogabam illam, num extrahendi secundinas perita esset? Dicebat, *Imo*: atqui ergo, ajebam ego, illud committam tibi, nam me maximâ gravedine laborante, non necesse erit, ut me usque adeo denudem, ac quidem alias deberem facere ad extrahendas secundinas.

Me igitur collocabam ante parturientem mulierem, & apto forcipe apprehendebam frustrum cranii simul cum circumpendente cute, illaque unà ad me trahebam extra corpus, ac simili modo cum altero infantis capitis latere agebam: Dein has dissolute pendentes partes usque adeo extrorsum eductas sicco linteo apprehendebam, omniaque ad me trahebam leniter, quo facto infantis quoque caput absque ulla vi sequebatur, ac extrahebatur: involvebam infantis caput in eodem linteo, atque animabam mulierem dicendo, quod statim esset liberata, si modo fortiter parumper deorsum deprimeret, agendo acsi ipsi essent nixus; Illa faciebat hoc sedulo, atque ego ad me attrahebam infantem, qui quoque extrahebatur statim, & ita intra horæ quadrantem à mortuo suo infante etiam, quod mihi dicere licet, absque dolore liberata erat mulier. Obstetrix amputabat funem umbilicalem; egoque illi mortuum istum & fœtidum ac rancentem fœtum tradebam, quo sepositio, surgebam, illique secundinarum extractionem committebam, quam quoque satis citò ac benè perficiebat; atque ita mulier planè liberata erat, ad ipsius Mariti omniumque, qui aderant, gaudium.

IN-

INDEX

Bibliopego designans cujuslibet Figuræ locum.

Figuræ à se invicem abscissæ sigillatim insuendæ sunt, ita ut facies cujuslibet Figuræ conversa sit ad explicationem suam, quantum quidem fieri potest Effigies Auctoris ex adverso Tituli locanda, ita ut effigies & Titulus Lectori simul pateant.

Figura 1. locanda inter paginam 16. & 17.
2. 20. 21.
3. 22. 23.
4. 28. 29.
5. 50. 51.
6. 74. 75.
7. 8. 9. 76. 77.
10. 11. 12. 84. 85.
13. 14. 90. 91.
15. 132. 133.
16. 152. 153.
17. 18. 160. 161.
19. 20. 168. 169.
21. 22. 23. 170. 171.
24. 25. 178. 179.
26. 27. 182. 183.
28. 186. 187.
29. 188. 189.
30. 194. 195.
31. 32. 200. 201.
33. 202. 203.
34. 35. 230. 231.
36. 232. 233.
37. 38. 250. 251.

1. 15. 16. 17.
2. 19. 11.
3. 22. 23.
4. 25. 29.
5. 71.
6. 74. 75.
7. 78. 79.
10. 11. 12. 84. 87.
13. 14. 90. 91.
17. 112. 113.
18. 124. 173.
21. 18. 160. 161.
23. 20. 168. 169.
31. 32. 33. 170. 171.
34. 37. 168. 170.
38. 41. 182. 183.
42. 175. 177.
45. 186. 189.
46. 194. 197.
51. 52. 200. 201.
202. 203.
54. 57. 230. 231.
56. 232. 233.
57. 58. 240. 241.

HENRICI à DEVENTER,

Medicinæ Doctoris,

OPERATIONUM CHIRURGICARUM *NOVUM LUMEN* EXHIBENTIUM OBSTETRICANTIBUS,

PARS SECUNDA:

ET

QUÆ EXHIBET ULTERIUS EXAMEN PARTUUM DIFFICILIUM,

UT

LAPIDEM LYDIUM ET CLYPEUM OBSTETRICUM:

Ubi ſimul agitur de neceſſitate Inſpiciendi Cadavera mulierum in Partu defunctarum, non enixo fœtu, ut appareat, an Obſtetrix cauſa fuerit cladis matris & fœtus.

Inſerviens augmento Novi Luminis Obſtetricantium, ſimul præbens fidele Monitum omnibus maritis, quibus ſalus uxorum & liberorum in pretio eſt.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOAN & HERM. VERBEEK, Bibliop.
M DCC XXXIII.

HENRICI à DEVENTER,

MEDICINÆ DOCTORIS,

OPERATIONUM CHIRURGICARUM NONNULLARUM EXHIBENTIUM OBSTETRICANTIBUS,

PARS SECUNDA:

SIVE

QUÆ EXHIBET ULTERIUS EXAMEN RARIORUM DIFFICILIUM,

ET

LAPIDEM LITHIUM ET CLYSTEUM OBSTETRICUM:

Ubi simul agitur de necessitate Infantis Cadavera mulierum in Partu defunctarum, non cruce secto, ut appareat, an Obstetrix caula fuerit cladis matris & fœtus.

Impressum cujusnam Jussu Lectoris Obligabuntur, simul præbens Fidele Mentium omnibus mentis, gratus favor meorum & Libertas in Arctis &c.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOAN & HERM. VERBEEK, Bibliop.

M DCC XXXII.

PRÆFATIO.

CORDATE LECTOR.

IAM 22 circiter elapsi sunt anni, quum liber meus ferens titulum *novi Luminis obstetricantium* vernacula lingua prodiit, hac spe, ut ex *novo hoc lumine obstetricantibus* persuaderem, veras difficillimorum partuum causas non adeò dependere a pravis posituris infantum in utero, quam quidem a perverso ipsius uteri situ. Quam rem, quantum tunc noveram, vel & hactenus mihi conscius sum, nullus auctor anteà attigerat, & quamvis *novum hoc lumen* nondum omnium illuxerit oculis, inprimis illorum, qui semper discunt, nunquam tamen veritatem agnoscunt, tamen profuit quibusdam obstetricibus, & multis eruditis viris, qui veterum placitis servili quasi animo adhærere nolebant, recipientes veritatis testimonia fundata manifestis & indubitatis demonstrationibus, quorum multi gratias mihi egerunt vel coram, vel literis ad me missis.

Et licet liber meus tantum duabus linguis

lucem viderit, Belgica nempè & Latina, tamen quidam eruditi viri noluerunt hoc *novum lumen* ſub modio occultare, ſed candelabro impoſuerunt, & me neſcio, Lingua Germanica & Anglica ediderunt.

Quamvis autem *novum hoc lumen* caliginoſis quorundam oculis moleſtum fuerit, tamen non potuerunt illud exſtinguere, nec impedire, quò minus ſenſim magis & magis illuxerit, & ex hac regione ad alias tranſiverit nationes, & videntes ſe non ſufficere veritati impugnandæ, vel huic operi emendando, maluerunt tacendo illud approbare, quam cum infamia ſe illi opponere? a 22 annorum ſpatio, quo *novum hoc lumen* publice expoſitum fuit, non novi, aliquem quidpiam magni momenti de arte obſtetricandi ſcripſiſſe, vel novi quid circa hanc rem protuliſſe, nec puto, aliquem facilè hoc tentaturum eſſe.

Tamen non eſt impoſſibile, continuo exercitio, & ſedulis in praxi obſervationibus, hactenus dicta novis quibuſdam experimentis extendere: cujus rei ſpecimen in *ulteriori hoc examine* ipſe præbeo, proponens adhuc quoſdam difficiles partus, quorum veræ cauſæ mihi tunc nondum ſatis innotuerant, quas poſteà

ſteà didici, & quæ neceſſariò cognoſci debent, hinc mei muneris eſſe putavi, has publici juris facere, ut proximo melius inſerviri poſſit, & unico omnium bonorum largitori Deo debitæ reddantur gratiarum actiones.

Ulterius hoc examen edere placuit, in forma peculiaris cujuſdam parvuli tractatus, quamvis ſit proſecutio majoris operis, & huic ſubjungi poſſit. hoc autem feci.

Primò, ut illi, qui jam ſibi compararunt librum meum, hunc illi ſubjungere poſſint, nec cogerentur novum emere.

Secundo, ut omnes viri, vel fœminæ, quibus ſalus familiæ cordi eſt, minimis impenſis & labore, legendo *ulterius hoc examen*, breviter & tamen evidenter perciperent, quanta cum prudentia procedere debeant, quando illorum uxores vel filiæ parturiunt.

Tertiò *per ulterius hoc examen* paucis pagellis volui excitare & admonere obſtetrices, ſciens, quod libentius perlegent parvum libellum, vili pretio parabilem, quam majoribus impenſis & labore meliora inquirerent.

Quarto putavi, lectionem hujus *ulterioris examinis* non adeò tædioſam fore ampliſſimis magiſtratibus, quibus vel momentum tempo-

ris in pretio habetur, qui in brevi hoc ſpecimine videre poterunt & facilè percipere magna incommoda & calamitates, quibus exponuntur ſubditi, neceſſariâ opis penuria in illis anguſtiis, quando illorum filiæ vel uxores parturientes vel negliguntur, vel malis adeò modis mulctantur, quibus hactenus nil aliud præſidii fuit, niſi in ſolis lacrymis, quibus neceſſarii ſubſidii penuriam deplorabant, donec ampliſſimis magiſtratibus placuerit damnum hoc reſarcire, idoneis ad hoc malum adhibitis remediis.

Secunda hæc pars in hac tranſlatione impreſſa eſt incipiendo pagina 1. & Capite 1. non verò pag. 351. Cap. XLIX. uti in belgica editione habetur, hoc factum fuit, ut eò melius formam ſecundi voluminis acciperet.

In uſum illorum, qui *novum lumen* jam ſibi comparaverunt, vel adhuc comparabunt, ſubjunxi indicem ordine alphabetico conſtructum, continentem omnia annotatu digna in hoc opere facile reperienda paginis in indice indicatis.

Forſan non injucundum erit lectori, unà cum approbatione paucula quædam extracta videre, ut inde appareat, quid ſentiant erudi-

diti medici de *Novo hoc obstetricantium Lumine*, in cujus perfectionem *ulterius hoc examen* ante mortem adjungere volui, optans, ut æterno omnium rerum moderatori Deo placeat, inserviat saluti publicæ, & afflictorum solatio, ut infinita ejus bonitas omni honore digna laudetur & glorificetur, quod præmium sufficiet mihi indignissimo & humillimo ejus servo,

HENRICO a DEVENTER
M. D.

Extractum ex Epistola Eruditissimi Viri

JOHANNIS AB HOORN,

Medicinæ Doctoris Holmiæ,

Missa ad

HENRICUM à DEVENTER, M. D.

Eruditissime Domine & mihi ignote amice.

Quamvis antehac nulla mihi unquam tecum interceſſerit familiaritas, neque ullum literarum commercium tecum hactenus habuerim, nihilominus putavi muneris mei esse, ut paucis his literis tibi mandarem, quanta cum animi voluptate tuum *novum lumen* obstetricantium perlegerim, &, me judice, parturientes fœminæ nunquam debitas tibi possunt reddere grates, quia nobile adeò donum orbi communicare voluisti.

Fateor, me nullum hactenus legisse auctorem, nec alicui locutum fuisse, cui hæc cogitata inciderant, unde optimo jure *novi luminis* nomen meretur, quinque abhinc annis parvum tractatulum edidi Suecico idiomate hanc materiem spectantem, quoniam in Galliis huic arti pro virili incubui, & postea Lugduni Batavorum *pro gradu de partu præternaturali* disputavi, & quotidie adhuc hanc artem exerceo: optassem sanè, ut tuus liber vel citius prodiisset, vel meus serius in lucem editus fuisset, sic enim majori perfectione donatus publico emolumento magis inserviisset, utpote tuis in hac arte præceptis illustratus: discimus enim, quamdiu vivimus, & meliora docet serior ætas: utinam daretur hujus libri auctoris colloquio coram frui, sed cum hoc fieri non possit, tamen speramus, ut, veluti magnum & novum lumen in arte protulisti, sic & promissis steteris, nempe orbi communicando *Operationes chirurgicas*, ut eruditus orbis eò majori in pretio habeat tuam eruditionem & diligentiam, & simul ingenuum aliis communicandi candorem meritis efferat laudibus. Hæc toto animo sperans salutem plurimam tibi apprecatus me subscribo Tuæ dominationis

Humillimum Servum

Holmiæ 19. *Novemb.* 17[illegible] JOH. AB HOORN, M. D.

Fra-

Fragmentum Epistolæ Doctissimi Domini

FRANCISCI KEUFFERLE,

Medicinæ Doctoris Campidonæ ad fauces montium Tyrolensium.

Illustrissime Domine, Domine colendissime.

Jam decem præteriere anni, cum forte fortuna liber tuus de arte obstetricandi tribus annis ante in lucem editus mihi in manus incideret, quem cum charitate in proximum plenum & solidissimis praxeos fundamentis innixum deprehenderem, tantam in eo posui fiduciam, ut mox, ascita obstetrice necessariis ad hanc operam instructa dispositionibus, illam monitis & præceptis tuis saltem theoretice imbuerem, quibus libenter susceptis, & successive in praxim deductis, mirum quantum utilitatis exinde hauserit publicum, ut nominata obstetrix non modo ad primæ Nobilitatis puerperas foras evocetur, verum diversæ aliæ mulieres instructioni ejus datæ, totiusque circum regionis puerpuræ jam non alia nisi tua methodo adjuvari velint, cum antea toto negotio naturæ commisso innumeri infantes cum matribus vel vita privati perirent, vel pessime constituti ruinosam adhuc trahant vitam, unde nomini tuo perpetuus honor merceque magna a Dei misericordia tibi expectanda venit. . . . . Vale Vir illustrissime, & tuo dignare favore, qui nominis tui, quamdiu vivet, duraturus cultor fidelissimus

FRANCISCUS KEUFFERLE, M. D.

Campidonæ ad fauces montium Tyrolensium 7. Julii 1714.

Monsieur le Docteur & treshonoré Amy!

Vôtre *Livre intitulé*: Operationes Chirurgicæ novum lumen exhibentes Obstetricantibus, Lugduni Batavorum 1701. impressum, *m'est fort cher, depuis que j'en ay fait la lecture. Si je n'avois pas lu plusieurs autres, qui ont écrit de la même matiere, je ne croirois jamais, qu'ils avoient tant de siecles ignoré, que la matrice tombe dans quelques femmes grosses, tantôt en devant, tantôt en arriere, & quelque fois a un côté. Mais la lecture de Mauri-*

ceau

ceau, Portail, &c. montre assez, qu'ils ont cru, que dans des enfantemens difficiles, l'enfant seroit ou mal tourné, ou trop grand, en comparaison de la femme grosse & de ses parties.

Monsieur le Docteur, je vous felicité de tout mon cœur de cette decouverte, si utile pour le genre humain. Je vous prie Monsieur, si il y a un Epitome fait de vôtre livre mentioné de m'en envoyer un exemplair. Nos sages femmes sont fort ignorantes en ce pais icy. Mais parce que j'ai de la peine a entendre le Hollandois, je souhaiteray, qu'un tel extrait de vôtre tres util livre soit ou en latin, ou en François. Si par hazard vous eute un de vôtre main deja bien exercée, quelle voudroit venir en Dannemarc, elle feroit asseurement sa fortune. Ou s'il y avoit un Medecin ou un Chirurgien de vôtre information, qu'il avoit deja une bonne experience, nous luy recevrons icy avec un grand plaisir, & il pouvoit fort bien vivre, parce que il n'y a icy que le seul Docteur Hacquart le jeune, qui vient de mourir; de sorte qu'il n'y a ni Medecin ni Chirurgien, qui pouvoit in partu difficili secourir. A Dieu Monsieur &c. je suis pour jamais

Monsieur le Docteur,

Copenhague ce
26. Mars 1716.

Vôtre tresbumble & fidel Serviteur
JEAN de BUCHWALD,
Archiâtre & premier Chirurgien de Sa Majesté Danoise.

APPROBATIO.

Rogati Professores Medicinæ in Academia Lugd: Bat: a Viro Expertissimo HENRICO à DEVENTER, ut evolverent tractatum, cui titulus est *Operationum Chirurgicarum Novum Lumen Exhibentium Obstetricantibus Pars Secunda*, & de eo judicium ferrent; eundem perlegerunt, dignissimumque judicarunt qui prælo committeretur & cum publico communicaretur.

H: OOSTERDYK SCHACHT
Fac: Med: h: t: Decanus.

Lug: Bat:
Postridie Nonas Aug.
Anni MDCCXXIII.

CAPUT

CAPUT I.

De partu difficili ex eo quod infans in utero antrorsum propendulo in tergum resupinus occipite suo in pelvim descenderit.

IN quadragesimo sexto Capite paginâ 201. egi de difficili partu, orto ex tali perverso uteri situ, ut suo fundo profundè descenderit in abdomen, & ibi demonstravi veram Petauristarum causam ut ibi videri potest: sed ibi non egi de partubus difficilibus, qui oriuntur, quando in tali in abdomen propendulo utero infans resupinus occipite in pelvim descendat, & ibi, sicut plerumque fit, fixus hærens in lucem prodire non possit, & quoniam talis situs difficilimum faciat partum, necessarium duxi, de illo hîc loci prolixius agere secundum experimenta a me habita.

Nulli dubium esse debet, quod infans in propendulo tali utero æque resupinus quam pronus possit jacere, sed difficulter quis nisi expertus credet possibile esse, ut quidam uteri suo fundo tam profundè in abdomen possint descendere, uti ipse accuratâ observatione verè comperii: & ideò nulli alienum videri debet, me de hac perversa uteri & infantis positurâ anteà non scripsisse, nam in talibus casibus ipse judicium diu suspendere debui, metuens, ne forsan fallerer in judicando; sed sæpius repetitæ & accuratæ observationes tandem omne a me abstulerunt dubium & certam omninò rei veritatem

effecerunt ; & ideò nullus dubitare debet de veritate hujus asserti , licet , quantum noverim , primus sim , qui hanc pravam posituram uteri & infantis orbi tradam , & malos hujus successus demonstrem.

Dico igitur , quandoque accidere in quibusdam mulieribus , imò sæpius , quam quis facilè credet , ut uteri fundus profunde descendat in abdomen mulieris , cujus abdomen valdè demissum est , & quidem ita ut uteri longitudo cum vagina simul faciant curvum anfractum , usque adeò sæpè , ut ferè angulum rectum facere videantur , & quando accidit , ut in utero tam perversè sito resupinus jaceat infans , inde necessariò & inevitabiliter oritur difficillimus partus , & parit plerumque mortem & matri & infanti , quoniam tales mulieres plerumque moriuntur , non excluso fœtu.

Si roget quis , cur talis situs uteri & infantis adeò periculosus est ? & ferè semper lethalis matri & infanti? respondeo , ob sequentes rationes.

(1.) *Quia obstetrices periculi ignaræ non tempestive implorant auxilia* ; & quid miri est obstetrices periculum hujus posituræ non novisse ? quoniam talis positura uteri & infantis illas & totum orbem hactenus latuit ; & quid miri est talem posituram orbi ignotam fuisse hactenus ? quoniam (me conscio) nemo omnium auctorum , qui ante me scripserunt , hunc situm novit , vel saltem descripsit , & quia talis positura omnibus obstetricibus hactenus ignota est & fuit , nulli mirum videbitur , omnes obstetrices hactenus fuisse ineptas , & adhuc esse , ut tactu explorando talem uteri & infantis posituram ab aliis posituris bene distinguere valeant.

Quod verum sit , illam posituram omnibus obstetricibus hactenus ignotam fuisse , ex eo etiam judico , quia ha-

hactenus nulla obstetrix unquam dicere novit, uterum & infantem sic positos esse, qnando ipse vocabar ad liberandam mulierem, ubi res sic erant compositæ.

(2) Quia nunc nulla obstetrix talem uteri & infantis posituram tactu ab aliis pravis posituris distinguere novit, etiam ineptæ sunt, quæ tali parturienti mulieri necessaria ferunt auxilia, nec possunt mulieri nec amicis periculum hujus posituræ indicare, & per consequens parturiens mulier nec amici satis tempestive deliberare possunt, ut mature matrem & infantem ex hoc lethali discrimine expediri curent.

(3) Obstetrices talem situm uteri & infantis non noscentes, nec lethale inde discrimen metuentes se ipsas fallunt, uti & parturientem mulierem imo & amicos & reliquos adstantes: rogatæ enim, an infans bene versus sit? utrum directè uteri orificio suo vertice incumbat? dicunt, ita, vertice prodit, benè versus est, & his acquiescentes expectant securè citam liberationem, loco quod timere deberent, ne, si non cito peritus obstetriciæ artis magister advocetur, mulier certò non enixo fœtu mori debeat.

(4) Hæc ergo positura, de quâ agimus, non tantum obstetricum ignorantiâ periculosa est, sed & in se tanto stipatur discrimine, ut peritissimus & dexterrimus in hâc arte magister illam periculosam judicare cogatur, & confiteri, sibi, si non impossibile, saltem difficillimum esse, in tali uteri & infantis positurâ mulierem a mortis periculo liberare: & ut demonstrem illa, quæ dico, veritati & experientiæ inniti, lubet & necessarium duco, hanc posituram, & quæ inde sequuntur, tam clarè proponere, quam fieri potest, ut omnes artis periti plenè de hâc re convincantur.

Casus, de quo agitur, est ille: infans resupinus in

utero tam profundè demisso in abdomine propendulo sive antrorsum deorsum prominente, ut positura uteri & vaginæ anfractum vel angulum rectum facere videatur.

Suppono infantem in tali utero resupinum suo capite accumbere orificio uteri, ergo aliter fieri nequit, quin uteri orificium primo impingat & apprimatur superius contra curvaturam vertebrarum lumborum & os sacrum vel coccygis, quod plerumque in acumen prominet, ut omnes norunt anatomici, & ideò facile intelligere possunt, quod hic præsuppono.

Ex hâc verâ suppositione inevitabiliter alia sequitur, nempe, quod uteri pars acuminata cum infantis capite incluso necessario debeat incumbere ossibus pubis mulieris, unde sequi debet; primò, aquas os uteri non facilè posse dilatare, & præterea si aquæ os uteri parum aperiant & dilatent, hoc fieri nequit nisi sub capite infantis in pelvis cavo, & per consequens aquæ non possunt formari nisi oblongæ & tenues, & sæpe rumpuntur antequam advertat obstetrix, vel jam ruptæ sunt, antequam ad mulierem accesserit, quia gravida talis non patitur genuinos labores, & obstetrix vocata rarò tam altè pertingit manu, ut aquarum incrementum sentire possit nam solis digitis attingere nequit, nisi instar intestini descendant vel promineant.

Et quando aquæ sive potius membranæ rumpuntur, & defluunt aquæ, vocant fugitivas aquas, absque eo quod rectè concipiant veram causam, cur aquæ sic defluant; tamen experientia sciunt, plerumque fugitivas aquas difficilem partum prænunciare, nam oblongæ & graciles formantur aquæ in omnibus pravis posituris uteri & fœtuum, quorum caput non directè imminet uteri orificio,

&

& hoc fit plus vel minus, prout caput infantis plus vel minus occludit os uteri ; attamen quia aquarum fugitivarum ſequelæ non ſemper ſunt æquè malæ, hinc meliora ſperant, nec monent ſe peſſima timere.

Ex hactenus dictis quilibet artis peritus facilè colliget, primo : labores in hâc poſiturâ uteri & fœtus parum urgere poſſe, ut capite infantis os uteri ulterius dilatetur, quia hoc in os ſacrum impingit, prætereà, ſi fœtus caput uteri orificium parum jam dilatet, tunc occiput fœtus tantum pauxillum in pelvim deſcendere poſſe, & ſi tunc accidat, ut occiput fœtus paulatim magis & magis deſcendat in pelvis cavum, quod tunc caput non poſſit ulterius dilabi, niſi donec infans cervice ſuâ oſſibus pubis innitatur, ulterius enim non facilè dilabi poteſt.

Fœtu jam in tergum reſupino, vertice capitis incumbente curvaturæ oſſis ſacri, cervice innitente oſſibus pubis, occipite ſupra vel in pelvim delapſo facie ſuperiora verſus inclinatâ, obſtetrix tangit occiput infantis, & ſibi imaginatur ſe verticem capitis rectè ſentire, & dicit rectè prodit fœtus, naturalis eſt partus, benè verſus eſt infans, modo labores debiti adeſſent, res benè cederet, ſed dicit, labores nimis ſunt inertes, nil promovent, & monet parturientem, ut ſtrenue urgeat, ſed omnia incaſſum tentantur, nam fortiſſimi ſpaſmi nimis debiles ſunt, ut infantem ſic ſitum exprimant, nam infans undequaque fixus apprimitur pelvis oſſibus.

In hâc poſiturâ aliud adhuc eſt incommodum, de quo conqueruntur obſtetrices, ignaræ tamen cur hoc fiat. Et hoc imprimis obtinet in mulieribus provectioris ætatis, nunquam antea fœtum enixis, & hoc incommodum in eo conſiſtit, quod non detur apertura, nec fiat, nec fieri poſſit, licet mulier pluribus diebus parturiat, nam ca-

put infantis ſic compreſſum manens non urget, imo nunquam poteſt urgere pudenda, quia nequit deſcendere, nec laborum nec manus auxiliis, & ideò hic non proſunt medicamenta, labores illos ſive ſpasmos parturientium incitantia, quin imò ſummopere nocent, & nil hic exſpectandum eſt, niſi certa mors matris & fœtus, imprimis ſi aquæ penitus defluxerint, & fœtus in utero ſicco compreſſus hæreat, ſi, ut ſervetur mater, dum conſtant vires, fœtus non tractetur ut mortuus & ſic liberetur mulier, & ut hoc fiat, requiritur dexterrimus magiſter in hâc arte, nam non tantum difficillimum, ſed etiam fere impoſſibile eſt hoc præſtare: dico fere impoſſibile non tamen abſolute, niſi in hâc arte minus peritis.

Si roget quis, quomodo obſtetricans agere debeat, ut talem fœtum extrahat? reſpondeo, in hâc poſitura & diſcrimine jam præmonitis non cogitandum eſſe de invertendo fœtu, vel pedibus extrahendo, nam caput tunc retroduci nequit, unde caput, quod primò in pelvi occurrit, prius educi debet, ſed hoc difficulter fieri poteſt, nam præterquam quod in primo partu mulieribus provectioris ætatis nulla ſit apertura, & hîc prius fieri debet, caput fixum adeo & appreſſum hæret, & ſitus corporis ſecuturi adeò perverſus, ut penitus impoſſibile ſit caput educere nec manibus, nec ullo inſtrumento qualicumque, niſi prius calvariâ apertâ exemptum ſit cerebrum, & tunc difficultate non caret.

Aliquis forſan rogaret, an non inſtrumento Domini Mauriceau, vulgo dicto *tire teſte*, poſſet educi infans, non exemto prius cerebro? reſpondeo, quod licet hoc inſtrumentum ſecundum ejus præſcripta fecerim, & jam per multos annos ſervaverim, tamen illo nunquam fuerim uſus,

uſus, quia expertus novi, in tali poſiturâ caput non educi poſſe, niſi ablato prius cerebro: nam idoneis ad hanc rem inſtrumentis ſatis tentavi; ratio eſt, quia infans cervice ſuâ fixus apprimitur oſſibus pubis, & quia humeri & dorſum infantis nimis apprimuntur undequaque pelvis oſſibus, quam ut, ſine maximâ vi protrahi poſſent. nec ſufficit in hac poſiturâ quodam inſtrumento arreptum caput ad ſe trahere, nam ſic incredibili vi hoc oſſibus pubis apprimimus, &, ut caput ſequatur, tractio magis verſus poſteriora quam verſus anteriora debet dirigi, aliter enim non datur via, &, niſi caput cerebro vacuum ſit, ſpatium nimis anguſtum eſt, ut verſus poſteriora trahatur, ideoque huic inſtrumento (*tire teſte*) præfero uncum vel forcipem robuſtam, hæc enim melius poteſt dirigi, & minori incommodo introduci.

Ne multiplicemus capita, & tamen hujus artis tyrones debitis inſtruamus monitis in partubus adeò difficilibus, adhuc de aliâ quâdam perversâ uteri & infantis poſiturâ dicendum eſt. Nempe: accidit aliquando uterum non rectâ antrorſum in prominulum abdomen delapſum eſſe, ſed magis ad dextrum vel ſiniſtrum latus inclinatum eſſe, & quando in tali obliquato utero infans jacet reſupinus, & ſic occipite ſuo in pelvim deſcendit, hæc poſitura non multum commodior habenda eſt quam præcedens; in quâ uterus rectâ antrorſum in abdomen delapſus eſt, & difficultas liberandi mulierem, ut & mortis periculum, non excluſo prius fœtu, fere idem eſt, imo ſæpe majus, ob cauſas in præcedenti poſiturâ recitatas.

Obſtetrices hanc poſituram tactu explorare neſciunt, & a naturali ſitu diſtinguere non norunt, infantis caput adeò obliquè in pelvim deſcendens benè verſum tamen dicitur, ex illarum ſententiâ, tantum deficiunt urgentes labo-

bores, medicamenta petunt hos incitantia, medicus dat talia acquiescens judicio & precibus obstetricis, magno tamen parturientis damno, nam vel acerrimi labores in hâc positurâ frustranei sunt, non enim possunt urgere caput infantis, ut fieri deberet, quia fœtus suo capite, cervice, & humeris inter & contra ossa pelvis appressus validè hæret, & hæc positura æque periculosa & æquè lethalis est quam præcedens, nisi ars tempestivè naturæ succurrat, vel, si nimis tardaverint, fœtus tractetur ut in præcedenti.

Infantes, qui in hâc positurâ uteri proni in ventrem decumbunt, facilius educuntur, tamen me docuit experientia, talem proni infantis posituram sæpè, æque esse incommodam, quam si resupinus jaceret, & hoc fit, quando fœtus ventri incumbens loco quod verticis anteriora porrigat, posteriorem capitis partem parum in latus reclinatam offerat, & loco, quod mentum pectori appressum habeat & faciem inferiora spectantem, jam facies ad latus reclinata pro maximâ parte superiora spectet, in quo casu vel peritissimus in arte magister errare posset, nam judicans ex positurâ capitis, certò certius putabit fœtum dorso incumbere: sed capite protracto videbit infantem sequi pectore & abdomine inferiora spectantibus, unde necessariò sequitur infantis caput & collum fuisse intorta, & sic in pelvim descendisse ut obstetricans in tali positurâ non minori indigeat labore, ad talem fœtum protrahendum, quam si resupinus dorso incumberet, ad hanc ergo rem eadem debet adhibere media.

Ratio, quare infantes ex reclinatis in latus alterutrum uteris æquè difficulter extrahantur quam ex illis, qui rectâ antrorsum in abdomen descenderunt, est, quia humeri

meri infantis tunc plerumque pelvim tranſverſum quaſi decuſſant, unde undique oſſibus pelvis appreſſi immobiles hærent, & non niſi ſummâ vi in pelvim poſſunt protrahi, & niſi humeri in pelvim delabantur, non poteſt extrahi caput, & difficillimè aliquis invenietur teneras adeo manus & brachia habens, ut illas inducere poſſet juxta caput ad humeros uſque, & illos ſic dirigat ut in pelvim deſcendere poſſint, vel illos recta pelvi imminere faciat, ut protracto infantis capite poſſint delabi, & niſi humeri ſequantur, ut dictum eſt, non poteſt liberari mulier. Sed rogaret forſan quis, utrum in tali poſitura uteri & infantis mulier non poſſit vel debeat alio modo liberari? reſpondeo, ſi occiput jam in pelvim delapſum eſt, quantum ſcio, nulla alia methodo fieri poteſt, ſed ſi talis poſitura tempeſtive & in initio cognoſcatur, tunc longè alia methodo procedendum eſt, nempe, non debemus permittere, ut occiput in pelvim delabatur, ſed ſtatim debent perrumpi membranæ, ſi nondum ruptæ ſunt, & tunc ſtatim infantis capite ad latus remoto manu immiſſa infantis pedes debemus quærere, & hos inventos attrahere, & inverſum infantem pedibus protrahere, & tunc adhuc ſpes ſupereſt ſervandi matrem & infantem, quæ ſpes penitus evaneſcit, ſimulac effluxerint aquæ, & occiput in pelvim delapſum ſit.

Sed, uti anteà monuimus, hæc poſitura obſtetricibus ignota eſt, & ab illis dignoſci nequit, unde raro hujus artis magiſter advocatur, niſi quando jam tempus effluxit, quo ſervari poſſit infans, imò ſæpè ſerius, quam ut a morte liberari poſſit mater, nimis enim debilitata moritur protracto jam fœtu, quare non ſine cauſa in initio diximus, hos ſitus plerumque lethales eſſe matribus & infantibus.

Deum oro, ut tandem oculos aperiat ampliſſimis noſtræ reipublicæ Rectoribus, ut de talibus efficacibus deliberent mediis, quibus præcaveatur a negligenti illa perditione matrum & infantum facta, per craſſam obſtetricum ignorantiam, & ſimul tollatur abuſus intempeſtive propinandi medicamenta, labores incitantia, volentibus ſtupidis adeò obſtetricibus.

Non dubito, quin quivis diſcendi cupidus deſideret noviſſe, qua via & methodo in initio infantes tam pravè poſiti & perversè prodeuntes manibus poſſint extrahi cum ſpe ſervandi matrem & fœtum.

Ut candidè huic quæſito reſpondeamus, dicere teneor, nobis, ut talem parturientem mulierem ſapienter & religiosè poſſimus juvare, prius conſtare debere, quomodo uterus & infans ſint poſiti, an in laterali, an in prominula abdominis parte.

Si uterus & infans in latere alterutro ſint poſiti, omnium optimè fieri poteſt, matre in lecto decumbente in illud latus, in quo uterus & infans ſiti ſunt, genibus verſus abdomen elevatis, & parte ſuperiori corporis poſita in ſitu magis declivi quam eſt pars inferior, ut totum pondus uteri & infantis retrorſum delabatur verſus diaphragma.

Si infans & uterus in abdomine ſint locati, mulier in lecto genibus incumbere debet, parte ſuperiori corporis admodum declivi, abdomine libero penitus, ut uterus & infans ſuo pondere in prominulum abdomen poſſint deſcendere.

Sic locata muliere debet magiſter manum inductam leniter juxta caput producere ad humeros uſque infantis, & tunc infantem debet retroprimere, ut fiat locus, tunc debet caput parum verſus alterutrum latus reclinare, men-

mentum pectori apprimere, & tunc juxta caput ſupra pectus infantis adducta manu debet pergere ad pedes, alterutrum arreptum laqueo firmare debet, ne iterum ſe ſubducat, tunc & alterum pedem arripere conabitur, & utrumque leniter intra os uteri protrahere, ibi adductos pedes una manu firmare debet, & altera ſuperiorem corporis partem retroprimere, & ſic infantem ſenſim pedibus educere Sed tria hic ſunt obſervanda: primo, antequam ulterius protrahatur infans, mulier debet alio modo locari, nempe debet reſupina poni ſuperiore parte corporis parum elevata, qualis eſt ſitus mulieris naturaliter parturientis. & præterea antequam ulterius protrahatur fœtus debet abdomen mulieris idonea manu ſurſum duci, rectè locari & firmari, quod tunc facile fieri poteſt & magnum adfert commodum. tertiò interea dum protrahimus pedes, ſenſim invertendus eſt infans, ut venter, thorax & facies inferiora ſpectent, ne mentum oſſibus pubis occurrat & apprimatur.

Dum occupamur leniter educendo infantem, parturiens mulier etiam ſuum faciat officium, nempe, debet, quantum poteſt, ſive labores urgeant, ſive non, infantem exprimere, hoc enim multum juvat, & imprimis ſi adhuc vivit infans, nam ipſi minus nocent matris labores, quam tractio magiſtri, infante ſic in lucem edito, porro ſecundinæ extrahendæ ſunt, & uterus purgandus, ut in aliis capitulis docuimus, quæ repetere foret inutile.

CAPUT II.

De partu difficili ex eo, quod infans transversim pelvi incumbat.

INter omnes perversas infantum posituras nulla pejor est hâc, quando infans transversim pelvi incumbit, & imprimis quando sic positus infans resupinus jacet, sive tergum ejus inferiora spectet.

Hæc positura semper difficilem partum creat, sive uterus directè sive obliquè positus sit: & si talis positura difficilem facit partum, utero directè posito, multò magis faciet, utero obliquè locato, & omnium difficillimum in muliere cujus pelvis exigua est & plana, & cujus uteri fundus in abdomine profundè descendit.

Infans potest transversim pelvi incumbere imprimis duplici modo. primus modus est, quando caput & pars superior corporis in alterutro abdominis latere ponuntur, pedes verò, crura & nates in opposito latere hærent, & hæc positura adhuc melior est sequenti ob causas statim assignandas. Alter modus, qui multò pejor adhuc est, quando crura & pars corporis inferior infantis in abdomine mulieris ponuntur, caput vero & pars superior corporis lumbis mulieris accumbant.

Omni caret dubio, quod infans, alterutram ex his duabus posituram habens, tali modo non possit prodire. sed quod mulieri unà cum retento fœtu sit moriendum, nisi arrificiosa manu liberetur, quod immediatè post ruptas membranas facilius, citius, & minori dolore & periculo fieri potest, quam posteà, & sæpe penitus impossibile, nimias moras nectendo, fit.

Quando

Quando infans primo modo transversim incumbit pelvi, parte superiore in uno, parte inferiori corporis in altero latere posita, & abdomen inferiora spectat, sive prominet funis umbilicalis sive non, tantum non est periculum, quam si dorso incumbit infans, quia molle infantis abdomen non multum resistere potest manui introducendæ, ut pedes quærantur; nam infans sic positus necessariò debet inverti, & pedibus arreptis extrahi, ut docui *Cap.* 42. *Pag.* 184. & demonstravi *Figura* 28. *Pag.* 186.

Verum, si infans resupinus ponitur, idest, ejus dorsum inferiora spectat, tunc difficilè est talem infantem invertere, & pedibus extrahere, imò multò difficilius & operosius, quia dorsum latum est & durum, nec facilè cedit introductæ magistri manui, vel se sursum protrudi patitur, præterea sic impeditur via, quò minus pedes prehendi possint, ut factu satis sit difficile, imprimis si jam dudum defluxerint aquæ, tamen nulla propior via est, nulla melior methodus, infantem invertendi & pedibus protrahendi, ea, quam docui *Cap.* 23. & demonstravi *Figura* 29.

Si difficile sit, infantem invertere, qui prædicto modo transversim pelvi incumbit, duplò vel triplò difficilius est, si secundo modo transversim pelvi incumbat; nempè parte inferiori corporis in prominula abdominis parte posita, parte verò superiori & capite accumbentibus vertebris lumborum, imprimis si mulier cavos admodum habeat lumbos, & uterum valdè demissum gerat, si infans sic positus pronus ventri incumbat, inversio multò facilius, vel potiùs minori labore & dolore fieri potest, nec tantum est periculum moriendi, non enixo fœtu, quam si resupinus jaceret, & in initio, jam jam

defluxis, vel adhuc fluentibus aquis, nullo modo tam difficile est factu, quam aquis penitus evacuatis: quo enim diutius exspectetur, eò majori difficultate fieri potest, & tandem penitus peragi nequit, nec manibus, imo nullis instrumentis.

Forsan quis cogitabit, me hanc posituram nimis difficilem proponere, non capiens, quare talis positura omnium difficillima sit, sed si consideret semel veram rationem difficilis inversionis talis infantis, mecum fateri debebit, assertum hoc omnimodè verum esse: & ut hoc benè percipiatur, primò requiritur justa idea pelvis, cujus ossa ita sunt connexa & ordinata, ut manus & brachium per ejus hiatum introducta recta linea pergant versus umbilicum ventris, & rectè locatus uterus eundem fermè situm habet, & ideò facili negotio manum & brachium in illo possumus movere & operari, & brachium nunquam fortiter ossibus apprimitur; sed si uterus hinc suo fundo descendat, vel deorsum prematur in propendulum abdomen, tunc manus nunquam ad fundum uteri pervenire potest, quia nimis brevis est manus, & rigidum brachium, quia nulla est junctura media inter manum & cubiti flexuram: quantumcumque conatus sum talem posituram vestro exhibere conspectui, tamen hactenus mihi non potui satisfacere.

Ut tamen lectori aliqualis saltem hujus rei idea exhibeatur, ambas has, licet satis rudes, figuras intuere sis, quarum una uterum rectè, altera hoc modo oblique locatum exhibet.

Prima Figura exhibet uterum suo apice pelvi directè imminentem, AA designat pelvim, BB uterum, C manum & brachium recta linea versus uteri fundum porrectum, unusquisque facilè percipiet, quod manus & brachium

sic

ſic utero immiſſa ſatis ſpatii habeant, ut quaquavorſum verſus omnem uteri partem poſſint flecti & rotari, ad infantem licet reſupinum dorſo injacentem invertendum. verum quidem eſt, hanc poſituram viam quammaximè impedire, & difficillimum ad pedes inveſtigandos aditum facere; verumtamen fieri poteſt, licet non ſine moleſtia obſtetricantis, & dolore patientis.

Sed longè aliter ſe habet res in *Secunda Figura*, quæ nobis longè aliter poſitum uterum exhibet: nempe uterum, recta antrorſum deorſum in propendulo abdomine locatum. AA deſignat pelvim BB uterum & C brachium.

Animadverte Lector, quod primo hujus figuræ intuitu ſtatim cogitabis, uterum ſuo fundo in dextro abdominis latere locatum eſſe, non potui melius oculis hunc ſitum exhibere, & ideò debes mente concipere uteri fundum in propendulo abdomine ſitum: alias non benè hujus poſituræ diſcrimen percipere poteris. Nam quando uterus ſolummodo in alterutro latere ponitur, licet adeò obliquè ac hîc exhibetur, duplò tamen minus diſcrimen eſt. quam ſi rectâ antrorſum in propendulo abdomine ponatur: quia pelvis ad latera maximam habet amplitudinem, quare brachium verſus utrumque latus ad maximam diſtantiam poteſt moveri, ſed recta antrorſum inter eminentiam oſſis ſacri, & oſſa pubis, nullo modo tantum datur ſpatium, imò ſæpè adeò anguſta eſt via, ut brachium ſtatim undique compreſſum hæreat, nec diu remanere poſſit, quin admodum ſtupeſcat & doleat; imo ſemel mihi contigit invenire tam parvam diſtantiam inter eminentiam oſſis ſacri & oſſa pubis in quadam muliere, ut ne manus quidem poſſet tranſire, multò minus caput infantis, proinde manus & brachium non poterant introduci

duci, nisi ad latera eminentis curvaturæ ultimarum v rtebrarum lumborum & ossis sacri.

Sed si feliciori casu pelvis satis lata sit, per quam manus & brachium facilè transire possint, ut in *Figura secunda* exhibetur, quæritur, qua via vel methodo manus fundum uteri attingere poterit? ibi enim locantur infantis pedes, & his non prehensis, penitus impossibile est, infantem invertere & extrahere.

Supposuimus, infantem dorso incumbere, & consequenter pedes recta sursum porriguntur, vel retrorsum flexi natibus infantis accumbunt: si recta sursum porrecti sunt, fundo uteri adjacent, & ibi investigari debent. Repeto igitur: quomodo manus vel brachium huc pervenire possunt? impossibile est, nam brachium in sui medio junctura caret, nec inflecti potest, parùm quidem potest moveri vel rotari, sed nullo modo uteri fundum attingere potest, ut ibi loci pedes infantis posset prehendere, nam firmiter undiquè appressum hæret brachium, imo ne quidem dimidiam potest perficere viam.

Forsan dices, brachium non debet ad illam altitudinem introduci, sed manu inferius juxta dorsi longitudinem illapsa pedes investigandi sunt; qui forsan natibus accumbent. Detur pedes ibi locatos esse, iterum rogo, quomodò huc pervenimus? æquè impossibile hoc est quam præcedenti modo, si enim inferius secundum infantis dorsum immissa manu coneris attingere nates vel pedes infantis, tunc adhuc majora dantur obstacula, non enim plus purgere possumus, quam patitur manus longitudo, quæ licet duplò major foret, non sufficeret attingere nates & pedes, & brachium manum immissam sequi non potest, nam ibi loci flecti nequit, nec spatium datur, ut obliquo situi inserviens manum sequatur.

Præ-

Prætereà alia adhuc ſupereſt difficultas, de qua ſtatim non cogitatur, nempe, quando conamur manum ſecundum dorſum infantis immittere, debet illa verſus corpus magiſtri inflecti, nempe inter oſſa pubis & dorſum infantis, & dum hoc fit, perversè illabitur manus, nempe condyli digitorum ſecundum dorſum infantis feruntur, & conſequenter nec digiti nec pollex ullam partem infantis arripere, prehendere, nec firmiter retinere poſſunt, ſi vero volam manus ſecundum dorſi longitudinem immittas, ſtatim preſſa fixa ſedet manus, tunc enim retrorſum flecti debet, & ſic ne quidem tertiam vel quartam partem longitudinis perficere poteſt, quæ requiritur, ut pedes attingeret. imò verbo dicam, res manet impoſſibilis, & mulier liberari nullo modo poteſt.

Quæret quis forſan; an ergo talis mulier deſperata ſit relinquenda, & certæ morti tradenda? an vero aliquid adhuc tentari poſſet, ut ſervetur mulier? reſpondeo, ſi mulier jam aliquot diebus parturierit, ſi penitus defluxerint aquæ, & valida febri laboret mulier, & labaſcant vires, in tali caſu conſulerem, ut quietæ traderetur morti; ſed ſi utcumque adhuc conſtent vires, in tali caſu ſuaderem rem hac via tentari: nempe petita & impetrata venia infantem tractandi ut mortuum, ſpe ſervandi matrem, hæc proxima & unica via eſt, quantum hactenus videre potui, nempe manu inferius immiſsa tam altè, quam fieri poteſt, ut ſecunda figura exhibet, infantis caput inveſtigari debet, pollex vel digiti ori immitti debent, ſic mento prehendi, & caput ſic verſus inferiora debet protrahi, quantum fieri poteſt, hoc facto, poteſt fortis uncus capiti infigi, & hoc modo caput fixum retineri: capite unco affixo ſic una manu firmato, & leniter deorſum tracto, debemus altera manu dorſo impa-

cta infantem versus oppositum latus sursum protrudere, ut spatium fiat capiti deorsum trahendo, simul partem superiorem corporis infantis sensim invertendo, donec tandem caput inferiora spectet, & sic uteri orificio imponatur: hoc facto possumus partem superiorem corporis mulieris in situm admodum declivem ponere, & curare ut abdomen a duobus robustis hominibus linteo sursum trahatur, sive elevetur, & tunc conemur infantem protrahere, & magna spes est, hoc modo mulierem liberandi & servandi. In omnibus aliis casibus obliquè positi uteri consului, & adhuc consulo, ut pedes investigentur, & infans pedibus prehensus invertatur & extrahatur; sed quoniam in hac obliqua uteri positura impossibile est pedes attingere, nil aliud supereſt, nisi ut caput dicta methodo deorsum ducatur, & sic extrahatur, quantum fieri potest, commodissimè, quæ sanè operatio ardua & difficilis admodum est, nec nisi dexterrima manu perfici potest: tamen ut mulier servetur, extrema tentanda sunt, & in hac operatione peritus magister cavere sibi debet, ne mulierem lædat, vel aliquid damni inferat.

Hujusmodi summoperè obliquæ posituræ uteri & infantis nondum mihi penitus innotuerant, quando prima vice editus fuit hic liber, & ideo non satis firmus de his differere potuissem; sed postea mense decembri anni 1700. vocatus fui Hagam Comitum in vico vulgo dicta *het Speuy*, ubi parturiebat mulier quædam: manu immissa sentiebam, infantis resupinè transversim pelvi incumbentis manum dextram extra uteri orificium pendulam, & totam posteriorem corporis partem positam in fundo uteri, qui antrorsum in propendulo abdomine locabatur, caput infantis accumbebat vertebris lumborum mulieris, mento validè pectori appresso, sinistra manus capiti incumbebat, sic

omnis

omnis aditus intercludebatur. Conabar tam magnum parare ſpatium, quantum requirebatur, ut pedes attingere poſſem, ſed hoc impoſſibile eſſe experiebar ob cauſas anteà dictas: magno molimine tandem eò uſque perveni, ut caput attingerem, pollicem immittebam ori, & ſentiebam, quod infans morderet illum, & conſequenter adhuc viveret, quarè impium reputabam vivum infantem periculo mortis exponere, quoniam mulieri omninò adhuc conſtabant vires, & adhuc aliquale inveniens ſpatium, ſperabam hac vel illa methodo infantem ſervare.

Verum parturiens mulier minori animi religione ſe ipſam curans & infantem, quam ego, dicebat apertis verbis, ſe nihil amplius tolerare velle, ut liberaretur, ſed malle mori, quoniam jam quinque annis mortem optaverat: hoc exterrebat me, & omnes mulieres præſentes, quæ hoc propoſitum ipſius animo excutere conabantur, ſed incaſſum, mulieres ob deſperatum adeò propoſitum indignatæ omnes receſſerunt, & me ſolum cum illa reliquerunt: illa ſurgebat, & ſedile arripiens foco aſſedit, quod & ego feci, cupidus audiendi cauſam deſperati adeò conſilii: narrabat mihi, ſibi maritum eſſe, qui illam multis implicaverat ærumnis, & quod ſæpius mortem optaſſet, ut ab illo libera eſſet, &, quum nunc hæc ad mortem pateret via, mallet unà cum fœtu mori, quam aliquid perpeti, ut liberaretur, &, licet illam monitis ab hoc propoſito deducere conarer, tamen immota manſit, & paucis poſt diebus moriebatur, recluſo manente fœtu.

CAPUT III.

Exemplum infantis alio modo transversim pelvi incumbentis in utero obliquè posito.

Die vigesima Octobris 1713. vocatus fui Roterodamum ad mulierem, quintum jam parturiendo agentem diem, & valida febri & deliriis admodum debilitatam; ubi etiam offendebam similem obliquam posituram resupini infantis, & uterum suo fundo locatum in propendulo abdomine: attamen magis vergentem in dextrum latus, infans quidem dorso incumbebat, sed parum inversus, ita ut humerus sinister proximè adjaceret uteri orificio.

Antequam tactu explorabam hanc mulierem, rogabam obstetricem, quæ jam aliquot diebus mulieri adfuerat, quomodo positus esset infans, & quæ partes prodirent: respondebat infantem natibus prodire, & semper sic immotum mansisse; hoc audito, statim bonam subitæ liberationis spem esse affirmabam, dicens, si infans natibus prodeat, nulla erit difficultas liberandi mulierem; sed opus aggrediens subitò mirabar, me statim sentire sinistrum humerum prodire, & immediatè posteà dorsum & etiam dextrum humerum posse attingere, ita ut infans resupinus sinistro humero magis declivi, dextro verò humero magis elato jaceret, & dextram immittens secundum dorsum infantis recta sursum, attingebam ejus cervicem & collum, manum adhuc altius immittebam usque ad caput infantis, quod parum inversum facie dextrum latus spectabat, mento validè pectori appresso.

Ul-

Ulterius pertentabam, an in parte uteri ſiniſtra, nempe an in utero verſus ſiniſtrum abdominis latus, aliquid ſpatii ſupereſſet : ſed experiebar, me non niſi magno labore poſſe immittere manum inter humerum, cervicem, & caput infantis, & uterum, qui validè his infantis partibus appreſſus erat, ita ut in hoc latere nil ſpatii amplius ſupereſſet, & nil ibi tentari poſſet, ut mutaretur perverſus infantis ſitus.

Hunc locum igitur relinquens, neceſſarium duxi accuratè inveſtigare perverſam uteri poſituram, & hunc in finem, immittebam ſiniſtram manum, quam porrigebam tranſverſim infra dorſum infantis, & poſteà ſurſum, ibi loci manus & digitos verſus me ipſum inflectens poteram caput & pectus ſatis pertentare, ſed nullo fructu poteram operari, quoniam ne minimum vacuum ſpatium ibi invenire poteram, caput enim una cum mento firmiter apprimebatur pectori, & uterus ambobus his tam valida preſſione circumſtringebatur, ut non niſi maximo nixu, imò ne quidem ſine dolore vel unum digitum poſſem erigere, vel erectum digitum ibi poſſem contrahere ſive inflectere.

Omnes tamen intendebam vires, ut altius manu pervenirem, ſed fruſtra, quoniam uteri parti laterali manum impingebam; dico me attigiſſe uteri partem lateralem, quæ, loco quod poneretur in ſiniſtro abdominis latere, tunc directè ſuperiora ſpectabat, quare firmiter poteram concludere, quod uterus ſuo fundo in dextro abdominis latere deberet poni.

Ut hac de re certior fierem, manu ſiniſtra abdomen exterius pertentabam, & ſimul dextram manum utero immiſſam, quantum poteram, verſus dextrum abdominis latus porrigebam; & ſic penitus certa apparebat rara

hæc & admodum obliqua uteri positura, cujus fundus penitus descenderat in prominulum abdomen, nempe in dextrum abdominis latus, in quo dextro prominuli abdominis latere infans tota posteriori corporis parte, hoc est, suis natibus & cruribus delapsus & compressus hærebat, unde duæ maximæ fluebant impossibilitates.

Prima impossibilitas erat, quod in hac rara & perversa uteri & infantis positura nulli labores, quamtumvis validi forent, vel jam fuissent, prodesse possent, ut infans exprimeretur per uteri orificium, quoniam solummodò infantem validius in propendulum abdomen deprimerent, nil aliud exprimentes nisi humores, qui necessariò hic remanere debebant, sicque plus damni quam emolumenti afferentes.

Altera impossibilitas, quæ necessariò inde sequebatur, erat, quod, diuturnis laboribus, & validissima depressione fundi uteri, & deflexu omnis requisiti humoris, absolutè impossibile esset, manum vel brachium tam profundè in uteri fundum introducere, ut partes posteriores infantis, nempe nates, crura vel pedes possint attingi, quod nisi fiat, in tali casu infans inverti non potest, & consequenter nec prodire, nec extrahi, quod in initio laborum fieri adhuc potuisset, quamdiu aquæ uterum dilatatum & expansum retinebant, & dum fundus uteri una cum partibus posterioribus infantis nondum tam profundè descenderant in lateralem abdominis partem, nec adeò comprimebantur, & consequenter, quum adhuc majus esset spatium, ut eò pertingere posses, & necessaria adhibere manus auxilia.

Quam maximè mihi cordi erat, miseram hanc mulierem servare, & quoniam infans non tantum mortuus erat, sed jam summoperè putrescebat, illius nullam tenebar

bar habere curam, & ſentiens brachia infantis mihi viam admodum impeditam facere, illa circumtorquendo abrupi, ſed licet ſic paulò majus ſpatium acquirerem, tamen minimè ſufficiebat, ut ad partes inferiores infantis pertingere potuiſſem; nihil ergo tunc ſupererat, niſi ut tentarem, an caput deorſum duci poſſet methodo ante dicta, ſed valida oborta convulſio adeò firmiter ſtringebat os uteri, & omnes partes adeò contrahebat, ut coactus fuerim ab opere deſiſtere, illa ſic agonizans remanſit, donec poſtridie circa meridiem animam efflaret.

Ex animo ſanè deſiderabam, aperto cadavere hujus mulieris Domino *W: Vinck* Medicinæ Doctori & prælectori, qui operationi adfuerat, demonſtrare raram hanc & perverſam poſituram uteri & infantis, ut aliis prodeſſet, ſed, quantumvis obnixè hoc peteretur, maritus nolebat concedere.

Bini hi caſus ſunt omnium difficillimi, qui mihi unquam in praxi occurrerunt, licet artem obſtetricandi jam quadraginta annis exercuerim.

Neſcio, an poſt evidentes adeò demonſtrationes, aliquis, niſi ſummopere pertinax, antiquam adhuc velit tueri ſententiam, vel in dubium revocare ejuſmodi uteri poſituras perverſas, & difficiles partus inde ſequentes, quos per totum meum librum inde deduxi. Quis etiam non videt, quod illi, qui neſciverunt, uterum tam multipliciter loco variari poſſe, nunquam rectè concipere potuerint tales difficiles partus, ergo neque benè deſcribere noverint, & in liberandis mulieribus incerta planè & vaga methodo fuerint uſi.

Antequam dorſo incumbentes fœtus dimittam, neceſſarium duxi aliquid adhuc addere de infante, qui reſupinus vertice ſuo oſſa pubis tangit, imo ſæpè ſuper hæc

oſſa

ossa delabitur, quæ de hac re dicenda sunt, imprimis ad obstetrices pertinent, quæ sua ignorantia sæpe occidunt infantes, imò sæpè matrem una cum fœtu, quamobrem rogo, ut sequentia attento ponderare animo & religiosè exequi velint. Quando fundus uteri satis planus accumbit dorso mulieris, & præsertim in illis, quibus cavi admodum sunt lumbi, tunc caput infantis resupini nullo ferè negotio supra ossa pubis delabitur, nisi obstetrix tempestivè hoc impediat, caput versus oppositam partem vertendo, & quantocyus uteri orificio imponendo, quod facere debet integris adhuc membranis, vel immediatè post illarum rupturam.

Integris adhuc membranis potest quidem (si perita sit & sedulo operam navet) sentire, an vertex, an vero occiput uteri orificio accumbat, vertex enim rotundam acuminatam parum figuram habet, occiput vero oblongum magis & planius est, vertex habet apertam plagam, tactui cedentem, occiput verò durum est & osseum. quando jam sentit, non verticem, sed occiput uteri orificio accumbere, non debet quieta cunctari, sed continuò vigilare & operari: nempe debet exterius & interius laborare: exterius debet una manu supra ossa pubis in singulis spasmis caput infantis retinere & deorsum premere, & interius debet cessante jam spasmo caput ab ossibus pubis abducere, & sic locum facere vertici, & in hoc opere debet persistere, donec vertex recta immineat uteri orificio, & huc usque non debet suadere mulieri, ut labores validè urgeat, nam quo fortius deprimit, eò citius caput supra ossa pubis delabitur, quod cum semel huc delapsum est, tunc extra ejus potestatem est, verticem uteri orificio imponere, & dum hoc non potest facere; actum est de matre & infante, hoc enim modo

mu-

mulier liberari nequit, membranæ quidem rumpentur & aquæ defluent, ſed caput fixum ibi hæret tranſverſim pelvi incumbens.

Si prima occaſio neglecta ſit, nempe ſi vertex infantis nondum ruptis membranis ſupra oſſa pubis delapſus ſit, & rumpantur membranæ, ſtatim indefeſſo labore debet inniti, ut caput retroducat, & verticem uteri orificio imponat, ut ſic deſcendere poſſit, quod neceſſariò fieri debet, aliter enim unà cum fœtu perit mater, vel artificioſa periti magiſtri manus infantem vivum vel mortuum inde extrahere debet, dico vivum, vel mortuum, quo citius eo melius, præſtat enim, dum aliter fieri nequit, infantem mori, & matrem ſervari, quam ut mater unà cum fœtu certæ tradatur morti, quæ, niſi tempeſtivè ſuccurratur, certò ſequetur.

Non poſſum ſatis mirari craſſam ignorantiam plurimarum obſtetricum, quæ pluribus diebus quietè aſſident tali mulieri, ſi roget maritus, conſanguinei, vel medicus, quomodo prodit infans? quænam pars ſe offert? reſpondent optimè, caput orificio uteri imminet, ſed ibi remanet, deſunt labores, vel nil promòvent, patienter exſpectare debemus, donec Deo placeat finem imponere, quandò labores fortius urgebunt! O inexcuſabilis ignorantia! O ſtupida imprudentia! in tali poſitura, quam manu & digitis poſſumus explorare, & quam quadrante horæ & citius cognoſcere poſſumus, quam tamen ignara, & erroribus adeò inveterata obſtetrix tota ſua vita ignorat: petit urgentia, ſive labores incitantia remedia, ut ſic infans exprimatur, non conſiderans, an proſint an verò noceant labores; quid enim boni præſtare poſſunt, quamdiu caput infantis ſic fixum hæret? ſic magis & magis apprimunt, & neque illa, neque medicus, percipiunt,

piunt, ſe unita opera imo totis viribus mulierem perdere, dum illam perverſa tentant liberare methodo; loco quod prudentioris auxilium invocarent, qui mulierem artificioſa manu expedire poſſet: conſanguinei & vicinæ medico & obſtetrici confidunt: Medicus præſcribit ex narratis obſtetricis; obſtetrix vero vel ignara eſt, vel ſuperba: ignara, dum neſcit utrum infans ſic poſitus prodire poſſet, an verò non; in hoc verò ſuperba eſt, quod ſuam tegat ignorantiam, & ſic unà cum fœtu perit mater, vel imperitia vel ſuperbia obſtetricis.

Conſanguinei quidem deplorant jacturam, quis vero cogitat matrem & fœtum negligentia periiſſe? quis inquirit veram hujus cladis cauſam? quis ſtudet hoc præcavere, quis reſiſtere conatur lethali adeò malo, ſic ſucceſſivis hæc res procedit annis, nullus hanc rem curat, nec crimen videtur tolerare, ut moriantur homines, qui ſervari poſſent; quia jam mos invaluit ſic faciendi, & hæc videndi, ne minimus quidem ſcrupulus incidit, an non aliter fieri potuiſſet.

Quod vulgus hominum in hac ignorantia & cæcitate hæreat, excuſari poteſt, ſed literatores homines, nempe doctores, magiſtratus &c. hæc non curare, omnem ſuperat captum: jam ab anno 1701. liber hic lucem vidit, in quo veteres errores adeò manifeſtè demonſtravi, uti & imperitiam ferè omnium obſtetricum, quibus revera imputari poſſunt tot honeſtarum matronarum clades, quis verò credidit? quis rei veritatem indagavit? res manſit hactenus in priſtino ſtatu.

Hæc calamitas æquè divites premit ac pauperes matronas, quæ enim imperitæ ſunt apud has, ſunt & tales apud illas, & ſanè divites æquè negliguntur, quam pauperes: quomodo ergo non aperiuntur oculi, ſaltem

ut

ut res examinetur ? nonne ſatis clarè & manifeſtè decripſi , ut quivis intelligere poſſet ? In commune bonum offero me ipſum omnibus magiſtratibus , qui hanc rem publicæ utilitatis amore cupiunt examinare , offero me ipſum , inquam , ut in præſentia clariſſimi magiſtratus coram tot Medicinæ Doctoribus , quot ipſi placebit advocare , evidentes adeò & manifeſtas faciam hujus rei demonſtrationes , & quidem adeò dilucidas , ut ampliſſimus magiſtratus ipſe facilè percipere poterit.

Concedite mihi , illuſtriſſimi patriæ & urbium rectores , ut a vobis illa , qua par eſt , reverentia petere mihi liceat , cur jubeatis inſpici cadavera defunctorum , quando juſta incidit ſuſpicio , illos violenta morte periiſſe ? veroſimiliter reſpondebitur , quod hoc fiat , ut rei punirentur ; fateor , laude dignum eſſe inſtitutum. Verum ſi ſingulis annis , in omnibus populoſis urbibus , multò plures pereant mulieres negligentia vel ignorantia obſtetricum , quam ſcelerata manu trucidentur , an non meritò hujus rei examen & inſpectio inſtitui debet ? primò ut ſciatur , an obſtetrix non occiderit infantem , ſecundo , an mulier unà cum fœtu non perierit obſtetricis incuria ? ut talis infantis clades vel negligentia puniri poſſet , ſaltem tales obſtetrices pro tempore vel ſemper munere abdicando , dum interim magis peritæ illarum locum ſupplerent.

Si roget quis , an ſemper poſſibile ſit , ut ex inſpectione cadaveris mulieris defunctæ ſcire poſſimus , an mulier cum infante incuria obſtetricis perierit ? reſpondeo , omninò , ſemper hoc poſſibile eſſe talibus , qui clarè percipiunt artem liberandi mulieres , & his æquè facilè & certum eſſe de hac re judicare , quam diſcernere , an vulnus inflictum lethale ſit , an non : & certus ſum , quod

tali examine inſtituto comperiremus, quod, ſi non omnes, ſaltem pleræque mulieres, quæ in partu non enixo fœtu ſunt mortuæ, rudi obſtetricis manu vel incuria perierint: nonne igitur triſte eſt, imò dolendum, nefariæ tali infantum cladi non invigilari, & fidelia monita contemni.

Forſan quidam medici dicent, hac inſpectione non accuratè poſſe hîc judicari, an infans ab obſtetrice ſit occiſus, an vero mulier culpata obſtetricis ignorantia perierit non excluſo fœtu; ſe non ſatis idoneos reputantes, qui firmi de hac re judicare poſſent, & forſan magiſtratui, quem ad hanc rem inſtigare debebant, hanc inſpectionem diſſuadebunt. contrarium affirmo, & factis probare paratus ſum, & tam evidenter demonſtrare, ut quivis ex magiſtratibus, imò vel faber lignarius, hoc capere poſſit.

Multi adhuc ſunt medici, qui perverſis his uteri poſituris in quibuſdam mulieribus fidem non habent, quia primus illas deſcripſi, ſed ſi cadavera inſpiciendo hanc rem examinaremus, fide non indigerent, propriis enim intueri oculis & manibus palpare poſſent, & qui convinci de hac re cupiunt, adſint mihi mulierem liberanti, & faciam, ut manu exterius corpori impoſita perverſam hanc poſituram ſentiant, ut non amplius eſſent incredduli, & certi forent, me vera ſcripſiſſe: & ſi hanc rem æquè certò ſciam, ac novi diem eſſe, quando ſolem video ſplendentem, ergo tales medici hanc rem ignorant, quam tamen callere debebant; & ſi obſtetrices hanc rem neſciant, etiam ſui muneris ſunt ignaræ: quid ergo agitis, medici, quando ex narratis impetitarum adeò obſtetricum præſcribitis medicamenta? iterum rogo, quid agitis confiſi dictis ſtupidarum adeò mulierum, navem

vado

vado impingitis, & matrem unà cum fœtu perditis, cum, si benè cognoscerctis verum rerum statum, sola animi religio vos a talibus abhorrere faceret: his dictis nemini notam inurere volo, sed ex amore & fide, quam debeo omnibus & reipublicæ, loquor, veluti sperarem & alios mihi locuturos, ut me meliora docerent, nihil enim humani a me alienum puto, nec ætas meliora discere prohibet: & puto, fidelia hæc monita recipi debere, quoniam neminem nisi jure meritò arguo. Si suspecta essent obstetricum facta, & examinarentur, quanti detegerentur errores, & quomodo obstupesceremus videntes nefandas adeò matrum & fœtuum torturas: hæc vivi infantis arrepta brachia tanta vi protrahit, ut pollicem intra humerum & brachium facile immitteres, sic gangræna infantem, & illo depasto, matrem corripit: illa vivi infantis caput perterebrat; & cerebrum eximit, ut sic extraheret infantem, hoc facto, absque petita venia mulieris vel mariti, sanguine diffluentem mulierem, & infantem in utero putrescentem relinquit, unde fætor oritur intolerabilis, qui uterum inflammat, & matrem necat; & quid miri, illas tali modo agere? omnia licent, nullus facti rationem expetit, nemo facta examinat; omnia clanculum fiunt, & tecta manent. Custodes enim dormiunt, & medicus putat se præscribendo satis feciſſe, nec magistratus in hæc ulterius inquirit, mortua oblivioni traditur, & hoc sufficit, sed tristis marite!; & deplorandi liberi! quorum hic uxorem, illi matrem perdunt, sic una alteram sequitur per tot annos, sic exponitur charissimorum pignorum vita nullo pretio redimenda: an oportet igitur talia crimina excusare, quia clanculum fiunt? vivos infantes tam malè mulctare & occidere, & sic unà matrem cum fœtu perdere, an non hæc

nefanda ſunt? num quid hæc inſpectionem expoſtulant? nonne talia crimina pœnam merentur?

Non ita dudum in pago, vulgo dicto *Wilſveen*, ruſticam mulierem, vix ſemihorulæ ſpatio, liberavi ab infante jam mortuo, qui teſtantibus parturiente & omnibus adſtantibus, pridie adhuc vixerat, & qui, dum nullo inſtrumento uſus manibus extrahebam, horrendum putridi cadaveris ſpirabat fœtorem: vera hujus rei ratio erat, quod quædam obſtetrix, ut mihi narrabatur, laqueum brachio infantis affixum a duabus robuſtis mulieribus protrahi juſſerit, donec brachium de corpore lacerum tenui tantum pelliculæ adhæreſceret, & ſic mulierem reliquit, ut pote nullo modo liberandam: quinam errores nunc ulterius in hac tortura commiſſi fuerint, certus dicere neſcio, ut pote hîc tantum narrata proferens: ſed hoc novi, quod, cum tactu explorarem parturientem mulierem, invenerim bina brachia extra uterum pendula, & quod unum infantis brachium tenui tantum pelliculæ adhæreſceret ad diſtantiam circiter ſex pollicum ab humero, unde omnibus vaſis ſanguineis & nervis laceris & diſruptis, non potuit fieri, quin totus infans debuerit gangræna affici, uti expertus ſum, infans enim inverſus & nulla vi pedibus extractus a capite uſque ad calcem horrenda gangræna correptus erat, quin imo gangræna eò uſque jam penetraverat, ut non modo funis umbilicalis, ſed & totæ ſecondinæ gangræna, vel potuis ſphacelo jam contabuiſſent, quibus jam cadaveroſus & plumbeus color erat, unde concludebam uterum ipſum jam gangræna affici, & mulierem in mortis diſcrimine verſari, quæ paucis poſteà diebus fuit mortua.

Et ſi talia, quantumvis punienda, crimina inulta tolerentur, patiemini, ſpero, me hæc fideliter detegere & de-

demonſtrare, non hac intentione, ut aliquem incuſem, ſed ſi forſan alicui bono poſſet inſervire, ſi forſan quidam, quorum munus & ordo expoſtulat, evigilarent, & in hac re unita opera communi utilitati incumberent, & hæc conſilia auſcultarent: ſi hoc fiat, Deo gratias reddam: ſi non, innocens ero coram Deo, non enim tacui, ſed pericula detexi & demonſtravi, & animum hoc onere levavi, reliqua Deo commendo, qui ſcrutatur corda, & cui unuſquiſque rationem factorum & neglectorum reddet.

Forſan deſiderabitis noviſſe, quomodo inſpecto cadavere videri poterit, an parturiens mulier fœtu retento mortua, naturali occubuerit morte, an verò perierit obſtetricis incuria. Ut pateat ergo, non ſine fundamento hæc dicta fuiſſe, quoniam forſan primus ſum, qui talia propono, quæ primo intuitu admodum paradoxa apparebunt: lubens hinc deſiderio ſatisfaciam, ſed antequam eò perveniam, prius integrè abſolvam, quæ adhuc ſuperſunt dicenda de partubus difficilibus, tunc accedam ad lapidem lydium & clypeum obſtetricum, & ſimul ibi loci clariſſimorum medicorum uti & mei ipſius officium commemorabo, tandem dicam de inſpectione, & demonſtrabo, quomodo ſciri poſſit, an mulier retento fœtu morte naturali perierit, an non.

MIRABILIS CASUS.

Vigeſimo ſeptimo capite pag. 112. docui, quænam ſint timenda incommoda, quando pelvis muliebris nimis ampla eſt, & quid agere debeat obſtetrix, ut in tali caſu imminentia mala, & infauſtos inde forſan orituros eventus, præcaveat: illis, quæ in hoc capite dicta ſunt, nihil addendum habeo, ſed ad hanc rem confirmandam tan-

tantum enarrabo casum admodum singularem, qualis huc usque nunquam mihi contigerat.

Vocabar aliquando parum extra Hagam-Comitum in via, quæ ducit ad molam, *fatuam* vulgo dictam, ibi parturiebat mulier, ubi triste vidi spectaculum, caput infantis ad humeros usque extra pudenda matris eminebat, & tamen solus vertex nudus prominebat, tribus circiter quartis capitis partibus in utero adhuc latentibus, ita ut uterus una cum infantis capite ad humeros usque extra pudenda propenderet, obstetrix, non sine causa, admodum angebatur, nec ullo expedire poterat modo. liberabam mulierem, & fateor, me plus difficultatis invenisse, quam in initio credideram, quoniam infantem non audebam protrahere, quin timerem, ne uterum totum unà cum fœtu extraherem.

Ex hoc exemplo obstetrices videre possunt, quam necessarium sit ipsis, ut observent doctrinam meam 27. capite propositam, ne hoc modo improvisæ obruantur cum infantis & matris damno, quando non firmant & retinent uteri orificium, uti docui in capite anteà citato.

CA-

CAPUT IV.

De partu difficili orto ex defectu laborum, vel vitio laborum tergiversantium sive spuriorum.

Pertractatis partubus difficilibus, coronidis loco, quædam dicam de laboribus spuriis, qui vocantur labores vagi vel tergiversantes.

Notum est, labores partui necessarios esse, naturales enim illi doloros, sive spasmi quibusdam dicti, infantem propellere debent: per dolores naturales sive debitos labores intelligimus *tales spontaneos motus, quibus abdominis musculi, & viscera abdominalia se contrahendo, validâ adeò pressione urgent & deprimunt uterum, quasi totus ex corpore foret exprimendus.* Et horum laborum ope, uteri orificium aquis dilatatur, fœtus ostio impellitur & expellitur, & hoc modo feliciter liberatur mulier, si nil intercurrat, quod partum impediat vel retardet.

Quandò verò accidit, ut penitus deficiant naturales hi labores (qui simillimi sunt illis, quos unusquisque experitur alvum deponendo, hoc tamen discrimine, hos magis urgere intestinum rectum, illos verò uterum) vel non sint satis validi, vel perversi, illis impeditur vel retardatur partus.

Veluti est *irritus alvum deponendi conatus* sive *tenesmus*; sic etiam, *spurii* sunt *labores* parturientium, qui vocantur *vagi* vel *tergiversantes labores*. mulieres tergiversantes hos labores habentes videntur certis perio-

dis validis laborare preſſionibus, ſed antequam ille teneſmus, ſive debita illa depreſſio fiat, ceſſant hi motus, & in ſpaſmodicum dolorem mutantur, quo correpta mulier laborare nequit: remedium tergiverſantes hos labores in genuinos mutans deſcripſi *Capite* XVIII.

His addam, in laboribus tergiverſantibus non danda eſſe medicamenta urgentia, his enim tantum augentur dolores, ſed e contra danda ſunt emollientia & anodyna, & tunc apparebit, dolores naturâ inſtigante ſatis ingeminari. hoc conſilium quidam medici riſerunt, ſapientes verò & periti grato receperunt animo: ſic ſanè in omnibus fit, juxta proverbium: *laudatur ab his culpatur ab illis*, & acquieſco his dictis experientia 30 & amplius annorum confirmatis.

Aliquando autem accidit, ut labores, qui in initio ſatis efficaces videbantur futuri, tamen poſteà multum minuantur, vel etiam penitus evaneſcant, & hoc plerumque, ſi non ſemper, fit neceſſarii auxilii penuriâ. Sæpè fit, quia infans ſuo capite vel humeris vel aliis partibus hæret immobilis, nec propellitur, unde natura quæſi tædioſa languet, uti alibi diximus, ideòque hic loci illud non ulterius extendemus.

Si tamen, ut fieri poteſt, *dolores minuantur & ceſſent*, infante benè verſo in utero rectè locato, conſulo, ut quieta relinquatur mulier, donec ſponte redeant labores, ſed ſi jam nimis promineat infans, quam ut ſic remaneret, tentari poteſt, an clyſtere injecto, ut anteâ docui, *labores poſſint incitari*, ſi hoc nil juvat, debemus periti medici auxilium implorare, verum obſtetrix prius accuratè debet perpendere, an manus auxilio nihil fieri poſſit vel debeat, ad levandum partum, & promovendum infantem, plerumque enim perita obſtetrix

vel

vel dexter magiſter plus exercitatis manibus valent ad promovendum partum, quam vel ſapiens medicus efficaciſſimis poteſt præſtare medicamentis.

Probè novi, efficacibus remediis partum admodum facilem reddi poſſe, ſed continua obſervatione expertus fui, vehementer ſtimulantia data mulieribus in hoc ſtatu ſæpè ſummoperè obfuiſſe: imo in hac ſum ſententia, quod multæ mulieres ſervatæ fuiſſent, ſi modo prudenter manibus fuiſſet laboratum, non propinatis labores urgentibus medicamentis, quæ uſu vel potius abuſu horum remediorum & ſimul debilitatibus ſuis perierunt.

Deo gratias ago, quod ab hoc abuſu multa internè dandi liber ſum, expertus, idoneæ manus auxilio ferè omnes mulieres cito & tutò poſſe liberari, modo vires ſufficiant, ut per breve tempus tolerent moleſtias neceſſariò adhibendas, ut liberentur: audacter provoco omnes fœminas, quas liberavi 28 vel 30 annorum ſpatio, reliquo tempore computato inter annos ignorantiæ meæ, juxta tritam methodum, & candidè dico, me neſcire, quod toto hoc tempore pluribus, quam 2 vel 3 mulieribus adfuerim, apud quas incaſſum laboravi, reliquas omnes liberavi feliciter minimo intervallo, & quidem ſine urgentibus vel labores incitantibus medicamentis datis, & plerumque etiam nullis adhibitis inſtrumentis, illis non utens, niſi, quum infantes in obliquatis uteris capite fortiſſimè oſſibus pelvis eſſent appreſſi, & matres nimis diuturnis laboribus fractæ eſſent, unde coactus fui hoc modo illarum finire tormenta, & ſubitò liberare, quem in finem etiam aliquando, rariſſimè tamen unum vel utrumque brachium circumtorquendo abrupi, quod tamen triginta annorum ſpatio, quantum dictat memoria, tantum bis vel ter feci, & quia ex eventu didici,

quam parum commodi hinc acceperim, non puto, me unquam hoc iterum facturum esse, ideoque consulo omnibus obstetricantibus, ut hoc omittant, quamvis enim non noceat mortuo infanti, nec mulieri dolorem creet, tamen res horrenda videtur adstantibus, qui ut factum crudelissimum proclamant. etiam nescio, me unquam laceraſſe vel læsisse alio modo mulierem, ita ut aliquid incommodi inde retinuerit, excepta unica, de qua postea dicam, & memini, me tantum semel vel bis sentivisse, pudenda nimis rigida & minus distractilia lacerata fuisse a capite infantis transeunte: imo, me conscio, nulla ex illis involuntariò urinæ stillicidio laboravit, nulla laboravit uteri procidentia, vel alio notabili incommodo, quamobrem iteratas Deo ago gratias.

Ideò consulo omnibus obstetricibus, ut quantum fieri possit, perita manu præcaveant, vel tollant omne id, quod partum retardare posset, ut sic subitam promoveaut liberationem, & experientur, sibi etiam Deo gratias agendi supereſſe causas, & se minori animi perturbatione efficaciora posse conferre fœminis auxilia, nec tam citò rem in angustiis poni, quam antè, dum nimis confidebant medicamentis labores urgentibus, nec perito satis artificio debitam præstabant mulieribus opem: quæ apprecans omnibus, quæ hæc a Deo expetunt, his finem imponam dicendis de partibus difficilibus transiturus ad *lapidem lydium & clypeum obstetricum*, & his pertractatis ad *inspectionem*.

CA-

CAPUT V.

Lapis Lydius & clypeus obſtetricum.

LApis Lydius adhibetur, ut aurum & argentum ab aliis diſtinguantur metallis: uti etiam, ut appareat, an aurum & argentum pura ſint, an verò aliis metallis miſta; ſic etiam ſequentia interrogata & reſponſa inſervire poterunt, ut benè diſtinguamus, an obſtetrix muneris ſui & artis gnara ſit, & obſervans, ut maritus & conſanguinei mulieris vel ipſi, vel medicus, quo ad hanc rem utuntur, tutò confidere poſſint factis obſtetricis, quam in auxilium advocarunt.

Sicut nunc hic lapis lydius quæſitis & reſponſis datis inſervire poteſt ſecuritati medici & amicorum parturientis mulieris, ita etiam veritati innixum reſponſum & fidelis enarratio obſtetricis, clypei munere fungi poterit, quo ſe defendat, & arceat omnes perverſas & maliguas accuſationes, quibus imperiti & malevoli homines partus difficilis culpam in obſtetricem conjicere conantur, quamvis minimè in cauſa ſit.

Æquitas poſtulat, ut ex æquo cum omnibus agatur, & nemo adeò prudenter & feliciter agit, quin malevorum hominum contumeliis ſit expoſitus, ideòque æquum & juſtum eſt, ut, quantum fieri poſſit, firma veritatis fundamenta ponantur, quibus benè agentes diſtingui poſſint a male agentibus, ut judicium, non ex amore vel odio, ſed ex re ipſa feratur.

Nemo ſanæ mentis negabit, *ſinceritatem & ingenuitatem*, quibus quis factorum rationem reddere paratus eſt, ſignum *candoris* eſſe: ſupponatis enim, obſtetricem non

esse præditam necessaria scientia & dexteritate, quæ requiruntur ad liberandam mulierem, si tamen candida est, voluntariè reddet factorum rationem, quandò hæc ab ipsa expetitur. Si ergò ipsi desit peritia, talis tamen sua ingenuitate demonstrat, bonam voluntatem sibi non deëesse, & ad meliora discenda paratam esse, ut posteà melius agat, vel opus, si suam superet industriam, peritiori tradat.

Sed quandò medicus, vel ipsa parturiens, aut aliquis consanguineorum ab obstetrice quærit parturientis mulieris conditionem, nempè, quomodo formentur aquæ, quis sit uteri situs, an infans ritè vel perversè ostio immineat, quodnam membrum se offerat &c. & obstetrix respondere respuit, vel æquivoco te conatur pacare responso, deest ipsi candor, & ignorantiam suam tegere conatur, nec ulla tibi suadet ratio, ut confidas ejus dexteritati vel fidei; si enim satis perita est, ut tactu partes oblatas satis dignoscere possit, & si illas bene cognoverit, quare veram rerum conditionem tegere conatur? quid damni indè ipsi eveniet, si rem, uti se habet, exponat, sed *latet anguis in herba*, novit se rerum conditionem non satis cognovisse, & ideò pudet ipsam ignorantiæ, nec audet dicere, *nescio*, illa enim, quæ cuperet haberi omnium gnara, se nesciam fateri non audet, & satis novit, quod, si dicat, infans capite prodit, pudore suffundetur, si posteà inveniatur non esse caput, sed humerum, vel cubitum: vel genu infantis. novit, quod, si dicat, infans natibus prodit, & postea appareat, illam non potuisse distinguere humerum a natibus infantis, rubore perfundetur, &, ut hoc evitet, tacet, vel æquivocum dat responsum, & mendaciis se tegere conatur, vel aliquando ferox quærenti dat responsum,

&

& iraſcitur; nunc cuique judicandum præbeo, quid de talis obſtetricis factis ſperandum ſit? qui ſe hujuſmodi obſtetrici volunt committere, faciant, per me licet, ego tamen meam uxorem, ſi haberem, nec filias huic periculo exponerem.

EXAMEN I.

Ut ergo rem aggrediamur, dico, primum, quod medicus, parturiens ipſa, vel conſanguinei obſtetricem rogare deberent, eſſe, quomodo formentur, vel jam formatæ ſint aquæ, an oblongæ & graciles, an breves & latæ, an breves & planæ formentur? quomodo ſe tactui offerant? ſi dicat obſtetrix, aquas graciles & oblongas tactui apparere, & inſtar tenuis inteſtini prominere, ſi hoc verum ſit, confidere potes certò, difficilem partum inſtare, caput enim infantis non rectè imminet oſtio, vel uterus obliquè ponitur, ſi enim caput ritè oſtio incumberet, & ſi uteri orificium directè immineret pelvi; aquæ breves & latæ, vel breves & planæ forent, non verò tenues & oblongæ: quod facilè concipi poteſt, caput enim infantis recta imminens oſtio & pelvis cavo, vertice ſuo uteri orificium perfectè occludit, veluti rotunda pila clauderet dolii orificium, & quidem in toto ambitu, quando tunc labores uterum urgent, tunc aquas deprimunt, & in ambitu capitis perpluere faciunt, unde aquæ hæ duplici munere funguntur, primò preſſione ſuâ os uteri dilatant, ſecundo membranas ſecundinarum extendunt & attenuant, unde neceſſe duo alia ſequuntur, primò caput ſenſim profundius deſcendere, ſecundo aquas continuo latiores & majores fieri, ſemper ad tactum rotundas referre orbicularem aperturæ uteri figuram,

ram, hoc ſingulis laboribus eò uſque contingit, donec membranæ adeò ſint attenuatæ, ut tandem ulteriorem extenſionem non patientes rumpantur, & incluſæ defluant aquæ, & tunc dicimus, *membranæ ſunt ruptæ.*

Si verò aquæ inſtar tenuis inteſtini deorſum, imo extra corpus promineant, evidens ſignum eſt, planè alio modo prodire infantem, vel uterum obliquè poſitum eſſe, dum enim vertex infantis non occludit totum ambitum orificii uteri, aquæ membranas premunt, & in quodam loco ad latus, alterutrum verſus inferiora protrudunt, ſic aquæ paulatim magis & magis per anguſtam hanc aperturam deſcendunt graciles adeò & longæ, ut farcimen inſtar inteſtini extra corpus promineat; unde neceſſariò hæc duo ſequuntur, primò, aquas ſic deſcendentes non ſatis ampliare uteri orificium; ſecundò infantem non deſcendere, ſed in eodem ſitu permanere. ſi obſtetrix dicat, aquas in brevem latam & orbicularem expandi figuram, & infantem vertice ſuo directè oſtio imminere, & felicem partum ſperare jubeat, tibi vera dixit, vel ſi dixerit, aquas graciles & tenues prominere & te monuerit, difficilem exſpectandum eſſe partum, munere perfuncta eſt, & ſi periculum cognovit; tenetur tibi dicere, non melius ac tutius proſpici poſſe infanti & matri, quam ſi ſtatim poſt ruptas membranas liberetur mulier, ſive adſint labores, ſive non, non enim hoc curare debemus in tali caſu, ſed artificiosâ manu infans debet extrahi. ſi te non moneat, munere ſuo non perfungitur, & matrem & fœtum periculo exponit, vel ignorantiâ vel pudore.

Si obſtetrix tibi periculum indicaverit, & neceſſitatem ſubitæ liberationis propoſuerit, animum exoneravit, & tibi videndum incumbit, an ipſi hoc opus committere velis,

velis, illi verò, an ſuſcipere audeat, ſi velit, fiat, ſi non, magis exercitatam advoca, periculum enim in mora eſt: ſi confidas obſtetrici, concedas ipſi horam unam, vel ad ſummum duas, ſi hoc tempore facere non poſſit, operis ignara eſt, talis enim liberatio tantum temporis non exigit, & fruſtra torquetur mulier, unde ſubitò aliam advoca, & mulierem in lecto quieſcere facias, ne vires fruſtra amittat, & refocilla illam cibo & potu, ut ab alia eò melius juvari poſſit, nec facias, ut ſolent plurimi, qui per unum, duos, tres, imo quatuor vel quinque dies exſpectant, matre & fœtu interim periclitantibus, ſi vero & matrem & fœtum ſervare optas, ne horulam quidem negligas, qui aliter ſuadent, errant, ſive hoc fiat ex deliberato conſilio ſive ex ignorantia.

Si vero obſtetrix veritatem dixerit, & veram rerum conditionem tibi indicaverit, illam in primo hoc examine repperiſti peritam, & licet ipſi omni jure nil metuenti, ut ſe defendat, clypeo veritatis uti, & dicere, enarravi verum ſtatum, periculum indicavi, & rectè conſului, ſi neglexerint, in illos, non in me culpa redundat.

Si vero tibi roganti periculum non indicaverit, ſed te vana ſpe lactaverit, & ſi hinc mulier ſerius liberata fuit, vel retento fœtu mortua, rea eſt cladis, vel ignorantia vel perfidia, nec digna tam gravi munere fungi, vel inter prudentes & fideles obſtetrices numerari.

EXAMEN II.

Alterum, quod jure merito ab obſtetrice rogari poteſt, eſt, *quomodo & quo loco ponatur uteri orificium?* & conſequenter, an uterus rectè an vero obliquè ſit poſitus? quem locum occupet ejus fundus? an uteri aper-

turam poſſit attingere, an verò non? an totam aperturam, an verò tantum ejus partem attingere poſſit, an hæc ponatur ad alterutrum pelvis latus, an accumbat vel incumbat oſſibus pubis? an vero verſus poſteriora propè os ſacrum reclinetur? an vero directè pelvis cavo immineat? an ſurſum retracta ſit, vel deorſum promineat? & quomodo formentur aquæ.

Forſan cogitabit quis vel dicet, tam multa unico quæſito comprehendis; reſpondeo: hic tantum unicum petitur, quod tempeſtivè cognitum neceſſariò requiritur, nec propriè loquendo aliud hic quæritur, quam ubi & quomodò poſitum ſit uteri orificium, & quomodò formentur aquæ? & ſi obſtetrix hæc non cognoſcat, qualem ergò habebit agendorum normam? ſimilis erit nauclero carenti acu nautica, & quomodò medicus vel conſanguinei ſcire poterunt, an facilis, an vero difficilis exſpectandus ſit partus?

Forſan ad hæc reſpondebit obſtetrix, facile eſt talia quærere, ſed quænam obſtetrix ad hæc rectè reſpondere poterit? cum nobis tantum uno vel duobus digitis uti liceat, ut tactu exploremus mulierem, quomodo ergo uteri poſituram cognoſcere poſſumus, & quid ſe in ejus apertura offerat?

Reſpondeo, unum vel duos digitos ſufficere, ut aperturæ uteri poſitura cognoſcatur, & ſciatur, quomodo formentur aquæ, nempe quando infans vertice ſuo oſtio imminet, & in pelvim deſcendit; ſi vero e contrà os uteri adhuc ſupra pelvim hæret, ad latera, vel poſteriora verſus oſſi ſacro accumbit, tunc uno vel duobus digitis attingere nequis, & qui in tali caſu tibi concedere nolunt, ut manum tam profundè immittas, quam requiritur, illi tollunt medium, quo verum uteri orificii

ſitum

ſitum cognoſcere poſſes, & conſequenter illum indicare non potes, nec imminens denunciare periculum, & illud præcavere, ſicque inculpata manes: ſi aliquis talem regulam vel legem præſcripſerit obſtetricibus, ille perverſa edoctus eſt, vel deceptus ab hominibus in hoc opere ſanè parum exercitatis; ſi enim ipſi hanc rem tentaſſent, meliora fuiſſent edocti, nec aliis nocivas adeò præſcripſiſſent regulas. quæ verò tali lege non obſtringitur, illam curare non debet, ſed facere, quod requiritur, ut vera uteri orificii poſitura innoteſcat, ut hanc medico vel amicis indicare poſſit, ſi expetitur; vel licet non expetatur, ut ſibi ipſi ſatisfaciat, & re malè ſuccedente, audacter dicere poſſit: culpa careo, periculum enim detexi, & amicos monui, hic eſt illius clypeus, quo calumnias avertat.

Si ergo perita obſtetrix huic quæſito reſpondeat, & verè tibi dicat uteri orificium directè pelvi incumbit, vertex capitis oſtio ritè imminet, jamque in pelvis cavum deſcendit, aquæ breves & planæ vel latæ formantur, vel jam ruptæ ſunt, & bona pars capitis prominet: acquieſcere poteris, facilis exſpectandus eſt partus, & mediocris ingenii obſtetrix, quæ agenda ſunt, facilè perficiet, nec feſtinandum eſt, ſed præcipuum naturæ relinquendum eſt: ſi verò uteri apertura directè pelvi immineat, & vertex infantis ſatis promineat, tamen adhuc ſuperius hæret, ſignum eſt denotans vel magnum caput, vel anguſtam pelvim eſſe, exiguum enim caput in magna pelvi facilè deſcendit, & faciliorem partum præbet, tamen & magnum caput quidem tranſire poteſt, niſi, plana nimis exiſtente pelvi, in medio oſſium pubis immobile maneret, & in tali caſu obſtetrix verſus illud latus deprimere debet, ubi pelvis maximam amplitudinem

habet, & tunc patienter tempori indulgendum eſt, donec magnum illud caput paulatim in longitudinem exporrigatur, uti anteà docui.

Hæc dico, ſi pelvis ſatis ampla eſt, ut infans poſſit ttanſire; ſunt enim mulieres, quibus auguſta adeò & plana eſt pelvis, ut perfectus fœtus nullo modo tranſire poſſit, & conſequenter in tali caſu Cæſarea inciſio deberet inſtitui, quia ſine illa nulla unquam liberandi ſpes ſupereſt, licet vero mihi nuſquam pelvis adeò anguſta obvenerit, non dubito tamen, quin tales reperiantur, Anglicanus medicus mihi affirmavit, ſe talem pelvim Londini in ſceleto vidiſſe, in quo tota pelvis adeò erat complanata, ut duos digitos amplitudine non caperet, per quem ſanè nullo modo tranſire poterat infans.

Si verô obſtetrix dicat, uteri orificium admodum altè reconditur, in parte laterali imponitur oſſi iſchion, vel ſupra oſſa pubis ponitur, vel ipſis incumbit, vel circa poſteriora accumbit oſſi ſacro vel lumborum vertebris, & quod tantum ejus exiguam particulam ſemilunulæ inſtar ſentire poſſit, nec judicare, quodnam ſe offerat membrum, nec poſſit procurare, ut uteri orificium in pelvim deſcendat, & quod ex hac aperturæ uteri poſitura ſequatur, fundum uteri hic vel illic obliquè poſitum eſſe, rebus ita compoſitis, ut narrat obſtetrix, noviſti difficilem partum eſſe exſpectandum, & mátrem cum fœtu periclitari.

Si obſtetrix tibi imminens periculum indicaverit, prudenter & fideliter munere ſuo perfuncta eſt, ſi verò non fecerit, tunc imperitiæ, vel metu, vel pudore officio defuit: quidquid ſit, tempus hic minimè debet negligi, ſi matrem & infantem vel alterutrum ſervare cupias, nec vilipendas hæc monita, decuplo enim majus imminet

peri-

periculum, si liberationem a natura exspectes, quam si mulierem statim sine mora artificiosa manu liberes, hæc plenè convictus loquor, & si in his fidelia mea observarentur monita, paucæ admodum mulieres in partu morerentur, & multi servarentur infantes, qui nimis diu exspectando perire debent, dum enim nectuntur moræ, aquæ defluunt, uteri capacitas continuò minuitur, via fit angustior, infans siccitate & morte rigidior, uterus per abdominis viscera fortius comprimitur, & profundius deprimitur, si in laterali vel prominula abdominis parte ponatur, vires mulieris frustra laboribus exhauriuntur, & mulier sensim magis & magis debilitatur, tandem non imploratur auxilium, nisi quandò infans jam mortuus est, mater verò semianimis decumbit, & licet mulier tunc adhuc perita manu liberetur satis subitò, & extrahatur infans mortuus, qui sæpe jam cadaver olet, & uterum infecit, tunc tamen mater perit, & tunc mors mulieris necessario imputatur artificiosæ huic liberationi, sed sane æquè absurdè, quam si mors hominis adscriberetur funi, quo ille jam semimortuus aquis extraheretur.

Igitur iterum repeto, non liberatio, sed dilatio tempestivæ liberationis matrem cum fœtu perdit. Sufficit mihi veritati præbuisse testimonium, qui credere negat, proprio damno sit incredulus, qui vero hæc consilia secuti sunt, veritatis testimonium reddere poterunt, & postea, me adhuc vivente, vel jam fatis functo, hæc praxis emerget, & tunc docebit experientia, me in hisce commune bonum spectasse, & optima consilia dedisse.

EXAMEN III.

Si vero obstetrix tibi dicat: uteri orificium recta quidem

pelvi imminere, ſed verticem capitis non occurrere ibi loci, ſed e contra infantem laterali capitis parte vel facie prodire, vel una cum capite etiam funem umbilicalem, vel manum, vel & pedem attingi, caveas tibi, & ſcias obſtetricem in tali caſu ſtatim debere ſuccurrere mulieri, licet membranæ adhuc ſint integræ, ſi dicat, ſe nihil hic agendum ſcire, operis ſui ignara eſt, non enim quieſcere debet, antequam ſolum verticem oſtio introduxerit, reliquis ad latus remotis.

Si tamen accidat, verticem capitis oſtio introduci non poſſe, facie fortiter appreſſa & immobili hærente in uteri orificio, non licet ipſi vim inferre, ut repellat faciem, & ſic caput invertat, ſed debet ſic prodeuntem exſpectare infantem: ſi ergo obſtetrix tibi dixerit, ſe ſimul prodiens membrum, pedem, manum, vel funem umbilicalem ad latera, vel verſus poſteriora capitis repoſuiſſe, & caput jam ſolum vel facie vel vertice prodiens immobile inhærere oſtio, ritè perfuncta eſt ſuo munere, ſi verò his diu immoretur, nec poſſit oblatum retroducere membrum, & hoc ſimul delabi ſinat, ſignum eſt illam non ſatis peritam eſſe.

Fieri tamen poteſt, ut labores brevibus adeò intervallis & tam validè urgeant, ut obſtetrix, antequam rumpantur membranæ, non poſſit retroducere ſimul cum capite oblatum membrum, & tunc immediatè poſt membranarum rupturam hoc fieri debet, vel artem ignorat.

EXAMEN IV.

Si dicat obſtetrix, uteri orificium quidem medio pelvi imminere, ſed nil hic prodire niſi ſimplicem aquam, & ſi inde novit prædicere, difficilem timendum eſſe partum,

tum, ingenioſam ſe præbet, mater enim & fœtus periclitantur, & optimum remedium eſt, mulierem immediatè poſt ruptas membranas liberare, infans enim tranſversìm dorſo vel ventri incumbit, tutiſſimum eſt infantem invertere, & pedibus extrahere: ſi verò neſciat obſtetrix, talem poſituram periculoſam eſſe, non ritè artem ſuam intelligit, & periculoſæ plenum opus aleæ eſt, ipſius conſilia ſequi.

EXAMEN V.

Hic igitur de utero rectè locato, qui pelvi quidem directè imminet, ubi tamen non prodit caput, ſed aliud quoddam infantis membrum.

Quando igitur obſtetrix tibi dicit, uteri orificium quidem recta pelvi imminere, ſed loco capitis aliud quoddam membrum prodire, vel aliquando ſolum funem umbilicalem, noviſti difficilem futurum partum, & mulierem artificioſa manu debere liberari ſtatim poteſt ruptas membranas, ut mater, & fœtus ſi adhuc vivat, ſimul ſerventur.

Dico, immediatè poſt ruptas membranas, tutò fieri poteſt, nec horæ ſpatio indigemus, ſed plerumque ſemihorulæ ſpatio fieri poteſt a viro exercitato; ſi obſtetrix hoc perficere poſſit, & illi confidere poſſis faciat, ſi non, quieſcat mulier, nec illam debilites laboribus fruſtraneis, ſed dexteriorem obſtetricem, vel peritum magiſtrum advoca, qui illam tutò & ſubito liberet.

Si ſolus funiculus umbilicalis prodit, credibile eſt, infantem tranſverſim prono ventre prodire, debet retroduci funis umbilicalis, infans debet inverti & pedibus extrahi.

Si funiculo umbilicali jungatur manus, pes, cubitus, vel

vel & utraque fœtus manus, debent hæc reponi, infans inverti & pedibus extrahi.

Si ſe offerat genu, vel unus vel uterque pes, genu retroducendum, uterque vero pes oſtio imponendus & infans ſic extrahendus eſt, ſed ſemper digitis pedum inferiora, calce verò ſuperiora ſpectantibus, ſic enim facillima fit liberatio..

Si infans natibus prodeat, ſic quidem exire poteſt, ſed multò melius & tutius eſt, nates retroducere, & pedes uteri orificio imponere, & extrahere, ſed caveas, ne vim faciendo, vel perverſa tractatione infantis femora luxes & claudicare facias infantem.

Si ambo pedes ſimul prodeant, obſtetrix tantum delabi ſinat, & leniter protrahat, ſi digiti pedis inferiora, calcanea verò ſuperiora ſpectent, res ex voto cedit, ſi non, debet, binis pedibus ſimul arreptis, infantem in deſcenſu ſenſim invertere, ſicque ejus exitum promovere.

In omnibus his caſibus, uti dictum eſt, debet ſubita liberatio fieri, omnium autem tutiſſima facillima & minimè periculoſa methodo fit immediatè poſt ruptas membranas, & talis liberatio artificioſa manu intra horæ ſpatium peragi poteſt, imo plerumque intra ſemihoram; quis ergò non videt dolendos & imprudentes errores rudium obſtetricum? quæ poſt ruptas membranas tota die, imò ſæpè pluribus diebus mulieri aſſident, nec tamen illam liberant, ſicque & matrem & infantem incuria ſua occidunt; nonne hoc horrendum eſt? nonne hæc eſt culpanda negligentia? quis ejuſmodi incuriam probare audet? quis non condemnabit?

Si obſtetrix periculum indicaverit, & monuerit, ſe non ſatis idoneam eſſe, ad mulierem ſubitò liberandam, non pec-

peccavit, ſi non, deliquit & negligentiæ pœnas luere meretur.

Vos vero medici, ſodales mei & Collegæ, qui a parturiente fœmina vel a conſanguineis aliquando vocamini, ut aſſiſtatis obſtetrici, ut vos, ſi minus prudenter & peritè agat, illam meliora doceretis, vel ſaltem conſanguineos de ejus imperitia certiores faceretis; concedite mihi, ſi placeat, ut vos rogare liceat, an non ſæpe, horrenda hæc ſpectacula coram videatis, an non ſæpe, petentibus rudibus adeo & artis ignaris obſtetricibus, urgentia præſcribatis remedia, & fœminam cum morte luctari faciatis? abſque eo tamen quod liberetis, ſicque matrem unà cum fœtu perdatis, cum ambo, vel ſaltem alteruter horulæ ſpatio ex hoc diſcrimine artificioſæ manus auxilio eripi potuiſſent: hæc dicta nolo in alicujus opprobrium, nec ut vos rubore perfundam, minimè, ſed ut vos candidè moneam; revertimini quæſo ad vos, & ſedulo ponderate hæc propoſita, tuncque religiosè judicate, quid agere debeatis.

Perpendite quæſo attento animo coram Deo: ſi verum ſit, quod omnes malè verſi infantes in rectè locatis uteris ſtatim poſt membranarum rupturas poſſint inverti & extrahi, & parturiens mulier ſic poſſit liberari fœtu & ſecundinis, nullis propinatis medicamentis, nulliſque laboribus ad hoc requiſitis. nonne ergo peſſimè agitur, ſalutarem adeo operationem differendo, imminente periculo, ne mater & fœtus ſimul pereant ignavis adeo & imperitis obſtetricum manibus, quæ poſt ruptas aquas ſtatim illam expedire nequeunt.

Dices forſan: ſi vera ſint hæc effata: nimium foret diſcrimen, quo minus hanc methodum alteri præferamus, quis autem vera eſſe probavit.

Me conſcio non libenter vel infanti imponerem, multò minus proximum in re tanti momenti deciperem, affirmo tibi vera eſſe hæc dicta, ſatis conſcius, me Deo omnia ſcienti rationem redditurum. & ſi credere detrectas, fidem adhibeas illis, qui me tempeſtivè vocarunt, & uno ore omnes dicti veritatem confirmabunt.

Memini non ita dudum me ſeptem fœminas ſucceſſivè Hagæ-comitum liberaſſe, & omnes non tantum citò expediviſſe, ſed & omnes perfectè incolumes poſteà vixiſſe, licet tamen non ſatis tempeſtivè fuiſſem vocatus, octava verò jam animam agebat, quum accederem; quare marito ſeorſim vocato dixi, me deſperare ferè de ſervanda vita, quoniam jam mortis quaſi imaginem præ ſe ferebat, ſi tamen cuperet illam liberari, me omnes intenſurum nervos ut expedirem: nocte præterita jam validè fuerat convulſa, intenſa febre laborabat, reſpiratio erat difficilis & anheloſa, facies admodum contracta erat & cadaveroſa quaſi, ſic tamen volente marito mulierem ſemihorulæ ſpatio liberabam, exſtractis tamen infante & ſecundinis moriebatur mulier, antequam lecto imponeretur ubi adhuc notandum reſtat, me octo has mulieres a totidem fœtibus jam defunctis liberaſſe, quorum plurimi tamen vivi potuiſſent extrahi, ſi me ſatis tempeſtivè vocaſſent, ſed ſane ignorantia hominibus perſuadet, non decere mulierem liberari a viro, niſi infantes jam mortui fuerint, qui error adeò noxius multis infantibus & honeſtis matronis vitam eripit.

Concedite mihi iterum, ut vos rogem: ſi quivis malè verſi infantes in uteris rectè locatis horulæ unius ſpatio poſſint inverti & extrahi, numquid igitur medici & obſtetrices tenentur hæc fœminis, maritis & conſanguineis indicare, & optimam ſervandæ matris methodum pro-

proponere? an vero e contra non ſunt negligentiæ accuſandi, ſi hæc omittunt, & ſic matrem una cum fœtu perire ſinunt non præmonitis conſanguineis. ſpero nunc meliora edoctos & veritatis conſcios amplius non erraturos eſſe, ſed proximo fideliter inſervituros ſepoſitis quibuscumque privatis commodis & emolumentis. teneor etiam, ut bene volentes medicos excuſem & defendam, monere, illos ſæpe ad parturientem mulierem advocatos in ſummis anguſtiis poni; primò, quia ſalutare illorum ſubitæ liberationis conſilium tam parum placet hominibus, & prætereà, quia adeò difficilè eſt idoneum ad hoc opus magiſtrum invenire, & adeò moleſtum, e diſſitis longè locis magno temporis & pecuniæ diſpendio advocare, nam ut plurimum in quâvis urbe licet ſatis magnâ & populosâ non invenitur talis magiſter. ita ut in hâc re non omnes ſint culpandi, dum enim, quæ ſint facienda, monuerunt, ſuo functi ſunt munere.

Si ergo obſtetrix conſcia eſt periculi, quod comitatur prædictas infantum poſituras, nec tamen citò liberet mulierem, quia requiſitâ ad hanc rem caret peritiâ; & ſi mulierem, maritum, nec conſanguineos moneat, ſed vana ſpe lactatos exſpectare faciat, & ſic una cum fœtu mater pereat, nonne ergo talis obſtetrix deliquit, nonne legibus punienda? numquid ſolliciti magiſtratus hæc curare deberent, ut lethales adeò errores examinarent? ut illos corrigerent, & ſeveriores pœnas hujus negligentiæ in publicam utilitatem ſtatuerent.

De hac re multo plura dicenda haberem, ſi ſingulas hujus rei varietates attingere vellem, ſed intelligentibus hæc ſufficere puto, nec malevolis ſanè reliqua placerent, proinde his finem imponam, & tranſibo ad *Inſpectionem.*

CAPUT III.

Quomodo per inſpectionem cadaveris dignoſci poteſt, an mulier retento fœtu mortua naturali morte occubuerit, an verò perierit negligentiâ vel imperitiâ obſtetricis.

Ne ſtatim me immiſceam quibuſdam hypotheſibus, quæ in dubium poſſent revocari, primò tantum dicam de mulieribus, quæ retento fœtu moriuntur, benè tamen verſo infante in utero rectè locato: talis mulier poteſt quidem per morbum & virium defectum in talem debilitatem incidere, ut infantem producere nequeat, vel quoddam vitium in partibus genitalibus hærere poterit: & in tali caſu debilitatis, vel malæ conformationis partium genitalium obſtetrix non eſt accuſanda: tamen in hac ſum ſententia, hæc quam rariſſimè fieri, dum enim & uterus & infans ſimul in recta linea pelvi incumbunt, debent vel nulli, vel debiles admodum eſſe labores; aliter enim talis infans facillimè, & quaſi ſine moleſtia prodire poteſt.

Si verò inſpecto cadavere mulieris in partu defunctæ appareat rectè locatus uterus, & in illo infans ſic poſitus, ut non prodeat capite, ſed manu alterutra, brachio, genu, cubito, uno vel utroque pede, fune umbilicali, humero, natibus, abdomine, pectore, uno verbo dicam, qualicumque demum corporis membro, & ſi mulieri adhuc conſtiterint vires, dum parturiebat; & membranæ rumpebantur, & ſi, ſtatim poſt humorum defluxum,

xum. liberatio (quæ horæ ſpatio fieri potuiſſet, non fuerit peracta, ſed naturæ fuerit commiſſa, nec obſtetrix periculum indicaverit, nec ſubitam liberationem conſuluerit, ſignum eſt, matrem una cum fœtu incuria periiſſe, & obſtetricem hujus negligentiæ ream eſſe, igitur & puniendam, ſi enim monuiſſet, mulier potuiſſet horulæ ſpatio liberari, & magna ſpes fuiſſet matrem & fœtum, vel ſaltem alterutrum ſervandi.

Certè talis caſus cadaveris inſpectione clarè determinari poteſt, nullus enim medicus, Anatomes profeſſor, vel quivis alius, cui partium genitalium muliebrium ſtructura innotuit, negare poteſt, quod aperto cadavere mulieris in partu defunctæ manifeſtè & evidenter videre poſſimus duo ſequentia & ſentire, primo an orificium uteri directè pelvis aperturæ incumbat, an non: ſecundo ſatis explorari poſſe, quodnam infantis membrum in oſtio ſe offerat, vel uteri orificio accumbat, ſi igitur hæc duo diſtinctè adeò & manifeſtè poſſint ſentiri & explorari, poſſumus etiam ex inſpectione certô & firmiter judicare, an fœmina perierit neglectu, an non.

Si verò comperiatur, mulierem neglectu periiſſe, quæritur, an obſtetrix perverſum infantis in utero ſitum cognoverit, an non? ſi neſciverit, artis ſuæ ignara eſt, ſi periculum cognoverit, nec tamen monuerit, nec tempeſtivè ſubſidium imploraverit, rea eſt cladis & matris & fœtus: Si hoc ſanè falſum ſit, tunc duo & duo non ſunt quatuor, nec tria & duo ſunt quinque; ſi autem hoc verum ſit, non minus certum eſt, per inſpectionem cadaveris indubitatò poſſe determinari & diſtingui, an mulier neglectu obſtetricis perierit, an non. & ſi per inſpectionem de hac re certiores fieri poſſimus, deliberandum relinquo; an medium adeò certum non de-

beret adhiberi, ut publicæ consuleretur utilitati.

GRADUS II.

Si verò inspecto cadavere appareat, uterum perversè locari in corpore, & uteri orificium incumbere vel accumbere alterutro pelvis lateri, vel ossi ischion vel ossi ileo, vel versus anteriora imponi vel apponi ossibus pubis, vel versus posteriora corporis reclinatum incumbere lumborum vertebris, vel eminentiæ ossis sacri, parum altius, vel demissius, nil refert, nec caput, sed aliud quoddam membrum ostio imponi vel accumbere; quæritur, an obstetrix perversam hanc posituram cognoverit an non? si non cognoverit, rudis in arte est; si noverit, alterius quæritur, an discrimen hujus posituræ agnoverit, si non, artis suæ ignara est; si verò periculum viderit, nec tamen indicaverit mulieri vel consanguineis, nec fideliter monuerit, & suaserit, ut tempestivè mulier, defluentibus humoribus, vel paulo post subitò liberetur, ut unà cum fœtu servetur mater, suo defuit officio, & pœnam meretur; defluentibus enim aquis, vel immediatè post, verosimiliter & mater & fœtus simul potuissent servari, mulier enim exercitata manu horæ spatio circiter potuisset liberari; licet enim utero sic posito majus discrimen maneat infantem, & major labor, peritia & dexteritas requiratur, ut talis mulier liberetur, quam si ritè locatus fuisset uterus, tamen illud perita manu horæ spatio perfici potest, aliquando minori paulo vel majori intervallo, omnibus tamen collatis patebit, talem liberationem intra horæ spatium facilè fieri posse; post diuturnas verò moras longè alia res est: his igitur sic positis, evidens est, ex inspectione certò deter-

terminari posse an mulier perierit retento fœtu per obstetricis incuriam.

GRADUS III.

Quando cadavere inspecto apparet, uterum perversè locatum esse, & infantis caput vertice vel alio modo pelvi imponi, & simul cuidam pelvis ossi appressum hærere, nec in pelvim delapsum esse; iterum quæritur, an obstetrix perversam hanc uteri & infantis posituram cognoverit, an non? si nesciverit, quæritur, an cognoverit magnum hujus posituræ discrimen? si non, artem ignorat; si noverit, admodum perfidè egit, si non indicaverit, nec fœminæ & consanguineis suaserit, ut sine mora aliquem advocarent, qui defluentibus aquis, vel statim post illarum defluxum mulierem liberare posset, non sine spe servandi matrem & fœtum: licet enim hæc positura difficultatem majorem pariat magistro, quam præcedens, tamen potest etiam horæ spatio liberari mulier, in hac tamen positura magis periclitatur infans, quam in præcedenti. si obstetrix hujus posituræ discrimen non indicaverit, nec auxilium imploraverit, rea est cladis matris & infantis, & meritò punienda, & quoniam hæc positura manifestè inspecto cadavere cognosci potest, hinc ergo etiam patet, per inspectionem in hoc casu certiores nos reddi, matrem & fœtum non occubuisse morte naturali, sed periisse obstetricis incuria.

Et quia per cadaveris inspectionem noxia hæc & detestanda negligentia posset detegi, & certò cognosci, deliberandum relinquo omnibus magistratibus, quibus animi religio cordi est, an non, in salutem tot fœminarum

& infantum, adhiberi mereatur? æquali sanè si non potiori jure, quam inspicitur cadaver aquis submersi, gladio peremti, aut veneno occisi hominis, quoniam plures fœminæ & infantes obstetricum incuria pereunt, quam quidem moriuntur aliis illis modis, quorum cadavera inspiciuntur.

GRADUS IV.

Quando inspecto cadavere apparet, unum vel utrumque brachium infantis extra uteri orificium prominere, & mulier sic retento fœtu mortua sit, quod ex inspectione clarè innotescit, quæritur, an obstetrix, quam primum hanc infantis posituram exploraverit, illius discrimen cognoverit? si nesciverit, rudis in arte est, si cognoverit, quæritur, an hujus posituræ periculum mulieri & consanguineis indicaverit, & auxilium invocaverit ad liberandam mulierem, quod horulæ spatio potuisset perfici, cum magna spe servandi matrem & fœtum. si monuerit, culpæ expers est, si non, pœnas luere meretur: & quidem duplici ex causa, si vivi infantis brachium arreptum protraxerit, ut duplicatum infantem sic extraheret: abominandum factum, quod, licet satis commune nostris obstetricibus, tamen severa animadversione dignum est, imo supplicio legibus statuto puniri deberet, illa enim infantem trucidavit, & causa fuit, quantum potuit, ut mulier retento fœtu moreretur, & nemo artis peritus negare potest, per inspectionem in tali casu certò dignosci posse, an obstetrix causa fuerit cladis utriusque.

Quæreret forsan quis.

1. An

1. An nunquam liceret obſtetrici, infantem brachio protrahere, quamdiu vivit infans, ut ſic duplicatum extraheret, & matrem hoc modo liberaret.

2. An non liceat medico obſtetrici perperam ſic agenti opem ferre, propinatis parturienti mulieri in tali caſu medicamentis ſtimulantibus ſive labores incitantibus?

Quibus quæſitis reſpondeo animo plenariè convicto & edocto veram rerum conſtitutionem in tali caſu. dico igitur: abominandum, imò non ſatis ſeverè puniendum crimen committi, quando vivi infantis brachium protrahitur; ut ſic duplicatus tranſiret, dum enim hoc faciunt, infantem occidunt, & matrem mortis periculo exponunt. & cum non liceat voluntariè infantem occidere, ſanè æquè parum licet, infantem duplicatum protrahere, mors enim præſentiſſima ſequitur; & ſicut non licet alicui opem ferre in perpetrando homicidio, æquè parum licet medico obſtetricem adjuvare tam horrenda meditantem propinatis mulieri labores ſtimulantibus medicamentis.

Expertus novi, quod infans brachio prodiens & ſollicitè in utero retentus, non protracto vel intorto brachio, poſſit per duos & amplius dies vivere, imo adhuc vivus exire in lucem ſine tumore vel paralyſi brachii, ſi infans a perito magiſtro invertatur, & pedibus extrahatur: e contra, ſi obſtetrix brachium infantis protraxerit, paucarum horarum ſpatio moritur infans, quia craſſius factum brachium tumet & riget, & niſi infans ſubito extrahatur, brachium corripitur gangræna, quæ primum in brachio orta ſe diſpergit per collum, pectus, & caput infantis, per funem umbilicalem, hinc in ſecundinas, ex his in uterum, ſic cum fœtore intolerabili pu-

treſcit infans, & tunc & mater certiſſimè perit, ſicque obſtetrix utriuſque hujus cladis cauſa eſt.

Cum hæc ſic ſe habeant, per inſpectionem indubitata fide poſſumus cognoſcere, an mater & fœtus naturali morte occubuerint, an vero incuria vel crudeli obſtetricis manu malè mulctati perierint.

Reſpondebunt forſan obſtetrices, ut ſe excuſent, quod, licet brachium protrahendo infantem occidant, tamen non mereantur pœnas, quia, niſi arrepto brachio, infantem duplicatum extrahere nequeunt, & conſequenter ſe culpa carere, quia ſemper præſtat infantem occidere, ut ſervetur mater, quam ut ambo auxilio deſtituti pereant, & quod experimentis conſtet, infantes aliquando duplicatos tranſiviſſe, matre tamen adhuc ſuperſtite.

Non negaverim, illas ſæpè ſic infantes duplicatos extrahere, muliere tamen, licet perverſa methodo liberata, ſuperſtite, ſed quoties contrarium planè accidat, & quot mulieribus exitioſa fuerit hæc methodus, quot fœminæ poſt irritos hos labores retento fœtu perierint, non enumerabo, hoc tradens illis, qui talibus caſibus adfuerunt: Hic tantummodo dicam, primò, quandonam perverſa hæc liberandi methodus inſtitui poſſit, ſecundò, quandonam incaſſum tentetur.

Infans duplicatus extrahi poteſt, ſi capacitas pelvis ejus molem excedat, ſi fœminæ adhuc conſtent vires, validi adſint labores; in hoc enim caſu infans hoc modo exprimi poteſt; ſemper tamen perit infans, & mater ſummum vitæ periculum incurrit.

Si verò e contra capacitas pelvis minor ſit infantis mole, labores ſint rari & debiles, & vires deficiant, omnia incaſſum tentantur, & fœmina retento fœtu mori debet.

Qui-

Quivis vel mediocri ingenio præditus inde satis clarè videt, obstetricum facta a solo casu pendere, cum nesciant, an necessaria requisita ad talem partum adsint, an non, ergò etiam bonus vel malus perversi hujus laboris eventus ipsas omninò latet, & in ambiguo ponitur.

Quæritur nunc, an cum prudentia perversa adeò operatio possit institui & liceat infantem occidere dubio tantoperè eventu; imprimis, si liberatio mulieris tentari posset magna cum fiducia & matrem & fœtum servandi, & totum hoc opus horæ spatio perficiendi, si nempè tempestivè hoc tentetur.

Non nego, si aliter fieri non posset melius fore, ut occidatur infans, quam ut unà cum illo pereat & mater: verum de hac re hic loci non agitur, cum tutior methodus sit liberandi mulierem non sine fiducia & matrem & fœtum servandi. Mulier quidem potest statim intra horæ spatium vivum infantem eniti, modo perita manu invertatur infans & pedibus extrahatur: huic rei verò plerumque se opponunt obstetrices, putantes, infantem non esse invertendum, quamdiu vivat, quin imò potius occidunt infantem, dum illum duplicatum extrahere sperant, & matrem simul periculo exponunt, ne videantur illi liberandæ fuisse impares, cum autem neque hoc facere possint, tunc putant satis adhuc tempestivè peritiorem advocari posse, non attendentes, defecisse jam vires mulieris, quæ tunc plerumque enixo fœtu moritur, nec cogitantes sic matrem una cum fœtu occidi partim neglectu, partim crudelibus adeò torturis. Faxit Deus, amplissimis magistratibus, quibus incumbit communi bono invigilare, aperiri oculos tandem, ut detestandam hanc fœminas liberandi methodum prohiberent, & hujus criminis reas severè punirent; inspecto enim cadavere certo certius

ſcire poſſunt, an mater & fœtus perierint neglectu vel errore obſtetricis. Imo vel ſine cadaveris inſpectione hoc determinari poteſt, modò medici velint adeſſe, dum tales infantes educo, tunc poſt liberationem mecum mortuum infantem & ſecundinas ſcrutentur, & clarè demonſtrabo, hos infantes naturali non occubuiſſe morte, ſed periiſſe gangræna, quæ ortum duxit ex brachio lacerato; atque inde patebit, quam neceſſaria foret inſpectio; Hic autem veritati teſtimonium reddere debeo & dicere, maximum longè numerum infantum brachio prodeuntium, quos poſtea invertendo protraxi, gangræna periiſſe; quod non ſine animi ægritudine videns ſæpe ingemui, nullum videns remedium, quo hanc infantum cladem impedirem, unde tandem in animum induxi, inſpectionem cadaveris proponere, ut abominanda hæc praxis publica legum auctoritate inhiberi poſſet.

Si vero fidelia hæc monita nondum moveant magiſtratus, ut hanc infantum ſtragem præcaveant: conſulerem omnibus maritis, quorum uxores parturiunt, ut obſtetrici, qua utuntur, ſedulò inculcent, ut ſtatim moneat, quam primum ſentit, infantem brachio prodire. Prætereà conſulo illis, ne permittant obſtetrici infantem duplicatum extrahere, ſed fœminam quietam lecto imponant, & nulla interjecta mora peritiorem advocent, qui infantem invertere & pedibus extrahere poteſt, ſic magna ſpes affulget utrumque ſervandi; & nullo modo tam malè mulctabitur mulier, nec vires adeò deficient, quam in præcedenti caſu, poteſt enim horulæ ſpatio liberari.

Antequam dimittam hanc infantum ſtragem ortam ex laceratione brachii nimis ruditer protracti, paucis verbis attingam infantum clades factas ab obſtetricibus capita in-

fan-

fantum lædentibus, hinc grangræna corripit caput, & moritur infans: hoc autem etiam inſpecto cadavere poſſet detegi.

GRADUS V.

Nemo negare poteſt per inſpectionem cadaveris ſatis poſſe videri, aut caput infantis læſum ſit, nempè an contuſum, compreſſum & hinc oſſa ſe invicem tranſcenderint, an cutis capitis dilacerata ſit vel diſciſſa, an verò menynges ſint perforatæ, & cerebrum vel totum vel pro parte ſit extractum, & conſequenter infantem peſſimis modis mulctatum eſſe; ſimiles enim caſus proh dolor! nimis ſæpè inveni, ſi autem hæc ſolummodo acciderent infantibus jam mortuis, aliqualem veniam mererentur, licet putem talia nulli obſtetrici unquam permittenda eſſe. quis autem ſine horrore audit, quasdam obſtetrices etiam vivos infantes tam crudeliter dilaniare?

Reſpondebitur forſan, non eſſe dubium, quin inſpecto cadavere poſſimus videre, an caput infantis læſum ſit; ſed omninò dubium videri, an certò determinare poſſimus, vivum infantem ab obſtetrice tam malè mulctatum eſſe; ideòque rogabitur, undenam certo videre poſſimus, infantem obſtetricis manu periiſſe.

Huic quæſito reſpondeo non adeò facilè primo intuitu apparere, an vivus infans tam malè mulctatus ſit ab obſtetrice, & majori hic animi attentione opus eſſe, quam ſi infans perierit brachio magna vi protracto, tamen plerumque, ſi non ſemper, hoc ſatis diſtingui poſſe: vivi enim infantes ab obſtetricibus ruditer attrectati gangræna pereunt, quæ ſemper incipit a parte læſa & ipſo læſionis loco: ſi læſum fuerit brachium, gangræna in brachio in-

cipit, si caput fuerit contusum vel alio modo læsum, inde gangræna incipit, & quidem in illo loco, quem malè mulctavit obstetrix. si autem aliud quoddam corporis membrum læsum sit, inde gangræna trahit originem, & hoc manifestè apparet, illa enim signa non reperiuntur in infante, qui naturali morte periit, multò minus, si paulò ante adhuc vixerit: cum ergo omnia prædicta cadavere inspecto certò possint demonstrari, concludo, Inspectionem necessariam esse, & summoperè profuturam. si adhibetur, & sequentia inde expectanda forent commoda.

1.

Delicta obstetricum inde innotescerent, & puniri possent, tuncque pœnarum metus ipsas satis absterreret, quo minus committerent detestanda adeò crimina in detrimentum matrum & infantum, quæ nunc defectu inspectionis teguntur, occultantur, & impunita manent.

2.

Per inspectionem pateret evidenter, quænam obstetrices opus sibi demandatum ritè peragerent, quænam verò illud negligerent.

3.

Culpata perditio tot honestarum matronarum, & non satis detestanda clades tot innocentium infantum per inspectionem innotescceret, & puniri posset, & inserviret exemplo negligentium, illasque instigaret ad munus suum sedulò observandum,

4.

4

Temerariæ & artis ignaræ obſtetrices ſic cognitæ vitari poſſent, prudentes verò & religioſæ advocarentur.

5.

Multæ imperitæ obſtetrices, quæ nunc tales manent, pœnarum metu meliora diſcerent, bonos auctores evolverent, & omnia adhiberent remedia, ut peritiores evaderent, cum nunc ignavam penitus & inertem vitam agant, quia illarum errores & crimina tecta manent & impunita, non adhibita inſpectione.

6.

Pœnarum metu obſtetrices cogerentur parturientem mulierem & amicos tempeſtivè monere periculi imminentis, implorarent tempeſtivè auxilia ad ſervandam matrem & infantem.

7.

Majori cura omnia perpenderent, & magis anxiè tactu explorarent veram uteri & infantis poſituram, illamque fideliter indicarent mulieri & conſanguineis, nec fallerent medicum, ut ſtimulantia ab ipſo acciperent medicamenta; medicus ipſe prudentius ageret in his præſcribendis, metuens, ne inſpectio doceret, talia remedia intempeſtivè fuiſſe adhibita.

8.

8.

Medici majori animi ſecuritate dictis obſtetricis poſſent acquieſcere, & tutò medicamenta præſcribere, vel, ſi opus eſſet, ſedulò ſuadere ſubitam liberationem perita manu peragendam.

9.

Illi medici, qui præjudicio quodam adhuc laborantes has perverſas uteri poſituras credere nolunt, propriis intueri oculis & manibus palpare poſſent, ſicque convincerentur, ſimulque intelligerent omnes malos ſucceſſus, qui ex his perverſis uteri poſituris oriuntur, uti in hoc libro demonſtravi.

10.

Medici, clarè perſpectis perverſis his uteri & infantis poſituris, evidenter perciperent utilitatem, imò ſummam neceſſitatem ſubitò liberandi has mulieres, & ſimul viderent, quanta afferat damna ſalutaris hujus remedii procraſtinatio.

11.

Evidens notitia perverſæ uteri & infantis poſituræ medicis oſtenderet, quam neceſſarium ſit, ut obſtetrices melius inſtituantur, & ſeverius examen ſubeant, antequam ad exercendam artem magni adeò momenti admittantur.

12.

12.

Subita liberatio parturientium mulierum defluentibus humoribus aut immediatè post sine dubio in omnibus perversis uteri & infantum posituris bono cum successu adhiberetur, sic enim singulis annis multæ matres & infantes servarentur, qui nunc hac neglecta male mulctati pereunt.

13.

Per inspectionem pateret, quam necessarium sit, ut in quavis populosa urbe peritus habitaret hujus artis magister, ut statim adesse posset, ne præterlaberetur idoneum subitæ liberationi tempus, dum ex loco aliquot milliaribus dissito advocari debet.

14.

Salutaris hæc ars citò liberandi mulieres ideò majori in pretio haberetur, & multi huic sedulò navarent operam, sicque in nostra patria singulis annis magnus infantum & fœminarum numerus servaretur, quæ nunc defectu subitanei auxilii pereunt.

Si ergo tanta commoda ex inspectione sint exspectanda, de quibus nullus dubitare potest, amplissimis magistratibus omni, qua par est, reverentia deliberandum trado, an non, in publicam utilitatem, subditorum emolumentum, veræ scientiæ promotionem, charissimorum pignorum, uxorum nempe & liberorum conservationem, talis inspectio adhibenda foret.

Scio plurimas posse objici difficultates: sed etiam no-

vi, quod omnibus his ritè perſpectis & ſeveræ rationis bilance ponderatis, ſatis patebit, has difficultates minimè poſſe æquare utilitates & commoda ex hac inſpectione ſecutura, inprimis fieret ſine impenſis ſubditorum. quam ob rem adhiberi poſſent Clariſſimi Profeſſores, Prælectores, Poliatri, & obſtetriciæ artis magiſtri, ſi adeſſent, vel alii quilibet idonei viri, quos ampliſſimi magiſtratus huic rei præponerent, & qui laudabile adeo munus artis & publicæ utilitatis amore libenter in ſe ſuſciperent, & veſtro judicio trado, an talis inſpectio non deberet fieri coram aliquot obſtetricibus, imprimis coram illa, quæ parturienti ad mortem uſque adſtitit? numquid inſpectio cadaveris ipſis ſummopere prodeſſet, imo optima hæc foret methodus, ut ipſarum animis vera idea ſtructuræ partium genitalium muliebrium imprimeretur, quæ, ſine cadaveris inſpectione, ſola lectura nunquam tam benè acquiritur, & hinc majori fiducia artem exercerent.

Coronidis loco hic tantum adjungam, quod ſperem, ut omnibus aperiantur oculi, & videant non ſufficere hic conqueri, quod fere in omnibus urbibus & pagis tot imperitæ obſtetrices reperiantur, tot matres & infantes illarum incuria pereant; ſi huic rei habeatur fides, omninò enim verum eſt, & dolendum, imò ſæpe deploratur a miſeris infantibus matribus ſuis orbatis, & a maritis, quibus uxores ſic eripiuntur incuria & erroribus imperitarum adeò & rudium obſtetricum. dico igitur querelas hic non ſufficere, ſed maturo conſilio tutiſſimam inquirendam eſſe viam, primò: ut lethale hoc malum prohibeatur, ſecundò, ut corrigatur: primarium ad hanc rem remedium præſtaret Inſpectio, qua non adhibita omnia alia remedia nullius uſus futura timeo.

Præ-

Præter inſpectionem adhuc alia quædam neceſſaria adhiberi poſſent, de his autem hic loci non agam: nunc enim animum exoneravi, & veritati teſtimonium reddidi: ſi mihi non habeatur fides, & fidelia hæc monita contemnantur, coram Deo tamen fidelis ero in eo, quod acceptum talentum fœnori expoſuerim, &, qua potui, fide demonſtraverim non ſolum lethale hoc malum, quod per totum orbem nunc adeò commune eſt, ſed præterea docuerim magnum illud & certum hujus mali remedium, hujus exſecutionem relinquens illis, quos Deus patriæ patres & publicæ utilitatis procuratores poſuit, me ſubſcribens, illa, qua par eſt, reverentia & ſubmiſſione, illorum ſubditum, & ad quævis paratum ſervum

H. V. DEVENTER,
M. D.

INDEX.

P. S. denotat Partem Secundam.

Apertura quando & quare deficiat. Pag. 261
Aquæ fugitivæ quare difficilem partum denotent. P. S. 4
Aquæ si sint oblongæ graciles, breves & latæ, quid inde sequatur. P. S. 39,40
Aquarum ruptura quid sit & quomodo fiat. P. S. 39,40
Ars obstetricandi firmo nititur fundamento. 5
Auctoris diuturnum dubium de perversis quibusdam uteri posituris P. S. 1
Brachia infantis Capiti contigua sunt relinquenda nunquam primo detrahenda. 230
Capitis infantis fallax oblatio. P. S. 8
Clades matris & infantis undenam cognoscatur, P. S. 53, 54, 55
Clyster quid sit, & quomodo injiciatur. 84
Constrictio venæ umbilicalis. 124
Corrector opii. 97
Desperata impatientia parturientis mulieris. P. S. 19
Dolores genuini & spurii. 61

Exemplum desperatæ impatientiæ. P. S. 19
Fœminæ provectioris ætatis arti obstetricandi inhabiles. 2
Figura 1. *exhibet pelvim anterius visam.* 16
— 2. *exhibet pelvim a latere visam.* 20
— 3. *exhibet uterum non imprægnatum.* 23
— 4. *exhibet uterum imprægnatum.* 28
— 5. *exhibet Secundinas.* 51
— 6. *exhibet infantem rite locatum.* 75
— 7. *exhibet infantem perverse locatum.* 76
— 8. *exhibet infantem recte prodeuntem.* 76, 77
— 9. *exhibet infantem bene versum.* 77
— 10. 11, 12. *exhibent instrumenta ad clysterem injiciendum necessaria.* 85
— 13, 14. *exhibent sellam parturientium perforatam.* 91
— 15. *exhibet annulos, quibus præcavetur uteri procidentia.* 133
— 16. *exhibet infantem facie sursum versa prodeuntem.* 152
— 17. *exhibet infantem facie prodeuntem in utero recte locato.* 160
— 18.

— 18. *exhibet infantem facie prodeuntem in utero oblique posito.* 161
— 19. *exhibet infantem prævia vena umbilicali prodeuntem in utero recte locato.* 168
— 20. *exhibet infantem prævia vena umbilicali prodeuntem in utero oblique posito.* 169
— 21, 22. *exhibent infantes manu vel cubito prodeuntes in uteris oblique locatis.* 170
— 23. *exhibet infantem manu prodeuntem in utero recte locato.* 171
— 24, 25. *exhibent infantes manibus & pedibus combinatis prodeuntes.* 178, 179
— 26, 27. *exhibent infantes natibus prodeuntes.* 182, 183
— 28. *exhibet infantem ventrem in ostio una cum vena umbilicali offerentem.* 187
— 29. *exhibet infantem tergum una cum vena umbilicali in ostio offerentem.* 189
— 30. *exhibet geminos prave versos.* 195
— 31, 32. *exhibet agrippas sive infantes pedibus prodeuntes.* 200, 201
— 33. *exhibet uterum nimis propendulum.* 202
— 34. *exhibet infantem bene versum in utero oblique posito & spinæ dorsi nimis appresso.* 230
— 35, 36. *exhibent eandem posituram a latere.* 231, 232
— 37, 38. *exhibent uterum in dextrum latus nimis obliquatum.* 250, 251
— 39, 40. *exhibent uterum recte & oblique locatum.* P. S. 14
Figuræ perversæ Domini Du Peu refutatæ. 161
Funiculus umbilicalis circumvolutus. 161

Gangræna incipit in lacerato infantis membro P. S. 61, 62
Hæmorrhagia ob separatam placentam ab utero subitam liberationem expostulat. 144
Impossibilitas investigandi pedes infantis quandonam adsit. P. S. 22 *seqq.*
Infans resupinus transversim pelvi incumbens difficulter inverti potest. P. S. 13
— *quare.* P. S. 14
Infans resupinus in utero oblique posito. P. S. 20
Infans duobus modis transversim pelvi incumbere potest. 188

Infantes possunt vivi inverti & extrahi. P. S. 57
Infantes quomodo invertantur, & quid circa hanc rem notandum. P. S. 10. & 11
Infantes brachiis protracti trucidantur. P. S. 55, 56
Infantes vivi ab obstetricibus male mulctati. P. S. 57
Infantes bene versi quali positura gaudeant. 75
Infantes male versi statim pedibus extrahendi & quare. 220, 221
Infantum talis protractio abominanda pœnas meretur. P. S. 56
Infantum capita aperta cui usui 112
Inspectio docet, an mater cum fœtu neglectu perierit. P. S. 27
Inspectio cadaverum mulierum mortuarum non enixo fœtu quare necessaria. P. S. 52
Inspectio certum remedium ad præcavendam infantum stragem. P. S. 62
Inspectio quare coram una vel pluribus obstetricibus instituenda P. S. 66
Juniores natu utpote virgines & novas nuptas ab hoc munere excludimus. 2
Justinæ perversa methodus protrahendi pedes. 174
Labores fortissimi quandonam sint frustranei vel noxii. P. S. 8
Labores spurii & tergiversantes quales sint. P. S. 33
Labores spurii anodynis medicamentis immutandi. P. S. 34
Lapis Lydius & Clypeus Obstetricum. P. S. 37
— *Examen* 1. P. S. 39
— *Examen* 2. P. S. 41
— *Examen* 3. P. S. 45
— *Examen* 4. P. S. 46
— *Examen* 5. P. S. 47
Liberatio potest fieri unius horæ spatio. P. S. 54
Liberationem differre nocet, & quare. P. S. 55, 65
Ligamenta extendi & ossa dearticulari possunt. 17, 18
Magistratus deberent majori studio curare ut obstetrices instruerentur. 3
Mauriceau refutatus de crassitie uteri. 29
Medicamenta labores incitantia sæpe quam maxime nocent. 237
Medicamentum anodynum præsens esse debet. 97
Mensium suppressio non est certum imprægnationis signum. 54
Mirabilis casus. P. S. 31
Monitum omnibus maritis in salutem uxorum & liberorum. P. S. 60
Mulieres debiles ad hoc opus inhabiles sunt. 5

Mulieres nimis denſæ & corpulentæ huic operi non inſerviunt. 6
Mulieres inertes & quaſi manus non habentes huic operi impares. 7
Negligentia medicorum & magiſtratuum omnem captum ſuperat. P. S. 26
Noxia perverſæ uteri poſituræ ignorantia. P. S. 28
Noxius error non liberandi mulierem niſi infante prius mortuo. P. S. 50
Obſtetricantes non debent laborare inexplebili avaritia. 12
Obſtetrices quomodo deberent inſtrui. 3
Obſtetrices decet eſſe graves. 7
Obſtetrices non debent eſſe mutilæ. 6
Obſtetrices debent eſſe beneficæ, ſoſpitales & miſericordes. 8
Obſtetrices ſint benignæ comes atque mites. 9
Obſtetrices temperatæ ſint & ſobriæ. 11
Obſtetrices debent habere generalem cognitionem partium genitalium. 13, P.S. 66
Obſtetrices quomodo matrem cum fœtu perdant. P. S. 25
Obſtetrices occidunt infantes, illos brachiis protrahendo. P.S. 57
Obſtetrices ſæpe prius ſentiunt dolores irruentes quam parturiens ipſa. 210
Obſtetricis prudentis operam nullus juſto exæquat pretio. 3
Obſtetricis utenſilia. 83
Obſtetricum craſſa ignorantia. P. S. 25
Obſtetricum candidarum ſigna. P. S. 38
Obſtetricum error dum vivos infantes non educunt. P.S. 57
Obſtetricum ungues decurtati ſint & læves. 81
Obſtetricum incuria vel ignorantia. 252
Occiput infantis in pelvim delapſum. P. S. 1
Occiput infantis ſupra oſſa pubis delapſum lethale eſt. P. S. 24
Os Coccygis in partu retroagendum eſt & quomodo. 116, 215
Os Coccygis ſemper debet eſſe liberum ut poſſit retrocedere. 118
Os ilium ſolvi poteſt & moveri inſtar ſcapulæ, hujus rei exempla. 18, 19
Partus difficilis ex morbis generalibus aut ſpecialibus. 82
Partus difficilis ex vitio uteri ortus. 130
Partus difficilis ex vitiis uteri veſicæ inteſtini recti, &c. 133
Partus difficilis ob firmas nimis membranas, vel placentam ad exclusionem præviam. 135

Par-

Partus difficilis ex emortuis infantibus. 139
Partus difficilis ex præmatura fœtus excluſione, unde fiat. 143
Partus difficilis ex nimia infantis magnitudine. 146
Partus difficilis ex infantibus pravè verſis in genere. 147
Partus difficilis ab infante facie ſupina prodeunte. 149
Partus difficilis infantibus facie in oſtium prodeuntibus. 154
Partus difficilis ab infante prævia vena umbilicali prodeunte. 161
Partus difficilis infantibus manu, cubito aut humero prodeuntibus. 168
Partus difficilis infantibus transverſim poſitis. 175
Partus difficilis infantibus manibus & pedibus prodeuntibus. 179
Partus difficilis infantibus natibus prodeuntibus. 180
Partus difficilis, infante ventrem in oſtio cum vena umbilicali offerente. 184
Partus difficilis infante tergo prodeunte. 187
Partus difficilis a geminis pravè verſis. 189
Partus difficilis ab agrippis ſeu infantibus pedibus præviis prodeuntibus. 195
Partus difficilis ex pravè ſito utero. 201
— *prava hæc poſitura undenam innoteſcat.* 205
Partus difficilis ex utero ſpinæ dorſi nimis appreſſo. 221
Partus difficilis ex utero nimium propendulo. 201
Partus difficilis ex utero in alterutrum latus nimis obliquato. 242
— *perverſa hæc poſitura undenam innoteſcat.* 243
— *quid agendum.* 245
Partus difficilis infante occipite ſuo in pelvim delapſo. P. S. 1
Partus difficilis utero in alterutrum latus reclinato. P. S. 7
Partus difficilis ex defectu laborum vel vitio dolorum tergiverſantium. P. S. 33
Partus naturalis vel facillimus. 73
Partus præternaturalis ſeu difficilis in genere. 81
Pedes digitis eorum deorſum verſis ſunt protrahendi. 229
Pelvis & ejus oſſa. 14
Pelvis quid ſit, & quomodo conſtruatur. 14
Pelvis oſſa difficulter repræſentari poſſunt. 15
Pelvis figura prima. 16
Pelvis in ipſis mulieribus forma & quantitate differt. 17
Pelvis maris & fœminæ quomodo diſtinguatur. 15

Pelvis quanta sit. 22
Pelvis nimis magna, nimis parva vel & nimis plana partum impedit. 111
Pelvis ossium ulterior explicatio. 20
Pelvis nimis plana cur causa partus difficilis. P.S. 16
Pelvis nimis ampla, & infausti inde orti successus. P. S. 32
Perversus veterum metus de infantibus pedibus extrahendis. 173
Pessarii contra uteri procidentiam. 132
Petauristæ quare inversi prodeant. 203
Pilulæ purgantes quomodo adhiberi debeant. 110
Pilularum sudoriferarum vires & usus. 104. *& seqq.*
Placenta exhibetur fig. 5. 51
Placenta ubinam utero affigatur. 37, 49
Placenta quare sic dicta. 48
Placenta aliquando unica, quandoque plures. 50
Præparatio herbarum per panem secalitium. 99
Procrastinatio liberationis quandonam noxia & periculosa. P.S. 57
Qua ratione tactu cognoscatur, quid sit agendum. 70
Quænam perversa positura infantis inversioncm prohibeat. P.S. 14
Qualitates necessariæ futuris obstetricibus. 1
Quandonam infantes duplicati possunt transire, quandonam non P.S. 75
Quandonam impossibile sit in fundum uteri pervenire P. S. 14
Quare infantium nascentium capita sunt aperta. 112
Quatuordecim utilitates ex inspectione exspectandæ. P.S. 62. *seq.*
Quo casu debemus impedire, ne caput infantis descendat. P.S. 9
Secundinæ excluso fœtu statim extrahendæ. 216, 217
Secundinarum extractio quomodo optimè fiat & quare. 124
Sedes parturientium perforata. 91
Seria obstetricum admonitio. 24
Signa Imprægnationis. 53 *&c.*
Signa Puerperii instantis. 55. *&c.*
Signa doloris genuini. 57. *&c.*
Signa partus facilis vel difficilis. 62. *&c.*
Signa partus ante consuetum tempus promovendi. 71. *&c.*
Signa emortuorum infantum an certa sint. 140
Signa quibus pes sinister a dextro distinguitur & vicissim. 229

INDEX.

Stupida & obtusa ingenia huic arti inepta. 7

Tactus quid doceat. 52

Tactus quo tempore commodissimè fiat. 69

Tactus prægnantium magni momenti est. 68

Tactus prægnantium quid sit & quomodo fiat. 52, 64

Tactus fallere potest & quando. 237

Theoria obstetricibus necessaria. 13

Vagina uteri ubi locetur, quomodo & in quem usum. 25

Vertebræ loco moveri possunt, & paralysim inducere. 19

Undenam appareat infantem malè mulctatum esse. P.S. 57, 58

Unica tantum datur perversa positura, in qua pedes prehendi non possunt. P.S. 14

Unicus casus, in quo pedes infantis apprehendi nequeunt. P.S. 17

Uteri ligamenta in quem usum. 24

Uteri crassitudo in prægnantibus, ejus extensio sine attenuatione. 29

Uteri extensio, mutatio localis & contractio. 36

Uteri ligamenta extendi & longiora fieri possunt. 39, 40

Uteri fundus octava decima sexta vel vicesima parte extensionem partis acuminatæ superat. 39

Uteri extensio unde fiat. 40

Uteri mutatio localis ubi & quomodo fiat. 42

Uteri bene locati in gravidis vel parturientibus mulieribus. 45

Uteri quadruplici modo malè locati. 46

Uteri purgatio post partum quare & quomodo. 216, 217

Uteri obliquæ posituræ tactu optimè explorantur. 256

Uterus quid sit. 22

Uterus quomodo locetur. 22

Uterus quibus constet, ubi uniatur vesicæ & intestino recto. 23, 24, 26

Uterus ubi & quomodo positus est. 26

Uterus fœcundatus multum differt a non fœcundato. 28

Uterus vario modo obliquatus. 254

Uterus cum vagina sæpè facit angulum rectum. P.S. 2

Uterus cum vagina talem anfractum faciens mortem plerumque adfert matri & infanti. P.S. 2

Uterus cum infantis capite extra corpus prominens. P.S. 32

Uterus inversus. 127

Utrumque pedem simul detrahere optimum est. 228

FINIS.